




FASTI ACADEMICI STVDII GENERALIS LOVANIENSIS,

ID EST

Origo & Institutio: Rectores, Cancellarij, Conservatores, Doctores & Professores, Fundatores & Benefactores, Resque aliquot memorabiles ejusdem Vniversitatis.

Edente VALERIO ANDREA, Dessclio, *I. V. Doct. & Professore Regio.*

Editio iterata accuratior, & alterâ parte auctior.





LOVANII,
Apud HIERONYMVM NEMPÆVM.
M. DC. L.

PER-ILLVSTRI,
ET ADMODVM REVERENDO,
D. FRANCISCO IOANNI
DE ROBLES,
E COMITIBVS d'ANAPPES,
DOMINO d'ESCOVT SAINCT-MAIN,
S. R. E. PROTONOTARIO,
AD D. PETRVM LOVANII
PRAEPOSITO,
ACADEMIAE CANCELLARIO,
ET PRIVILEGIORVM EIVSDEM
CONSERVATORI,
SERENISS. PRINCIPIS
LEOPOLDI GVILIELMI
ARCHIDVCIS AVSTRIAE &c.
MAGNO ELEEMOSYNARIO,
ET ORATORII REGII
ARCHI-CAPELLANO.

VETVS ACADEMIARVM institutum esse, cùm veteres Memoriæ produnt, tum usus earum apud varias Gentes, quamquam non eâdem formâ aut le... plum præbet: & lego celebrem eo nomi... ibi ALEXANDRIAM, viguisseque ibi... losophorum & Sacrarum Litterarum & Scholas; aliàs verò quà à vetustate, quà e commendatas in primis ATHENAS; atque

ſtris hodie Academijs; non eæ Leges aut Statuta, quibus noſtras habemus. Laudem eam plerique Carolo Magno tribuunt, qui *Albini* ſive *Alcuini*, præceptoris ſui, conſilium ſecutus, *Pariſienſem*, *Bononienſem* ac *Patavinam* auctoritate Imperiali inſtituit & confirmavit Scholas ſeu Studiorum Vniverſitates, ut recepto hodie vocabulo eas indigetamus: fortè ideò, quòd ſint ſtudium quoddam univerſi, id eſt omnium diſciplinarum, quia univerſæ ac rerum univerſarum, divinarum humanarumque, in ijs ſcientiæ ac diſciplinæ tradantur; πάντων ſcilicet ἀνθρώπων κοινὸν παιδευτήριον καὶ παντοίας παιδεύσεως ἐργαστήριον, quod à Thucydide Athenarum elogium eſt. Quamvis pleræque hodie ſint & nuncupentur Studiorum Vniverſitates, in quibus univerſa illa encyclopædia non exercetur: uti in primis *Pariſienſis*, ubi nulla Iuris Civilis Profeſſio publica habetur aut Facultas, ut neque in *Aureliana* ulla S. Theologiæ: quas tamen placuit dici Vniverſitates, eo ſenſu, quo reliqua Collegia & corpora. Suntque Vniverſitates ſive Academiæ (ita dictæ à loco ſuburbano & nemoroſo prope Athenas, quem à populo Plato obtinuit, ut ſcholam iſtic Philoſophicā haberet) velut πανηγύρεις quædam, id eſt Studiorum varij generis mercatus ac privilegiatæ nundinæ, quarum frequentatione liceat multorum homi-

num

num mores, linguas, leges, regionum situs & va-
riam indolem perdiscere. Talis certè fuit pridem hæc nostra LOVANIENSIS Vniversitas, quando præter reliquam docentium ac discentium turbam, supra duo Studiosorum Iuris millia ibidem numerabantur, ut testis illius temporis αὐτόπτης affirmat *Matthæus Vvesenbecius*, dum in disciplina convictuque *Gabrielis Mudæi*, I. C. præstantissimi, Lovanij degeret; quando, scribente *Iusto Lipsio*, ste itē oculato, Batavi, Frisij, Menapij, ulterio- s Germani, & magna Nobilitas occurreret; cùm alli, Britanni, Hispani, Itali & è longinquis etiam ribus Europæ, ad septena aut octona millia domicilium hîc hâberent. Hæc nos, inquit ille, vidi- s, & mixti ijs fuimus. Vidimus & ipsi nos ex e, dum annis superioribus Induciarum quidam t Favonius Academiam hanc afflatu quoque ecrearet: quando iterum videbimus? Abeant is metusque bellici, conticescant arma, & mox a, Musisque amica, redibunt tempora. Quam- etiam non tam Studiosorum numerus, Doctorum Professorumque celebritas, ab origine celebrem Academiam, atque in pri- bem hanc LOVANIENSEM, fecerit, & m faciat. Quæ enim sine ista fuerit vita Vrbis? Hoc scilicet LOVANIO, Bel- eò universo, Academia est, quòd corpori eò ut de eadem usurpare liceat, quod de Athenis

in anima mens sive ratio, hoc in Græcia Athenæ; & laudare atque extollere ultrà, sit Soli lucem dare. Attamen & hîc tenebras offendi, ut illustrandæ eidem Academiæ nostræ, eruendisque, quotquot à primo natali suo habuit, Doctoribus atque Professoribus, Fautoribus ac Benefactoribus, fuerit opus luce aliquâ. Dant illam hi FASTI, quos curis secundis, ijsque longè melioribus, vulgatum eo & inscriptum Per-Illustri, Reverendo admodum atque Amplissimo Nomini Tuo. Nec unam hujus rei caussam habeo. Suadebat in primis operis, quod susceperam tractandum, materia; persuadebat officij mei ratio; cogebat postremò Dignitatis ac Functionis, quam eadem Illustris Dom. Tua in Academia sustinet, Amplitudo; dum CANCELLARIUS ejusdem, emensis Studiorum spatia auctoritate Pontificiâ Academicos elargitur honores ac titulos; dum CONSERVATOR PRIVILEGIORUM jura Academicorum eâdem auctoritate tuetur, & servat. Magna atque eminens utraque hæc dignitas, inter Academicas altera à Rectore proximum, altera tertium in publicis consessibus nacta locum; illa verò non nisi claro atque illustri genere natis, etiam è Brabantiæ Ducum familijs, hactenus conferri solita; & Tibi pridem debita, quippe Reges Legionenses inter Familiæ Tuæ primos

mos atque originarios recto ordine numeranti.
Quamvis etiam Majorum Tuorum non tam Imagines quàm Virtutes admirari ac suspicere liceat.
In Te certè suspicimus insignem animi moderationem ac benignitatem, cum grata omnibus affabilitate comitateque conjunctam, sive in otio & quiete agas inter Academicos, sive in negotio & strepitu verseris inter Aulicos. Quòd si in alio laudum campo ac pulvere Martio exspatiari liceret, solum Belgium ejus rei locupletissimum testimonium dabit. Occurret in primis avus ille us GASPAR DE ROBLES, Baro Billæus, iæ pro Rege Catholico Præfectus, Vir à rebus i fortiter gestis illustris; occurret parens ille s, IOANNES DE ROBLES, Comes d'Anap. Castellaniarum Vrbiumque Insulensis, Duas atque Orchiacensis Gubernator, Deo ac suo fidus; occurret & frater ille Tuus ALEXER, Landrechiensis opidi pro eodem Rege nator; occurrent alij, quos viventes adhuc, que bello Germanico gloriosè pro Cæsare ne mortuos, Fama non una celebrat: verùm atia me Academica contineo, atque hoc Deo Opt. Max. posco, ut Per-Illustrem Ecclesiæ Academiæque longùm sospitet.
, x. Kalen. Aprileis, CIↃ. IↃC. L.

Illustri Dom. T. Studiosissimus
VALERIVS ANDREAS I. C. CL. V.

VALERIO ANDREÆ
I. V. DOCTORI ET PROF. REGIO FASTOS ACADEMICOS
Primùm edenti.

Currente fato rapimur, immitem colum
Numquàm revolvit Lachesis abscissum semel,
Ut ecce funus Iuvenis excipiat Senex,
Senisque Iuvenis. Omnibus servant suum
Rigidæ Sorores ordinem mortalibus.
Sed quid? profanos urna dum populos capit,
Stygiisque in umbris vulgus ignavum premit,
Super astra, Cælitum domos, potens tuos
Virtus Alumnos forte meliore evehit.
Neu astra solùm, fama sed terras quoque
Postuma perierat, vita monumentis venit,
Vel Te, VALERI, *vindice, illustres Virûm*
Animas perenni luce dum ornas & novâ,
Orbique & Urbi Grudiûm, Matri Artium,
Rediviva monstrans decora, longo hæc ordine
Æternitati consecras. Factum bene!
Grates rependent Numina, ac urbs inclyta,
Et publico gaudens bono UNIVERSITAS.

Accinebat HENRICUS NOUVLANTIUS, I. C.
Advocatus & Syndicus Academicus.

ADRIANI HOGERBEETS

Hornano-Hagienſis, I. V. D.

IN

CL. ET CONSVLTISS. V.

D. VALERII ANDREÆ, DESSELII,

I. V. D. & in inclyta Academia

LOVANIENSI Legum Prof.

FASTOS ACADEMICOS

iterum ſub prælo ſudantes,

EPIGRAMMA.

Sydere quàm læto Grudiorum Belgica Pallas,
Sedem ſupremo nacta favente Deo,
Quosq; Profeſſores ſolvi metuentibus alis,
Et quos Rectores inclyta fama vehat;
Oſtendat quos Doctores, numeretq; Magiſtros,
Pectora quam juvenum quæ ſtudioſa colant;
Structaq; magnifico Collegia ſplendida ſumptu,
Leges à Dominis condecorentque datæ;
Quæque vagam juſto moderamine fræna juventam,
Certantem ſtudijs invigilare, cogant:
Belgis, DESSELIVS *non inficianda Camœnis,*
DESSELIVS *Muſis gloria certa meis,*
Singula nos, ſudare iterum quod præla videmus,
Noſcere per FASTOS *præcipit illa ſuos.*
Cumq; ſuis vivet ventura in ſecula Faſtis,
Pallas dum Grudijs ægide tuta n[illegible]et.

):( ):(INDEX

INDEX
ATQVE ORDO CAPITVM
IN HIS FASTIS.

Dictato-

5. Colle-

FASTI

FASTI ACADEMICI STVDII GENERALIS LOVANIENSIS.

Occasio hujus Scriptionis.



VM non ita pridem BIBLIOTHECAM BELGICAM, hoc est Virorum in Belgio Scriptis, editisque ingenij monumentis, illustrium Nomenclaturam, ac brevem Vitæ seriem, quantum quidem tunc indagando & lustrando assequi licuit, publici juris facerem, conscriptam à me, instructamque, priusquam inclytum hoc Musarum emporium viserem: subijt illicò animum, pari filo ac stilo contexere FASTOS hosce ACADEMICOS, id est colligere Viros, doctrinâ titulisque insignes & magnos, simulque ortum, progressum atque encomia celeberrimæ Academiæ LOVANIENSIS. Verùm destiti deinde ab incœpto, postquam intellexi idem ferè argumentum tractari à Rev. admodum & Clariss. Viro D. NICOLAO VERNVLAEO, Rhetore Academico & Historiographo Regio, qui eamdem ACADEMIAM LOVANIENSEM, id est Originem, Incrementum, Formam Magistratum, Facultates, Privilegia, Collegiaque libris tribus complexus est. Quod tamen mihi propositum erat potissimùm, nempe ut illas non de vulgo Doctorum & Professorum animas, quotquot huic Academiæ magnum attulerunt ornamentum, itemque nomina Fundatorum ac Benefactorum, ab interitu atque oblivione vindicarem, id comperi

... ſtitum ibidem obiter tantùm. Itaque relictum mihi vi-
... am adhuc ſpicilegium aliquod, quod *Bibliothecæ* noſtræ
... *lgicæ* partem faceret, & velut mantiſſæ loco eſſet. Erue-
... enim conor, & ſiſtere publico quaſi in theatro, quicquid
... ctorum virorum Belgium, Academiaque hæc noſtra ab
... ſo ſui exordio in qualibet Facultate Studioque, habuit.
... ec invidebit hunc mihi induſtriæ meæ conatum (nihil enim
... ic aliud meum, aut à manu mea eſſe agnoſco, quàm inda-
... andi ac colligendi laborem) Vir optimus. Scilicet ſuum
... uique pulcrum. *Multum egerunt, ſed non peregerunt, qui ante nos fuerunt*, ſcri-
... ente Seneca, *...lcumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille ſæcula præcluditur*
... *liquid adhuc adijciendi. Nemoque reprehenſus eſt, multum adhuc reſtat operis*, qui è ſe-
... ete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam, uti ad M. Tullium
... ripſit togatorum doctiſsimus M. Varro. Itaque ne quid im-
... erfectius hac in re darem, placuit repetere ac præmittere
... ac paucis originem atque progreſſum Academiæ, Privile-
... aque, eidem à ſummis Pontificibus ac Belgij Principibus
... nceſſa. Ordo & Capita erunt iſta.

Origo & Inſtitutio Academiæ Lovanienſis.
Ceſsio Iuriſdictionis in Rectorem & Vniverſitatem.
Publicatio Studij novelli & Auſpicia Prælectionum.
Loca Prælectionibus & Exercitijs Academicis deputata.
Privilegia Vniverſitati à SS. Pontificibus ac Principibus conceſſa.
Faſti Rectorales. Item Dictatores, Promotores ſeu Fiſci.
Cancellarij Academiæ Lovanienſis.
... I. *Conſervatores Privilegiorum. Item Adſeſſores, Notarij &c.*
Faſti Doctorales Facultatis S. Theologiæ.
Faſti Doctorales Facultatum Iuris Vtriuſque. Item Faſti Decanales
Collegij Baccalaureorum I. V.
Faſti Doctorales Facultatis Medicæ.
De Facultate Artium, & quattuor eius Pædagogijs.
De Collegio Trilingui Buſlidiano.
De alijs Collegijs, Scholarium alimentationi deputatis, eorumque Funda-
toribus & Benefactoribus.

I. ORIGO

I. *Origo & Institutio* ACADEMIAE LOVANIENSIS.



RBEM LOVANIENSEM, quando vel à quo cœperit, quanta & qualis fuerit, V. CL. & Ampliss. IVSTVS LIPSIVS, illustre & urbis & Academiæ, Belgijque adeò universi, dum vixit, decus atque ornamentum, paucis ante obitum mensibus vivaci illo suo penicillo ac calamo depinxit.

A quibus verò cœperit initijs, in obscuro est. Notum ante annos IↃ. CC. XL. illius nomen. Nam & Normannicas excursiones inundationesque, Caroli Magni, Carlomanni ac Caroli Crassi imperio excepit, & barbaros illos Lovaniensi in solo ab Arnulpho Imp. contractis Germaniæ Galliæque viribus, ad unum omnes fuisse deletos, Annales produnt: indeque festi publici, quod Kalen. Septembribus celebrant, origo. Hinc item opidi initium fuisse arbitratur Lipsius, aut certè frequentiâ populi magis magisque auctum. Opidum ipsum è lapide primò strui cœptum, Godefrido III. imperante, anno CIↃ. C. LVI. Producta pomeria, mœniaque exteriora circumduci cœpta anno CIↃ. CCC. LVI. & quadriennij dumtaxat id opus fuit, pedes Geometricos in circuitu complexum vicesies quater millenos, nongentos, & unum supra sexaginta. Quis credat, nisi Archiva urbis fidem facerent? Et ostendit satis productio ista mœnium quàm plenum frequensque olim fuerit Lovanium, quanta multitudo incolentium, maximè textorum sive pannificum, è quorum genere ad centum plus minùs hominum millia deguisse in hac urbe verisimile est; sexaginta millia supputat idem Lipsius lib. II. cap. II. Verùm in flore illo stare ac florere diu urbs non potuit, quippe discordibus civium animis, Plebeque, divitijs ac viribus animosâ, adversus Patricios Nobilesque insurgente, ac Reipubl. partem regimenque sibi vindicante: primò quidem, anno CIↃ.CCC. XL. dum Nobilium plerisque, penes quos solos administratio hactenus esse solet, partes Regis Anglorum secutis, & in obsidione urbis Tornacensis occupatis, plebs Rempublicam invasit: secundò, an. CIↃ. CCC. LX. quo è Nobilibus ac Patricijs capti ferè ducenti, & inter eos Equites XXV. Scutarij centum quinquaginta, novusque Magistratus, mixtus è plebe & Patricijs

(seminarium deinceps turbarum, ut Lipsius scribit) à *Petro Couterello*, Prætore, factionis hujus capite & antesignano, lectus fuit: tertiò, an. CIↃ. CCC. LXXII. quo Wenceslaus Dux, è bello ac captivitate Iuliacensi Lovanium reversus, Patriciorum eo in bello expertus fidem, pristinum illis honorem & Magistratum restituit, duobus è plebe adsumptis Senatoribus. Idque ad an. CIↃ. CCC. LXXVIII. quo idem Wenceslaus plebem, rursus tumultuantem, impositis capiti albis galeris, factionis insigni, ipsis quoque inter se discordibus Patribus, in ordinem Senatus numero ferè pari cum Patricijs admisit. At in hunc annum XVI. Kalen. Decembris triste incidit & horrendum memoratu spectaculum, quo Nobilium multi, è fenestris Curiæ præcipites dati, lanceis infernè stantium excepti fuere.

Cùm itaque LOVANIVM seditionibus afflictum & paullatim vacuefactum esset (I. Lipsij verba usurpo ex lib. III. cap. I.) mercimonijs plerisque in Angliam aut aliò dilapsis, miseratio & cura Principem etiam nostrum habuit primariæ urbis instaurandæ, & aliâ aliquâ viâ frequentandæ. Præerat nobis IOANNES IV. Dux, idemque Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comes, Dominus Frisiæ ac S. R. Imperij Marchio: & cùm bella cessarent, artium amor subijt, & exemplum etiam, quod aliæ jam Provinciæ præbebant. *Colonia* enim & *Lutetia* Academia erat: cur non florens & copiosa hæc Belgica haberet? Ac didici *Engelbertum Nassovium*, in flagrante tunc gratia, præcipuum auctorem fuisse, & *Ioannem* ad instituendam Academiam perpulisse.

Vbi de re sedit, de loco deliberatum est; & multi *Machliniam*, aëre & munditie commendabilem, suggerebant: sed vicit *Lovanium*, præter miserationis aspectum, quòd ingenio loci hominumque non alia urbs aptior otio studiorum videretur. Ita ferè LIPSIVS: qui deinde in laudes excurrens urbis, *Et benè iudicasse*, inquit, *quis non iudicat? Situ quid salubrius, vel amænius? Aër purus & ridens: loca paßim vacua & delectantia, prata, agri, vineta, & rus, ut sic dicam, in ipsa urbe. Mœnia conscende & perambula: quæ subiecta facies? cuius frontem, animumq; non explicet ista mirabilis & delectabilis varietas? Hîc segetes, poma, uvæ crescunt; hîc pecudes balant aut mugiunt; ibi aves garriunt & cantillant. Iam pedes aut oculos extra mœnia effer: sunt rivuli, aut flumen Dilia, vago flexu; sunt villæ aut Cœnobia; arboreta, aut silvæ intermixta, & ubique mera locorum delitiæ. Nam de hominibus civibusq; quid prædicem? Solem non videre magis ad humanitatem & benignitatẽ factos.* Hæc ille. Et sanè rem ita se habere nemo infitias ierit; locique genium, ante Lipsium, etiam alij talem deprædicarunt, quorum alibi testimonia Elogiaque profero. Quinimò ipse Dux Brabantiæ, dum

tiæ, dum de Academia Lovanij instituenda Romæ apud Pontificem per suos ageret delegatos, eidem opidum proposuit Lovaniense, ut locum hujusmodi Studio in primis aptum & idoneum, quippe *rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum & aliarum rerum necessariarum commoditate refertum:locum*, ut est in Diplomate ejusdem Ducis, publicantis Studium hoc Generale, *vinetis, pratis, rivulis, frugibus & fructibus, ac alijs circa victualia necessarijs, refertum, in aëre dulci & bona temperie situatum; locum spatiosum & iucundum, & ubi mores burgensium & incolarum sunt benigni.*

Quia igitur ad excitandum novum Studium Generale etiam consensu atque auctoritate Pontificiâ opus esse judicabatur, missi eam in rem fuere Legati ad MARTINUM V. Pont. qui tunc è gente Columna, apud Romanos illustri, Ecclesiæ universali præsidebat.

Proponebant illi, ex parte IOANNIS Ducis Brabantiæ, ac Præpositi, Decani, Scholastici & Capituli Ecclesiæ S. Petri, nec-non Burgi-Magistrorum, Scabinorum & Communitatis opidi LOVANIENSIS, Pontifici.

I. Quòd, *licet in Ducatu* Brabantiæ, *& alijs Dominijs ipsius Ducis, necnon in* Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi & Tornacensi, *diœcesibus, ceterisq; ibidem circumvicinis partibus & dominijs, multa famosa & insignia loca, populo Christiano & rerum copiâ admodum opulenta, existerent, nullus tamen in illis locus esset, in quo Generale vigeret Studium litterarum.*

II. Quòd *Opidum* LOVANIENSE, *de temporali dominio eiusdem Ducis existens, ad huiusmodi recipiendum confovendumq; Studium aptum plurimùm & idoneum existere perhiberetur.*

III. Quòd idem *Dux, unà cum Burgi-Magistris, Scabinis & Communitate dicti opidi, domos aptas & loca convenientia, cum scamnis & alijs necessarijs officinis, pro Magistris, Doctoribus & Scholaribus, ac alijs pro tempore Legentibus, Docentibus, Disputantibus & Audientibus, deputarent.*

IV. Quòd *eisdem Magistris & Doctoribus Legentibus de salario competenti annis singulis, vel aliàs de beneficijs Ecclesiasticis, provideretur.*

V. Quòd *Rector Vniversitatis Study huiusmodi, pro tempore existens, super omnia Membra Vniversitatis eiusdem & illorum Servitores, tam in civilibus quàm in criminalibus, & alijs quibuslibet caußis, negotijs & exceßibus, sive impedimentis quibusvis, iurisdictionem, coërcionem & emendationem, Duci, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis & Communitati, communiter vel divisim, in eodem opido quomodolibet competentes, exercere valeret:* quodque ipsi *iurisdictionem, coërcionem & correctionem*

huiusmodi à se penitùs abdicarent & in Rectorem ipsum plenariè transferrent.

VI. Quòd *singulis Doctoribus, Magistris & Scholaribus, causâ studij ad dictum opidum accedentibus, vel de illo recedentibus, pro tempore quacumque sua, res & bona, secum apportandi, & ea pro sua voluntatis libito deportandi, sive ibidem vendendi, libertatem tribuerent.*

VII. & postremò, desiderare se, quatenus ijdem Magistri, Doctores & Scholares, *pro potiori dicti Studij incremento, condignis privilegijs se communitos sentirent:* adeoque *quibuslibet privilegijs, libertatibus, immunitatibus & exemptionibus aliorum Generalium Studiorum gauderent & uterentur.* Ita ferè in Diplomate Pontificio, Romæ dato an Dom. CIↃ.CCCC.XXV. V. Idus Decembris, legitur.

MARTINVS itaque Pont. eodem Diplomate suo, ubi in primis relatione fidâ didicit, post informationem diligentem super habilitate loci & alijs circumstantijs de mandato suo receptam, *opidum ipsum aëris temperie politum, singularumq; rerum, humano usui necessariarum, ubertate refertum, & aliàs pro huiusmodi Studio locum aptum,* auctoritate Apostolicâ statuit & ordinavit,

I. Quòd deinceps in dicto opido *Generale in Facultate qualibet, præterquam in Theologia, esset Studium; illudq; perpetuis futuris temporibus ibidem vigeret & observaretur.*

II. Quòd *omnes & singuli Doctores, Magistri & Scholares inibi omnibus & singulis libertatibus, immunitatibus & indulgentijs quibusvis, Doctoribus Magistris & Scholaribus* Coloniæ, Viennæ, *ac* Lipsiensis, Pataviensis *&* Merseburgensis *diœcesium opidis studij causâ commorantibus, per Sedem Apostolicam vel aliàs qualitercumque concessis, gauderent pariter & uterentur.*

III. Quòd item singuli, *qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, quâ huiusmodi inhæsere Studio, bravium obtinere meruerint, per ipsorum inibi Doctores sive Magistros Præposito* (quem Cancellarium Studij esse perpetuò voluit) *si illic præsens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ, pro tempore existentibus, sive alijs ab eis deputandis, præsentati, ab illis, si ad hoc exstiterint idonei, sufficientesq; reperti, docendi licentiam ac Doctoratus sive Magisterij honorem sortirentur & reportarent:* qui sic valeant ubique liberè & licitè, absque ulteriori examine & approbatione in ea Facultate, quâ Licentiam & honorem attigerint, legere & docere.

IV. Omnimodam Iurisdictionem, quà civilem quà criminalem, in Doctores, ceteraque Membra Vniversitatis, voluit esse penes Rectorem ejusdem Vniversitatis: *Omnium,* inquit, *& singulorum, caussarum & negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholarium, Membrorum atque Servitorum eorumdem, sive Clerici sive Laici fuerint, & etiam*

etiam de quibuscumque criminibus & excessibus correctio & punitio, ac omnimoda super illis iurisdictio ad Rectorem Studij in eodem opido, & non ad Ducem, seu eius successores, Ducem Brabantiæ, Præpositum &c. *pertinere omnimodò dignoscantur* &c.

Postremò decrevit idem Pont. quòd nisi infra annum, à data sive expeditione hujusmodi litterarum computandum, Dux, Præpositus, Decanus, Burgi-Magistri &c. *privilegia & libertates concederent, ac iurisdictionem à se abdicarent, & eam in Rectorem atque Vniversitatem transferrent, realiter & cum effectu, dictæ litteræ, & quæcumque inde secuta, nullius existerent roboris vel momenti.*

II. *Cessio Iurisdictionis in Rectorem & Vniversitatem.*

IGitur *Abdicatio, Cessio, Translatio, Resignatio, Collatio,* seu *Donatio* omnimodæ Iurisdictionis, juxta tenorem Bullæ Martinianæ, anno nondum lapso, facta fuit; per opidum quidem Lovaniense an. CIↃ. CCCC. XXVI. VIII. Idus Septembris, *Ægidio Divite*, vulgò *de Rycke*, Burgi-Magistro sive Consule, ejusdem opidi nomine verba faciente, *& omnem cognitionem, punitionem, coërcionem, iurisdictionem, & penitùs omnimodam superioritatem, si quam vel quas habuit, habere potuerit, haberet vel habere possit, in Rectorem, Doctores* &c. *in & de omnibus negotijs, caussis & rebus, tam civilibus quàm etiam criminalibus, magnis & parvis, in eumdem Rectorem pro tempore & Vniversitatem cedente, transferente, resignante* &c. per Præpositum verò, Decanum & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri III. Nonas Octobris: per ipsum denique Ducem Brabantiæ VII. Idus Novembris, qui animo deliberato, ut Diploma habet, & de sano ac maturo Procerum, Magnatum, Comitum, Baronum & Nobilium consilio pariter & assensu, pro se, hæredibus & successoribus suis, Brabantiæ Ducibus, ex certa sua scientia, deque pura & mera liberalitate, Privilegia indulsit & dedit sequentia.

In primis *omnibus & singulis Doctoribus, Magistris & Scholaribus, caussâ studij ad opidum Lovaniense accedere volentibus, cum eorum familia ac libris, rebus & bonis suis quibuscumque, dum venerint, moram traxerint, vel recesserint ab eodem, pro tempore quacumque sua, res, libros & bona, secum apportandi, & ea pro suæ libito voluntatis deportandi sive vendendi per potestates & districtus suos, tam per terram quàm per aquam, securam & liberam concessit facul-*

facultatem, fiduciam & licentiam speciales, nullis represalijs obstantibus &c.

II. Quòd *omnium & singulorum caussarum & negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum* &c. *sive Clerici sive laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus & excessibus correctio & punitio, atque omnimoda super illis iurisdictio, ad Rectorem Vniversitatis Studij huiusmodi, pro tempore existentem, debeant integraliter pertinere* &c.

III. Quòd *universi & singuli Doctores, Magistri & Scholares, caussâ studij in praedicto opido Lovaniensi pro tempore degentes, Membraq; & Servitores eorumdē, omnibus & singulis favorabilibus iuribus, Privilegijs & libertatibus & franchisiis potirentur & gauderent, quibus ceteri opidani ex privilegio, de iure vel consuetudine uti atque frui potuerunt seu consueverunt* &c.

Præsentes tum Duci in suo fuere Concilio, inter plures alios, atque unà cum Duce subsignarunt, *Engelbertus*, Comes Nassoviæ, Dominus de Lecka & de Breda; *Gulielmus*, Comes de Seyne, Dom. de Roda S. Agathæ; *Ioannes*, Dom. de Wesemalia & de Falais; *Ioannes*, Dom. de Rotselaer & de Vorselaer; *Henricus de Lecka*, Dom. de Hesewyck; *Ioannes de Glimes*, Dom. de Bergis supra Zomam; de Grimbergis & de Melino Barones, *M. Cornelius Proper*, Præpositus Cameracensis; *Ioannes de VVithaem*, Dom. de Boutersem; *Gulielmus de Montenaken*, Dom. de Grasen & de Wilre.

III. *Publicatio Studij novelli & Prælectionum auspicia.*

PVBLICATIO verò seu Promulgatio Studij hujus Generalis publico ac solemni Diplomate facta fuit an. CIↃ. CCCC. XXVI XV. Kalen. Septembris, dieſque Prælectionum auspicijs dictus ad VI. Non. Octobris, ipso Duce IOANNE, ob erectum hujusmodi Studium, ad instantes preces suæ Sanctitati ex parte sua suggestas, (quò nimirum *litterarum scientia, auctore Domino, magis magisq; ac uberius refloreat; mentes, intellectus & corda devotorum irriguo suo fonte madescant, ac per eam morum, virtutum & devotionum copia multiplicentur, & tamquam in tellure compluta seminata fructum germinent speciosum*) in Divini nominis gloria, ut idem Diploma habet, exultante, & multiplici gaudiorum affluentiâ lętante, invitanteque propterea ad id Doctores, Magistros, Licentiatos, Bàccalaureos & Scholares quoslibet, exteros & indigenas, per eosdem Doctores ac Magistros, quemlibet in sua Facultate, tunc inchoandum;

dum; omnesque & singulos Reges, Principes, Episcopos, ceterosque Dynastas requirente ac rogante, quatenus prædictum Studium Generale per suas permitterent Iurisdictiones ac Dominia solemniter publicari, vellentque omnes item & singulos, Doctores, Magistros ac Scholares, cum suis rebus, bonis & familia, ab omni violentia atque injuria defendere ac tueri: quo modo & ipse Dux eamdem Academiam in suam recepit tutelam ac protectionem, promittens se curaturum, ut Doctores & Scholares omnes, & quilibet eorum, ab omni injuria & violentia per terram & aquam defenderentur.

Orationem tunc publicè in auspiciis Academicis dixit *Nicolaus Prumius*, Canonum Antecessor, VII. Eid. Septembris.

IV. *Loca Prælectionibus & Exercitijs, cùm publicis tum privatis, deputata.*

PORrò locus Prælectionibus, Disputationibus, ceterisque Exercitijs seu Actibus Scholasticis obeundis, à S.P.Q. Lovaniensi deputatus, cùm adhuc in flore urbs esset, lanificibus serviebat: vulgò *Halas* vocant, rectius hodie *Athenæum* appellaveris. In eo Auditoria sunt quattuor: unum inferiùs, *Facultati* THEOLOGICAE destinatum; reliqua supernè, in quibus CANONES, LEGES, MEDICINA ac MATHESIS publicè & perpetuò docentur. Invenio ædificium illud structum an. CIↃ. CCC. XVII. quod & inscriptio duplex, muro extrinsecùs insculpta, confirmat.

PHILOSOPHIA verò ab exordio Academiæ doceri solet partim in privatis ædibus, partim in publica Artium Schola (in qua bini ex Facultate Artium Ethicen sive Philosophiam moralem atque Eloquentiam publicè etiamnum profitentur) Magistris ipsis partem illius aliquam statis & diversis horis interpretantibus: donec anno CIↃ. CCCC. XLVI. auctoritate ejusdem Facultatis quatuor Domus ei scientiæ deputatæ fuerunt, quæ vulgò *Pædagogia* dicuntur, & nomina sua ab insignibus retinuerunt, videlicet *Lilium*, *Falco*, *Castrum*, *Porcus*. Singula suos habent Institutores, Fundatoresque; & infrà suo loco in Fastos referentur.

Sed & LINGVAE, *Hebraica*, *Græca* ac *Latina*, postmodum suos in Collegio Trilingui Buslidiano nactæ sunt Interpretes: de quo aliàs à me scripta ex parte etiam inferiùs repetentur.

BIBLIOTHECA publicæ (quod hactenus Academiæ orna-

mentum defuit) demùm anno CIↃ. IↃC. XXXVI. deputatum fuit Auditorium, quod antehac Facultati artiũ; Medicæ tradendæ servire solet, Medicis ad Scholam Matheseos migrantibus. Hujus erigendæ occasionem dedit pia liberalitas R. D. LAVRENTII BEYERLINCK, Canonici & Archipresbyteri, dum vixit, Antverpiensis, qui anno D. CIↃ.IↃC. XXVII. X. Kal. Julij moriens, Bibliothecæ suæ, quam possidebat satis locupletem, partem dimidiatim Academiæ legavit Lovaniensi, cum onere redimendæ alterius dimidiæ partis, pro alimentatione unius Studiosi seu Bursarij, ut vocant. Hunc secutus JACOBVS ROMANVS, *Adriani* Med. Doct. ac Mathematici celeberrimi Fil. Medicinæ Prof. Regius, an. CIↃ. IↃC. XXXV. Idib. Novemb. grassante Lovanij mox à tolerata fortiter obsidione Gallo-Batava, epidemicâ lue correptus, suam patrisque Bibliothecam, libris potissimùm artis Medicæ instructissimam, in publicum usum reliquit. Curatores Bibliothecæ Academicæ è singulis Facultatibus constituti dicto an. CIↃ IↃC. XXXVI. II. Kal. Septemb. Ex. D. *Libertus Fromondus*, S. Th. CLL. VV. *Petrus Stockmans*, *Antonius Perezius*, I. V. *Michael Ophemius*, Med. respectivè Doctores & Profess. & *Nicolaus Vernulaus* S. Theol. Licent. Eloquentiæ Professor publicus; Præfectus verò seu Bibliothecarius *Valerius Andreas* I. V. Doctor & Prof. item Quæstor *Henricus Haulthomme* I. V. L. & Prof. Accessit deinde & munificentia Illustriss. & Rev.mi D. JACOBI BOONEN Archiepisc. Machliniensis, qui centum florenos annuos annuit & donavit, Bibliothecario salarij vice numerandos.

Denique Comitijs sive Congregationibus Academicis, cùm ordinariè tum extraordinariè, quoties de negotio aliquo deliberandum ac statuendum est, habendis locus alius CIↃ. IↃC. XXXV. deputatus fuit, cedente ac donante S. P. Q. Lovan. in quo Officialis Episcopi Leodiensis (qui tunc Ordinarius loci erat) pro tribunali sedere solet; unde vulgò *Audientiam* vocant, hodie CVRIA ACADEMICA est.

V. PRIVILEGIA *Universitati* LOVANIENSI *à Summis Pontificibus ac Principibus concessa.*

PRiusquam Fastos Rectorales ac Doctorales per singulas exhibeam Facultates, operæ pretium fuerit, nec alienum ab instituto, si commemorem

memorem hoc loco summatim, & referam quoque in Fastos, Privilegia potiora, sine quibus consistere Universitas Studiorum non potest, quibusque fulcita munitaque hæc nostra Lovaniensis, à parvis alioquin orta principijs, eam adepta est perfectionem, ut meritò inter Europæ orbisque Christiani primas numeretur: primò quidem Generalia, omnibus illius Membris communia; deinde Specialia, solis Clericis sive personis Ecclesiasticis propria: cujusmodi in primis nominatissimum est Privilegium Nominationum, quo ferè solo velut fulcro quodam stat vigetque Academia.

§. I. *Privilegium Exemptionis à jurisdictione Ducis, Capituli, & Opidi Lovaniensis.*

NOn aliâ enim lege MARTINUS V. Pont. permisit Lovanij institui Academiam, quàm ut Iurisdictio omnimoda, quà civilis quà criminalis, pertineret ad Universitatem & Rectorem ejusdem: eamque à se intra annum abdicarent, atque in eumdem Rectorem & Universitatem cederent & transferrent realiter & cum effectu, Dux, Capitulum & Opidum Lovaniense. Constat ex verbis Bullæ Erectionis, & Instrumentis Cessionum, Translationum ac Resignationum. Quibus quidem opponi solet aliud quoddam Instrumentum, quo eadem jurisdictio, quoad caussas criminales, quibus de pœna sanguinis agitur, in Rectorem, unà cum reliqua omni jurisdictione, ex voluntate dicti Pont. per IOANNEM Brabantiæ Ducem translata, retroceditur eidem Duci, idque ejusdem anni CIↃ. CCCC. XXVI. die XVI. Decembris, mense vix ampliùs uno post cessionem à Ioanne Duce solemniter factam. Verùm retrocessio hujusmodi ab Universitate tota numquam legitimè emanavit, sed à tribus dumtaxat Doctoribus, *Nicolao de Prumea* I. V. *Ioanne de Groesbeeck* LL. & *Ioanne de Neele* Medicinæ, tres Facultates respectivè repræsentantibus, (qui & stipendiarij temporales erant opidi, ad nutum Coss. & Rectorum ejusdem opidi à Lectura sua removibiles) Facultate Artium numerosiore reclamante, & contrà solemniter protestante, uti constans traditio habet. Quod ipsum colligere quoque est ex Instrumento alterius protestationis, in simili omninò materia, ex parte ejusdem Facultatis biennio pòst, anno nimirum CIↃ. CCCC. XXVIII. VII. Idus Novemb. interpositæ, adversus concordiam quamdam & retrocessionem jurisdictionis Rectoralis, nomine & ex parte Universitatis, de consensu dictorum trium Doctorum, uti tres Facultates repræsentantium, initam conclusamque per

Consules ceterosque Rectores opidi Lovaniensis cum Episcopo & Prælatis Leodiensibus, (videl. *quòd Doctores, Magistri & alij studentes pro tempore Lovanij, quoad privilegium de fructibus percipiendis, illo in civitate & diœcesi Leodiensi gaudeant & utantur, sicuti Parisienses & Colonienses in suis diœcesibus &c. Item quoad privilegia de iurisdictione &c. quòd illis gaudeant, sicuti Parisienses, vel Colonienses, vel Heidelbergenses suis gaudent; & quòd Ordinarij ac Prælati prædicti, prout ad illos de iure vel consuetudine spectat, de gravibus & enormibus excessibus cognoscant, & illos corrigant, ut puta de vulneribus, tentatis, mutilationibus membrorum & homicidijs ac notorijs presbyterorum & aliorum in sacris Ordinibus constitutorum focariatibus, alijsq́, similibus & minoribus excessibus &c.*) Facultate Artium, quinquaginta tum Magistris constante, rogatâ quidem & requisitâ, ut prætensæ hujusmodi concordiæ consensum suum dare dignaretur, verùm reclamante & solemniter protestante per organum M. *Arnoldi Amici*, (tunc Procuratoris sive Decani Facultatis Artium, qui obijt an. CIↃ. CCCC. XXIX. sepultus in Capella S. Antonij, vulgò Clericorum) quòd à privilegio erectionis & fundationis dicti Studij à sancta Sede Apostolica, & ab alijs privilegijs ac libertatibus eidem Studio concessis ipsa Facultas non intenderet nec vellet recedere, sed ipsa privilegia in toto & in parte defendere & manutenere: quodque tres vel quattuor personæ (licet prætenderent, quòd tres Facultates repræsentare deberent) nihil possent præjudicare Vniversitati, privilegiaque ipsi à S. Sede Apostolicâ ac aliàs concessa infringere vel diminuere, contradicentibus potissimùm & in contrarium solemniter protestantibus & renitentibus alijs Suppositis numero pluribus. Ac deinde conversus ad ipsos Doctores, O vos, inquit, *Domini mei Doctores, ex parte matris meæ Facultatis Artium, cuius ubera suxistis, hortor, exoro, & vos requiro, quatenus manutenere, defendere, & observare privilegia & libertates dicti Studij & prælertim erectionis & fundationis dignemini &c.* Constat itaque à toto Vniversitatis corpore aut Concilio legitimè consentiente numquam emanasse hujusmodi prætensam retrocessionem. Ut etiam non obstet Bulla EVGENII IV. P. M. an. CIↃ. CCCC. XXXIV. IV. Kal. Aug. prædictæ amicabilis concordiæ confirmatoria, utpote ad instantiam & requisitionem sôlius Episcopi, Præpositi & Archidiaconorum Ecclesiæ cathedralis Leodiensis impetratæ, quam & subreptionis & obreptionis vitio subiacere ex hoc ipso Instrumento protestationis per Facultatem Artium interpositæ facilè argui possit: nam eo narratur indicta fuisse congregatio Vniversitatis in diem 6. Novemb. an. 1428. ad instantiam Coss. & Magistratus Lovan. super concordia, de consensu

ſenſu trium Facultatum cum dicto Rev.mo Epiſcopo jam conceptâ, cum eodem ineundâ & concludendâ; cùm tamen in Bulla Eugeniana dicatur prætacta concordia concepta, facta, inita, concluſa die 2. Nov. id eſt quatriduò antè. Conſtat item, poſito etiam, quòd ab Vniverſitate legitimè conſentiente fieri validè potuiſſet, jam dudum per non uſum ſequentem, & ducenariam poſſeſſionem in contrarium, in hunc uſque diem, nec-non ex Confirmationibus & de novo Conceſſionibus Privilegiorum Vniverſitati per ſequentes Principes, CAROLVM V. Imp. an. CIↃ. IↃ. XXXI. & PHILIPPVM II. an. CIↃ. IↃ. LVI. factis omnem ejus vim penitus evanuiſſe. Sed & noviſſimè Sereniſſ. Principes ALBERTVS & ISABELLA in Viſitatione Vniverſitatis facta an. CIↃ. IↃC. XVII. per ſuos Commiſſarios *Ioannem Druſium* S. Th. L. Abbatem Parcenſem, & *Stephanum van Craesbeeck* I. V. D. & in ſuprema Brabantiæ Curia Conſiliarium, junctâ Apoſtolicâ auctoritate, hanc eamdem juriſdictionem Rectori & Vniverſitati Lovanienſi ſartam tectamque eſſe voluerunt, mandando in primis, carcerem Vniverſitatis in loco ſolito reædificari, *ut noxij ibidem cuſtodiantur, donec, cauſâ eorum inſtructâ, vel condemnari vel abſolvi per ſententiam Rectoris meruerint.* Deinde ſtatuendo & ordinando: *Si, quod Deus avertat, homicidia à Studioſis, cuiuſcumque qualitatis ſint, committantur, ſine ulla diſſimulatione Promotor in eos animadvertat, dictoq; carceri mancipet, donec per ſententiam Rectoris, pro caſus exigentia & circumſtantijs, quid de ijs agendum ſit decernatur. Volumuſq; ac diſtrictè præcipimus, ut non pecuniariâ dumtaxat pœnâ, ſed etiam corporali tanto ſcelere dignâ ſeverè puniatur: ſervato tamen ordine iuris & habitâ privilegiorum Studioſis conceſſorum conſideratione, ne nimiâ conniventiâ huiuſmodi inhumana ſcelera alantur, aut indiſcretâ Officiatorum ſeveritate Studioſi ab Vniverſitate deterreantur.* Planè uſus contrarius exemplis multis comprobatur, ut de hoc fidem faciunt, quæ in Academia ſua Lovan. lib. 1. c. x. Nic. Vernulæus recitat.

§. II. *Exemptionis & Immunitatis à Telonijs ac Pedagijs, ceteriſque Invectionum & Evectionum oneribus.*

IN primis idem MARTINVS Pont. indulſit *omnibus & ſingulis, Doctoribus, Magiſtris,* &c. *omnes & ſingulas libertates, immunitates & indulgentias, per Sedem Apoſtolicam vel aliàs qualitercumque conceſſas Doctoribus, Magiſtris & Scholaribus in Vniverſitatibus,* Colonienſi, Viennenſi, Lipſienſi, Patavienſi & Merſeburgenſi, *Studij cauſâ commorantibus.* Ex eadem Bulla Erectionis.

Joannes IV. Dux Lotharingiæ, Brabantiæque &c. *omnibus item & singulis, ad opidum Lovaniense accedere volentibus, cum familia, libris, rebus ac bonis suis quibuscumque, vel dum venerint, moram traxerint, vel recesserint ab eodem, eadem bona sua secum apportandi, & pro sua libito voluntatis deportandi sive vendendi, liberam concessit facultatem, fiduciam ac licentiam.* Ex Diplomate, quo idem Dux abdicavit à se ac cessit jurisdictionem in Rectorem atque Vniversitatem, an CIↃ. CCCC. XXVI. die VI. Novembris.

Idem Dux, eodem suo Diplomate, concessit omnibus Suppositis sive Membris Vniversitatis, & Servitoribus eorumdem, Privilegium, ut vocant, Incolatus, *iura* scilicet *favorabilia, privilegia, libertates & franchisias, quibus ceteri opidani & burgenses eiusdem opidi, de iure vel consuetudine, ubique terrarum, de dominio Ducis existentium, utuntur atque fruuntur.*

Philippus Bonus anno CIↃ. CCCC. LVI. XVII. Kalen. Decembris Privilegium Ducis Ioannis, prædecessoris sui, confirmavit, & suum voluit sortiri effectum.

Idem an. CIↃ. CCCC. LX. XX. Kalen. Septemb. Privilegium superius ampliando, dedit *plenam potestatem & omnimodam facultatem ad Vniversitatem studendi caussâ accedere volentibus, & in eadem moram seu residentiam facientibus, libros suos, res, valisias, iocalia, litteras, victualia, indumenta, & bona quæcumque secum, toties quoties & quandocumque voluerint, adferendi, & per quoscumque deferri seu apportari faciendi, eademq; ad propria, vel alibi, ad suum libitum reportandi, vel reportari faciendi, per omnes Ducis terras, patrias* &c. *per aquam, mare & terram, & absque eo, quòd ipsi, Rectores, Doctores, Magistri, Licentiati, Scholares, Supposita & Servitores eorum, itemq; vectores seu conductores dictorum bonorum, propter id solvere debeant aliquod teloneum, tributum, daciam, pedagium, gabellam, fundum navis, aut alterum quodcumque debitum, quocumque nomine censeatur.*

Denique post Carolum V. aug. mem. Imp. anno CIↃ. IↃ. XXXI. & Philippum II. Regem Catholicum, an. CIↃ. IↃ. LVI. in suis generalibus Privilegiorum omnium Confirmationibus. & novis eorumdem Concessionibus, Isabella Clara Evgenia, (cui *Philippus* pater, cùm ei Belgicas cederet Provincias, Lovaniensem Academiam ut oculi sui pupillam commendavit) an. CIↃ. IↃC. XXXII. IX Kalen. Martij eamdem Academiam liberam immunemque à tributis & vectigalibus omnibus, non aliter quàm Aulæ suæ familiam, declaravit. Vivere verò optima & desideratissima Princeps desijt an. CIↃ. IↃC. XXXIII. ipsis Kal. Decembris.

Sed

Sed & in judicio contradictorio supremorum tribunalium sententijs eadem confirmata fuit immunitas, tum ab onere assisiarum vini, aut alterius potus, adversus opidum Lovaniense per interlocutionem D. Cancellarij Brabantiæ, anno CIↃ. CCCC. XXXII. tum ab onere portorij, vulgò *Poort-gheld*, adversus idem opidum Lovaniense, per sententiam provisionalem supremi Senatus Brab. an. CIↃ. CCCC. XCVII. XII. Kal. Aug. Item à vectigali, vulgò *VVerff-gheld*, adversus redemptores seu arrendatores opidi Machlinensis, in magno ibidem Concilio Belgicô, an CIↃ. IↃ. LII. XIII. Kal. Decembris.

§. III. *De libris Scholarium citra consensum Rectoris non vendendis aut oppignorandis.*

AB eodem PHILIPPO BONO profectum est, Lovanij tum degente, an. CIↃ. CCCC. LXVI. IV. Kalen. Octobris: qui acceptis querimoniâ & precibus, ex parte Vniversitatis porrectis, quòd, licet Doctores, Magistri & Scholares ejusdem Vniversitatis, litterarum studio vacare cupientes, libris suis necessarijs carere minimè possint, quemadmodum nec in bello miles suis armis; plures tamen Scholares, ætate juvenes, moribus & vitâ juniores existerent, qui sine scitu Rectoris, aliorumque Doctorum & Magistrorum suorum, quorum curæ & sollicitudini commissi erant, libros suos Lombardis, tabulam nummulariam tenentibus, & alijs, venderent aut oppignorarent, pecunijsque inde provenientibus in viles usus profusis & consumptis, in suis plerumque studijs retardarentur, imò capessendæ scientiæ omninò inhabiles & desperati efficerentur: ideo per modum Statuti & Ordinationis perpetuæ concessit dictæ Vniversitati, *quòd nullus Lombardus, seu alius, tabulam nummulariam tenens, publicè vel occultè, seu quivis alius, Ecclesiasticus vel secularis, cujuscumque status vel conditionis, ab aliquibus Scholaribus, in dicta Vniversitate degentibus, aut ab aliquo eorumdem, aut etiam ab illis, qui ad hoc ab eisdem Scholaribus rogati seu commissi fuerint, aliquos libros, sine expresso consensu Rectoris, sibi comparare, emere aut pecuniam seu aliquam aliam rem in pignus super eis mutuari, aut alio quovis modo eos impignoratos retinere ullatenus possit aut valeat, sub pœna confiscationis principalium denariorum, aut aliarum rerum, pro eisdem libris datarum seu mutuatarum, aut pro quibus ipsi libri fuerint impignorati* &c.

§. IV. *De non trahendo seu evocando Supposito aliquo Universitatis extra muros opidi Lovaniensis, quod vulgò* Privilegium Tractus *vocant.*

MARTINUS V. Pont. in ipso Academiæ exordio, an. CIƆ. CCCC. XXVI. v. Idus Septembris, Privilegium hoc indulsit, perpetuâ & irrefragabili Constitutione sanciendo, statuendo atque ordinando, *ut nullus ex Doctoribus, Magistris, Scholaribus &c. in caussis tam civilibus quàm criminalibus, aut mixtis, etiam merè profanis, sive ratione delicti aut contractus, vel rei, de qua agetur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, per quosvis Executores sive Iudices, auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum eiusdem, deputatos, extra muros opidi Lovaniensis trahi, citari, vel etiam conveniri, vel aliàs ad iudicium evocari valeat aut possit: dummodò in opido præfato coram Conservatoribus, aut aliquo eorumdem, vel eius subdelegato, de se querulantibus singulis se paratos exhibeant legitimè stare iuri* &c. Subjungit deinde Pont. censuras & pœnas, in eos, qui quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, aliquid contra tenorem hujus sui Indulti ausi fuerint attentare.

Quod quidem Privilegium PAULUS II. an. CIƆ. CCCC. LXIX. Nonis Maij, Carolo, Burgundiæ & Brabantiæ Duce pro Academia supplicante, confirmando, ampliùs etiam indulsit, idem extendendo his verbis: *quòd iidem Rector, Doctores &c. adversarios suos (dummodò Apostolicæ Sedis Officiales aut in Romana Curia præsentes non sint) coram aliquo ex Conservatoribus trahere, convenire, & ad iudicium evocare in prima instantia liberè & licitè valeant* &c. Id ipsum ad caussas beneficiales, occasione nominationum ad beneficia Ecclesiastica moveri solitas, extendit ADRIANUS VI. anno Pontificatus sui primo XVI. Kalend. Julij, nempe quòd *nominati super beneficiis, per eos in vim huiusmodi nominationis acceptatis, per quascumque personas, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis existerent &c. extra dictam Universitatē ad iudicium trahi non possent: ipsi tamen nominati suos in dictis beneficiis quoscumque adversarios coram aliquo ex Conservatoribus Privilegiorum eiusdem Universitatis trahere possent* Diploma Indulti hujus, quod superveniente *Adriani* obitu, expediri aut publicari non potuit, CLEMENS VII. ejus in Sede Apostolica successor, confirmavit & approbavit, & litteras, sub ejusdem diei data, expediri ac publicari curavit, an. CIƆ. IƆ. XXIII. VI. Kalen. Decembris.

Denique

Denique GREGORIUS XIII. an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. XII. Kal. Julij Privilegia & Indulta hujusmodi prædecessorum suorum, *Martini V. Pauli II. Adriani VI.* & *Clementis VII.* & singula litteris desuper confectis contenta, usuque recepta, approbando & confirmando, præter censuras, etiam pecuniariam mille ducatorum auri pœnam statuit, in quemcumque contravenientem, ipso jure incurrendam, cum amplissimis & efficacissimis clausulis derogatoriarum derogatorijs: illâ etiam specialiter additâ, quòd per quascumque alias litteras, speciales vel generales, etiam in forma Brevis & sub nomine Cameræ Apostolicæ, à se seu alijs Romanis Pontificibus, successoribus suis, seu Sede Apostolica, vel illius Legatis aut Nuntijs pro tempore emanatas, derogari nullatenus posset, nec derogatum censeretur, nisi certo in ijsdem modo præscripto.

Privilegium hoc tractus, ut pleraque alia, etiam Principes nostri, Brabantiæ Duces, ratum habuere. Et in primis CAROLUS V. Imp. qui dum Privilegium Nominationum, Facultati Artium à Leone X. Adriano VI. & Clemente VII. concessum, (de cujus usu, executione atque exercitio tum in Concilio secretiori mota erat controversia inter Collatores ordinarios beneficiorum, juncto Procuratore Generali seu Fisci, & eamdem Facultatem) certis adstrinxit legibus ac modificationibus, sub quibus illud mandari executioni posset; statuit insuper, *Si contingat super beneficijs, in vim nominationis acceptatis, litem moveri, eam in iudicio quidem possessorio coram Provinciarum iudicibus, in petitorio verò coram Conservatore Privilegiorum instituendam & terminandam; caussâq; per appellationem devolutâ ad Curiam Romanam, eamdem non alij, quàm harum provinciarum delegandam ac committendam iudicibus.* Ita Imp. in Placito suo super usu Nominationum, Gandavi Gallico idiomate expedito an. CIↃ. IↃ. XXXI. die XII. Maij.

Idem Imp. Bruxellis an. CIↃ. IↃ. XXXVII. V. Kalen. Decembris, Gallico similiter idiomate in hunc sensum edixit, *Quòd nullus cuiuscumque status aut conditionis, queat in prima instantia trahere in iudicium veros Scholares aut Supposita Vniversitatis extra opidum Lovaniense, sub prætextu cuiuscumque rescripti vel citationis, à Curia Romana emanatæ, continentis clausulam derogatoriam dictorum Privilegiorum, vel alias; quodq; Iudices ibidem nominati ac delegati nullam poterunt capere cognitionem extra præfatum opidum. In casum verò, quo ijdem Iudices recusent ire Lovanium, teneri impetratores huiusmodi rescriptorum & citationum à Curia Romana, obtinere subdelegationem ac commissionem aliorum Iudicum, qui in prima instantia cognoscant de caussa in ipso opido Lovaniensi.*

§. V. *De liberis naturalibus & illegitimis: & de Domibus Hortisque, ad usum Collegiorum relinquendis.*

CAROLVS, cognomento AVDAX, Burgundiæ Brabantiæque Dux &c. an. CIↃ. CCCC. LXXI. Kalendis Martij, in forma Indulti & Privilegij perpetui concessit gratias, exemptiones, & libertates sequentes.

I. Quòd *omnes veri Studentes, Doctores, Regentes, Officiati, Scholares, eorum Servitores, extranei, non oriundi ex territorijs seu dominijs Ducis, sive sint legitimi sive illegitimi, etiamsi spurij essent, vel ex damnato coitu, possint ordinare & disponere testamento suo, seu alio quovis modo legitimo, de omnibus suis bonis mobilibus, debitis, libris, iocalibus, vestibus, utensilibus domus, aut alijs quibuscumque mobilibus* &c.

II. Quòd *omnes Doctores, Regentes, Officiarij & Scholares, tenentes in eorum domibus commensales, cuiuscumque ætatis fuerint, vel etiam omnes veri Scholares, sub quadragesimo ætatis anno dumtaxat existentes, ex territorijs & dominijs Ducis oriundi, quamvis sint illegitimi, de suis libris, vestibus, ornamentis ad personas suas congruis, vel corrigeis argenteis vel aureis, ac annulis, nec non utensilibus & scyphis argenteis, ad usum eorum quotidianum destinatis dumtaxat, testamentum in posterum, aut aliam ordinationem, facere poterunt.*

III. Quòd *si aliqui ex dictis Doctoribus, Regentibus vel Studentibus, sive extraneis, sive illegitimis, domum aliquam, vergeria, hortos seu gardinos infra opidum Lovaniense, seu extra, infra banleucam seu Scabinatum, pro sua recreatione seu habitationis caussa pro præservatione sui, suorumq; servitorum seu domesticorum tempore pestilentico acquirant, voluit, indulsit, & libertatem dedit de prædictis domibus, vergerijs seu hortis posse disponere testamento, seu alio quovis modo, in ultima eorum voluntate, ad fundationem dumtaxat seu utilitatem Collegiorum, erectorum sive erigendorum, seu aliarum Ecclesiarum, in opido Lovaniensi existentium.* &c.

§. VI. *De fructibus Beneficiorum in absentia percipiendis.*

QVæ deinceps sequuntur Privilegia solis ferè Clericis sive Ecclesiasticis personis sunt propria. Cujusmodi in primis illud est, quod Vniversitati indulsit MARTINVS V. an. CIↃ. CCCC. XXV. V. Idus Decembris, in hæc ferè verba ac sensum, *ut singuli Doctorum, Magistrorum &c. fructus, reditus & proventus omnium & singulorum beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, sæcularium & regularium, cum cura & sine cura, etiamsi*

etiamsi Canonicatus & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes vel Officia, in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, seu Collegiatis Ecclesiis, & Dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales, maiores, aut in Collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales fuerint, & ad ea consueverint qui per electionem adsumi, quæcumque, quotcumque & qualiacumque extiterint, cum ea integritate (quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis) liberè percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis sive locis ipsis personaliter residerent, & ad residendum interim non teneantur, nec à quoquam inviti valeant coarctari. Non obstante, si primam in Ecclesiis sive locis huiusmodi non fecerint personalem residentiam consuetam &c. Non obstantibus etiam Constitutionibus Apostolicis, synodalibus, nec-non statutis & consuetudinibus Ecclesiarum contrariis, iuramento vel quacumque aliâ firmitate vallatis, licet de illis servandis beneficiati præstiterint forsitan iuramentum &c.

EVGENIVS IV. Pont. Privilegium hoc atque Indultum prædecessoris sui innovando & extendendo ad Magistros ac Scholares sacræ Facultatis Theologicæ, illud insuper addidit, quòd beneficiati, studiorum caussâ absentes, *Fructus, reditus, ac proventus beneficiorum suorum possint facere meliores, eosq; quibusvis personis, etiam laicis, arrendare, locare, vel ad firmam seu pensionem annuam concedere valeant.* Diploma datum ac signatum fuit Senis an. CIↃ. CCCC. XLIII. Idib. Aprilis.

§. VII. *De Magistris & Scholaribus beneficiatis intra septennium ad sacros Ordines Diaconatus vel Presbyteratus non promovendis.*

IDem MARTINVS Pont. illud concessit Rectori & singulis de Vniversitate Studij Lovaniensis, in quacumque inibi Facultate legentibus, aut litterarum studio quomodolibet insistentibus, qui parochiales obtinerent Ecclesias, vel alia quæcumque beneficia Ecclesiastica, sæcularia ac regularia, cum cura vel sine cura &c. Diaconatus vel Presbyteratus Ordines requirentia; septennium illud à tempore pacificæ possessionis adeptæ computando: dummodò intra annum in Subdiaconos promoveantur. Eo etiam proviso, quòd dicta beneficia debitis propterea non defraudentur obsequijs, & animarum cura nullatenus negligatur. Datum Romæ an. CIↃ. CCCC. XXV. V. Idus Decembris.

Confirmavit EVGENIVS IV. an. CIↃ. CCCC. XLIII. Idibus Aprilis.

§. VIII. *Quod ijdem Magistri ac Scholares Beneficiati Ius Civile ac Medicinam discere & docere possint.*

INdulsit idem Pont. eodem anno & die, *quòd nimirum Doctores Leges ipsas legere, & alios actus Scholasticos in illis exercere, nec-non quilibet ex Scholaribus Leges huiusmodi usque ad decennium legere ac studere, in eis disputare, nec-non quosvis alios Scholasticos actus facere & exercere, ac Baccalaureatus & Licentiæ gradus, nec-non Doctoratus insignia, recipere liberè & licitè valeant.*

EVGENIVS verò, *Martini* successor, tempus decennij ad septennium reduxit. Et simile Privilegium ab eodem *Martino* an. CIↃ. CCCC. XXVI. V. Idus Septembris indultum personis Ecclesiasticis, Physicam sive Medicinam profiteri ac discere volentibus, ratum habuit ac confirmavit: ut quidem Doctores, Magistri, sive Legentes, absque præfinitione temporis, Scholares verò usque ad septennium, à tempore inchoati studij computandum, studere, legere, disputare, actus Scholasticos exercere, titulosque Academicos recipere valeant. Ex Diplomate dato Senis an. CIↃ. CCCC. XLIII. Idib. Aprilis.

§. IX. *Privilegium Nominationum Vniversitati concessum.*

SIXTVS IV. Pontifex, FERRICO CLVGNIACO, Legum Doct. S. Vitalis presbytero Card. qui tunc Ecclesiæ Tornacensi præerat, pro Maximiliano Archiduce Austriæ, Duce Brabantiæ &c. & Vniversitate Studij Generalis Lovaniensis, intercedente, Nominationum Privilegium indulsit an. CIↃ. CCCC. LXXXIII. IV. Kalen. Maij, concessâ facultate *Rectori eiusdem Vniversitatis, pro tempore existenti, de quinque Magistrorum, ad hoc in congregatione solita ipsius Vniversitatis deputandorum, consilio & assensu, nominandi singulis Prælatis, Capitulis, Conventibus & personis Ecclesiasticis utriusque sexus, sæcularibus & regularibus* &c. *ad quos, quas, vel quæ, beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet, cum cura vel sine cura, collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio, communiter vel divisim, pertinet; dummodò tamen plus quàm de sex beneficijs seu officijs disponere vel providere, aut ad illa præsentare, eligere vel nominare, seu alijs illa, quovis locorum fundata, conferre habeant: si Prælati, Prælatæ, aut aliæ singulares personæ, vitâ, Prælaturâ & administratione eorum durante, semel dumtaxat; si verò Capitula, Collegia vel Conventus fuerint, singulis viginti annis, unum*

Clericum

Clericum ex studentibus & graduatis dicta Universitatis, & in illa residentibus, qui ultra quadraginta florenos auri de Camera annuatim non habeat, vel qui ob paupertatem assequi gradum non potuerit. Taxa verò beneficij acceptandi præscribitur talis: *Cujus fructus, reditus & proventus triginta florenorum Rhenensium aureorum, secundùm communem æstimationem, valorem annuum non excedant* &c. Movit Pontificem, *quòd multi, qui assiduis laboribus ad summam Philosophiæ, divini humaniq; Iuris notitiam in præfato Studio pervenerunt, & tamquam fulgentia lumina in Ecclesia Dei resplendere possent & deberent, exactâ ætate sine præmio, sine honore, etiam paupertatem in senectute, quod durissimum est, tolerare cogantur, & pressi inopiâ, veluti inertes tristem vitam degant, in obscuro iacturam temporis & errorē suum mœsti conquerentes.*

Nominatus autē vigore hujus Indulti litteras nominationis de se factæ præsentare Prælatis, Capitulis, aut alijs Collatoribus debet: atque, ubi vacare beneficium aut officium aliquod Ecclesiasticum, quovis mense Apostolico vel ordinario, contigerit, illud vel per se vel per procuratorem suum, ad hoc specialiter constitutum, infra unius mensis spatium, postquam constiterit de vacatione, acceptare potest, impositâ Collatoribus necessitate omninò providendi nominato de hujusmodi beneficio. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus, per Sedem Apostolicam concessis, vel concedendis in posterum, aut Privilegijs, Principibus & nationi Germanicæ per eamdem Sedem indultis, nec non statutis & consuetudinibus Ecclesiarum contrarijs &c. Dati hujus Pontificij indulti Executores, S. Gertrudis & Parcensis B. Mariæ Abbates, ac Decanus Ecclesiæ S. Gudulæ Bruxellis: ratumque id esse jusserunt, & suum sortiri effectum, MAXIMILIANUS & PHILIPPUS, Austriaci, Duces Brabantiæ, an. CIↃ. CCCC. LXXXIV. Kalen. Novembris, non obstante Sanctione ac prohibitione suâ de non recipiendis in Belgio Bullis gratiarum seu provisionum Apostolicarum.

§. X. *Privilegium Nominationum Facultati Artium concessum.*

LEO X. anno CIↃ. IↃ. XIII. Kalen. Octobris, simile atque etiam uberius Privilegium Facultati Artium impertitus fuit, quippe quæ principium omnium aliarum sit scientiarum, & ex qua, velut ex fonte, ceteræ scaturiant. In hac autem Facultate cùm, præter Decanum, Receptorem & alios certos Officiales, quattuor pro tempore soleant esse Procuratores quattuor ejusdem Facultatis nationum, in quibus tota consistit Facultas, concessit idem Pont.

I. Quòd *Decanus, vel Vice-Decanus, dicta Facultatis pro tempore, de assensu & consilio Receptoris & Procuratorum, etiam pro tempore, quattuor nationum eiusdem Facultatis, per se, vel ad id ab eis, ob eorum absentiam, vel alias, ne nominationes differantur, substituendos, præstando, seu maioris partis eorumdem, possit singulis decem annis, Collegijs quidem, Capitulis & Conventibus quibuscumque semel; Prælatis verò Collatoribus, Collatricibus, & alijs singularibus personis, habentibus dispositionem etiam qualemcumque beneficiorum vel officiorum Ecclesiasticorum, in terris temporalis dominij Maximiliani & Caroli Ducis* &c. *nec non in civitate & patria Leodiensi, Comitatu Lossensi & Ducatu Bullonensi, in civitate Cameracensi & Comitatu Cameracesii, in civitatibus & diœcesibus Tornacensi, Morinensi & Atrebatensi, & in civitate Traiectensi consistentium,* &c. *bis seu duabus distinctis vicibus, vitâ, Prælaturâ & administratione eorum durante, unum ex Magistris in Artibus, qui inibi ex Facultate prædicta sex annis legerit seu rexerit, vel ob doctrinæ eminentiam ad docendum Logicam aut Physicam Aristotelis admissus, seu in illa novem annis promotus & graduatus fuerit, & de illius Concilio sit, vel aliquando extiterit, & qui ultra octuaginta florenos auri de Camera non habeat, perpetuis futuris temporibus nominare.*

II. Quòd *ita nominatus quodcumque beneficium seu officium Ecclesiasticum (cuius fructus, reditus & proventus sexaginta florenorum auri de Camera, oneribus deductis, valorem annuum secundùm communem æstimationem non excedant) quovis etiam mense, Apostolico vel ordinario, acceptare valeat.*

III. Non obstante, *quòd forsan alius priùs per Vniversitatem nominatus fuerit ad eamdem collationem; vel quòd ad nominationem dicta Vniversitatis Capitula, Collegia vel Collatores alicui providerint.*

IV. Quòd *nominatus per Facultatem Artium nominationem suam non teneatur insinuare Capitulis, Collegijs, Collatoribus* &c. *aut post acceptationem factam de beneficio seu officio vacante, Collatorem seu Capitula* &c. *requirere: sed quòd possit vigore nominationis, de persona sua facta, ab Executoribus de beneficio seu officio vacante sibi provideri facere plenariè auctoritate Apostolicâ, absque ulteriori requisitione ipsorum Collatorum* &c.

V. Si *contingat per Vniversitatem nominari aliquem Baccalaureum in Iure vel Medicina, per Facultatem verò Artium aliquem Magistrum eodem tempore, vel diversis temporibus, ad eamdem collationem, quòd præferri debeat nominatus per Facultatem, tamquam meritus & qualificatus.* Ceterùm *si utrobique contingat Artium Magistros, vel æquè qualificatos, nominari, tunc in casu concurrentia super acceptatione eiusdem beneficij, servandum esse ius commune, vel dispositionem Regularum Cancellaria, quoad prælationem seu præferentiam.*

VI. Quòd *soli residentes in dicta Vniversitate ius nominationum acquirere vel servare, & in locum decedentium seu mutantium residentiam, aut nominationibus*

tionibus cedentium, alij, toties quoties, per Facultatem nominari poßint.

VII. Quòd *Magister Artium, priùs per Vniversitatem nominatus, nihilominus per Facultatem Artium nominari valeat, etiam ad eamdem collationem, & utrâque nominatione gaudere & uti.*

VIII. Quòd *semel nominatus poßit secundò vel tertiò nominari, quamdiu ultra octoginta ducatos de Camera in annuis reditibus seu fructibus beneficiorum non habeat.*

IX. Quòd *iuniores Magistri eiusdem Facultatis, de quibus suprà non fit mentio, seu qui dictum tempus non attigerint, poßint per eamdem Facultatem nominari, & acceptare beneficia valoris in litteris prædecessoris* (Sixti IV.) *expreßi.*

X. Quòd *omnes sic nominati præferantur, & præferri debeant, quibuscumque alijs, etiam habentibus primarias preces, Regales & Imperiales, seu alias nominationes, etiam vigore quorumvis privilegiorum & indultorum Apostolicorum, quibuscumque alijs Studijs Generalibus, etiam Parisiensi, concessorum.*

ADRIANVS VI. Leonis in Cathedra successor, sollicitâ consideratione pensans (ut in Bulla legitur, quam, mortuo ante litterarum expeditionem *Adriano*, sub ejusdem diei datâ, nimirum XVI. Kalen. Julij an. CIↃ. IↃ. XXIII. publicavit *Clemens VII.* eodem anno, VI. Kal. Decembris) quòd per litterarum studia divini nominis & Fidei Catholicæ cultus protendatur, omnisque humanæ conditionis prosperitas augeatur; ac dignum, imò debitum censens, ut ea, quæ pro studiorum manutentione & incremento, & virorum doctorum, qui Lectionum laboribus & vigilijs pro aliorum institutione insudarent, sustentatione, providè concessa sunt, per suæ approbationis præsidium perpetuæ robur firmitatis obtinerent: Litteras *Sixti* & *Leonis*, prædecessorum suorum, auctoritate Apostolicâ approbavit atque innovavit, & pro potiori cautela de novo concessit; nempe, *ut seniores Artium Magistri beneficia vel officia Ecclesiastica, quorum sexaginta ducatorum auri de Camera; iuniores verò ea, quorum triginta florenorum Rhenensium aureorum großi fructus, oneribus non solùm perpetuis, personalibus & realibus, sed & pensionibus annuis, alijs personis super ijsdem beneficijs & officijs reservatis, & quibuscumque alijs oneribus, valorem fructuum, quos absens in studio aut alio loco privilegiato reciperet, diminuentibus, plenè & totaliter deductis, acceptare poßint.* Et *quòd tam seniores quàm etiam iuniores Artium Magistri, secundò, tertiò ac toties nominari, videlicet seniores, donec octuaginta; iuniores verò, donec quadraginta florenos auri de Camera in fructibus beneficiorum, aut certis annuis reditibus, oneribus modo priùs expreßo deductis, annuatim haberent,* &c.

CRE-

GREGORIUS XIII. an. CIↃ. IↃ. LXXII. Kalen. Martij, Philippo II. Rege Catholico, supplicante, nomine tam suo quàm Vniversitatis, quam asserebat *unicum præsidium & lumen Catholicæ Fidei in inferiori Germania existere*; prout etiam ipse Pontifex, *dictæ Vniversitatis multa esse in Fidem Catholicam & Sedem Apostolicam merita, Nobis*, ut ait, *& Venerabilibus Fratribus nostris, S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, non incognita*: privilegia, per prædecessores suos concessa & confirmata, cum omnibus & singulis suis clausulis, cautelis, decretis &c. approbando & quatenus opus de novo concedendo, ut majori gratiâ Vniversitatem afficeret,

I. *Reditum & proventum annuum beneficiorum, in Litteris* Sixti *expressum, ad eam summam, quam* Leo *prædecessor in suis Litteris, Facultat. Artium concessis, expressit, eadem auctoritate extendit: ita tamen, quòd fructus singulorum beneficiorum valorem annuum præscriptum* (juxta declarationem *Adriani* prædecessoris super hoc factam, porrigendo eamdem ad alias dictæ Vniversitatis Facultates) *non excedant. Et, si ad beneficia, quorum fructus, reditus & proventus maioris valoris fuerint, nominationes & alia prædicta* (acceptationes & collationes) *fiant, illa omnia nullius sint roboris vel momenti.*

II. Quòd *quicumque nominationes nunc & quandocumque habentes, aut prosequentes, earum iuri aut prosecutioni, sive simpliciter sive aliàs in cuiusvis favorem, nullatenus cedere possint.*

III. Quòd *qui ad beneficia, curam animarum habentia, nominati fuerint, non admittantur, nisi priùs ab Ordinarijs locorum prævio examine, absque concursu faciendo, fuerint approbati: quodq; in eis personaliter residere teneantur, nec se eo nomine excusare possint, quòd in dictis Vniversitate & Facultate Artium Scholares sint, seu docentes aut Magistri.*

Idem GREGORIUS Pont. alio suo Diplomate an. CIↃ.IↃ.LXXIII. prid. Non. Septembris, cùm circa insinuationem Nominationum orta esset dubitatio, ex eo, quòd in Bulla Sixtina contineretur, quòd nominati tenerentur ipsis Collatoribus nominationem de se factam præsentare seu insinuare, atque, ubi vacare beneficium contingeret, provisio illius peti ab Executoribus, in Litteris *Sixti* deputatis, non posset, nisi priùs ijdem Collatores ordinarij, ad id requisiti, vel parere litteris recusarent, vel per triduum negligerent differrentque conferre seu assignare beneficium; & quia hoc nominatis dispendiosum ac laboriosum existeret, & interea temporis alij in beneficia intruderentur vel intrudi possent: incommodis hujusmodi occurrere volens Pont. statuit & decrevit, *de cætero insinuationem seu præsentationem sufficienter factam*

factam intelligi debere, si fiat per litteras, ad valvas Ecclesiæ affixas, illarumq́ relictâ copiâ in loco solitæ residentiæ ipsorum Collatorum, si eorumdem Collatorum præsentia commodè haberi non possit &c.

Postremò PAVLVS V. an. CIↃ. IↃC. XVI. Kalendis Decembris, in Privilegio sive Diplomate Collationum, Decano & Facultati Artium concesso, taxam beneficiorum acceptandorum, extra patriam & diœcesin Leodiensem, in civitate Cameracensi & Comitatu Cameracesij, in Tornacensi, Morinensi, Atrebatensi civitatibus & diœcesibus, alijsque Alberti Archiducis dominijs consistentium, quantitatemque patrimonij augendo, Nos, inquit, *ut eamdem Artium Facultatem, ac etiam Vniversitatem, amplioris gratiæ favore prosequamur, taxam beneficiorum, ad quæ vigore Indultorum* Sixti, Leonis, Adriani, & Gregorij *fieri possunt nominationes, ad valorem sexaginta ducatorum in eisdem Indultis limitatam, usque ad ducatos centum auri de Camera augendam duximus: quantitatem verò patrimonij, aliàs per eadem Indulta ad summam annui reditus octuaginta ducatorum similium restrictam, usque ad ducatos centum & triginta similes respectu Magistrorum seniorum Facultatis Artium, ac etiam in sacra Theologia Magistrorum, Iurisq́ Canonici & Civilis ac Medicinæ Doctorum, nec-non Licentiatorum, de Consilio Vniversitatis existentium, augemus.*

Porrò Privilegium hoc Nominationum, cùm ejus executioni Collatores ordinarij sese opponerent, atque allegarent, suas eâ ratione collationes omninò enervandas, si usus privilegij simpliciter admittetur, ideo Placito seu Rescripto Principali certis legibus, restrictionibus ac modificationibus circumscriptum, approbatum & admissum fuit, primùm à *Carolo* V. Cæsare an. CIↃ. IↃ. XXXI. IV. Idus Maij; deinde à *Philippo* II. an. CIↃ. IↃ. LXXIII. X. Kalen. Octobris. Leges Concordati ac Placiti Carolini è Gallico ita ferè sonant.

I. Nemo vigore Indulti Apostolici nominetur ad beneficia in Belgio sita, nisi ex ijsdem provincijs oriundus, aut, si extraneus sit, nisi decem ipsos annos ibidem resederit, & studijs operam dederit, vel Principis ad hoc obtinuerit consensum.

II. Priusquam quis admittatur & recipiatur ad nominandum, affirmet solemniter, præstito ad hoc coram Decano aut Vice-Decano Facultatis Artium jurejurando, se in reditibus annuis bonorum sæcularium aut beneficiorum Ecclesiasticorum non possidere seu percipere summam octuaginta ducatorum auri de Camera: Et referantur ejusmodi juramenta in publicas tabulas: ad quas cuilibet sit aditus, ad eum finem, ut, si ex parte nominati sit defectus aliquis, is privetur jure & effectu suæ nominationis.

D III. No-

III. Nominatus intra mensem teneatur insinuare nominationem suam Collatori vel Collatrici, fixum in his Belgicis provincijs domicilium habenti: & quidem, si ad Episcopum nominatus fuerit, ipsi Episcopo, ejus Vicario, vel Officiali; si ad Abbatem, eidem Abbati vel Monasterio; si ad Capitulum, ipsi Capitulo, aut qui eidem præsunt; si ad alium Collatorem, personæ ejusdem, vel in loco suæ dignitatis seu beneficij ipsius Collatoris.

IV. Nominato, vigore Bullarum & provisionum Apostolicarum, cujuscumque conditionis existat, non liceat, vitâ & Prælaturâ Collatoris durante, vel, si ad collationes Capituli aut Collegij alicujus facta sit nominatio, decem annis elapsis, nisi unicum acceptare beneficium. Si tamen Collatori vel Collatrici alicui jus sit conferendi omnibus mensibus beneficia vel officia Ecclesiastica, tunc nominatus, vitâ & Prælaturâ ejus durante, intra decem annos unicum dumtaxat, ijsque elapsis, iterum aliud pro secunda vice, acceptare beneficium poterit. Sin fuerit Capitulum vel Collegium, ad illud singulis decennijs nominandi jus fasque esto.

V. Insuper nominato vi nominationis acceptare non liceat beneficia vel officia quæcumque Ecclesiastica, nominationi nostræ reservata aut juris nostri patronatus, nostrorumve vasallorum & aliorum subditorum laicorum; non etiam Archidiaconatus, Præposituras & Decanatus.

VI. Nominatus, cùm vacare beneficium contigerit, si quidem id in his acciderit provincijs, illud acceptare, si modò velit, intra mensem à die vacationis tenebitur, nisi eum probabilis excuset ignorantia. Sin extra has provincias vacatio ea acciderit, tenebitur quidem acceptare beneficium etiam intra mensem, sed à die, quo de vacatione constiterit in loco beneficij; acceptationemque intra alium mensem publicari in loco beneficij acceptati, & referri in publicas Facultatis Artium tabulas curabit.

VII. Quòd ad taxam attinet beneficiorum, quia ea obscura est, deliberatum & concordatum extitit, quicquid ratione beneficij percipi potest, imputandum in taxam, veluti oblationes, fundationes anniversarias, & ejusmodi alia jura, quæ quis studiorum caussâ absens in loco privilegiato recipere potest: maximè quando quæstio esset de beneficijs curatis, & id genus alijs, oneribus tamen rationabilibus priùs deductis.

VIII. Nominatio, quæ tempore alicujus Collatoris vel Collatricis non fuerit sortita effectum, ea ad onus successoris prima erit, tenebiturque

biturque nominatus eidem de novo insinuare & præsentare nominationem, ut suprà.

IX. Si quis ex caussa Nominationis transegerit cum aliquo, indeque percipiat vel pensionem aliquam vel pecunias, ratione expensarum debitas, Nominatio eo casu habebitur pro evacuata, & suum sortita effectum.

§. XI. *Privilegium Collationum in patria & diœcesi Leodiensi Facultati Artium concessum.*

IDem PAVLVS V. Pont. vitandarum litium caussâ, quæ super præfato Privilegio Nominationum, ejusque interpretatione atque executione, potissimum in patria, civitate & diœcesi Leodiensi inter Nominatos per Facultatem Artium, & Curiales, seu eos, qui in Curia Romana degunt, aliosque Provisos Apostolicos, moveri perpetuò solebant: utrisque suo nitentibus privilegio; Nominatis quidem contendentibus, nominationes suas esse validas, seque propterea legitimos beneficiorum possessores & contradictores, nec coram alio, quàm Conservatorum suorum tribunali evocari aut conveniri posse; Provisis verò, & præcipue Curialibus, provisiones similiter Apostolicas esse Canonicas, litterasque desuper expeditas coram Auditore Cameræ, vel alio Iudice seu Executore Apostolico, ubicumque residente, suum debuisse & debere sortiri effectum; & quia occasione ejusmodi contentionum quotidie magna oriebantur scandala: ideo revocato, atque extincto, etiam de consensu ejusdem Facultatis Artium, jure & facultate nominandi, loco ejusdem juris concessit jus seu facultatem conferandi beneficia, aliaque indulsit, prout latius in Diplomate.

I. Quòd *Decanus vel Vice-Decanus Facultatis Artium, de consensu Receptoris & Procuratoris quattuor nationum eiusdem Facultatis, per se, vel alios, ad id ab eis substituendos, præstando, seu maioris partis eorum, beneficia, cum cura & sine cura, sæcularia, in titulum Clericis sæcularibus conferri, & per Clericos sæculares regi & gubernari solita, in civitate, patria & diœcesi, etiam non patria, Leodiensi, pro tempore per obitum dumtaxat vacantia, etiamsi sint Canonicatus & Prabenda, Personatus, Administrationes & Dignitates, cuiuscumque qualitatis & valoris, non tamen maior post Pontificalem in Ecclesia Leodiensi, nec principalis dignitas in qualibet ex Collegiatis, civitatis, patriæ, & totius diœcesis, etiam non patriæ, Leodiensis; illa tamen, illos & illas, quæ in civitate, patria, & diœcesi, etiam non patria, Leodiensi, per obitum tan-*

tùm vacare contigerit in mense Ianuario & Novembri anni proximè venturi millesimi sexcentesimi decimi septimi, & unico mense, scilicet mense Novembri anni immediatè sequentis, & sic deinceps perpetuis futuris temporibus conferre valeat Magistris in Artibus, ibidem graduatis & residentibus, tam senioribus, quàm iunioribus, cuiuscumque patrimonij sint.

II. Quòd idem Decanus vel Vice-Decanus, respectu beneficiorum ita alternatim per obitum dumtaxat vacantium, *habeat plenum ius & facultatem conferendi & immittendi suos provisos in possessionem beneficiorum: & gaudeat Concordatis, inter Sedem Apostolicam & nationem Germanicam initis, alijsq; iuribus, quibus gaudent ceteri Collatores eiusdem patriæ Leodiensis.*

III. Quòd *beneficia in prædictis mensibus, Decano vel Vice-Decano Facultatis Artium aßignatis, per obitum vacantia, non comprehendantur in primarijs Precibus, etiam Regalibus & Imperialibus, alijsq; indultis Apostolicis, nec ad illa poßint fieri illorum vigore aliqua nominationes, nec acceptationes.*

IV. Ad tollendas contentiones jurisdictionum, quæ inter Executores seu Iudices Apostolicos ac Conservatores Privilegiorum dictæ Vniversitatis super cognitione caussarum quoad prædicta beneficia de cetero exoriri possent, declaravit idem Pont. *cognitionem & decisionem caussarum super beneficijs in mensibus, Facultati Artium, ut præmittitur, aßignatis, de cetero movendarum, spectare & pertinere ad Conservatorem vel Conservatores prædictæ Vniversitatis* &c.

V. Sin contingat oriri controversiam, *an eadem beneficia vacaverint in aliquo ex duobus vel uno mensibus, succeßivè eidem Facultati Artium, ut suprà, aßignatis, vel potiùs in aliquo ex mensibus, cuilibet ordinario Collatori, iuxta Concordata inter Sedem Apostolicam & nationem Germanicam aliàs inita, aßignatis, tunc cognitionem spectare, prout antea spectavit, ad Conservatorem* &c.

VI. Quòd denique *in opido Traiecti ad Mosam, diœcesis Leodiensis, fiant de cetero nominationes ad Canonicatus & Præbendas ac beneficia Collegiatæ Ecclesiæ S. Servatij; Collationes verò de Canonicatibus & Præbendis ac beneficijs alterius Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ eiusdem opidi* &c.

VI. FA-

VI. FASTI RECTORALES:

Quotquot ab origine Academiæ supremum hunc honorem LOVANII *gesserunt.*

De Natali Academiæ, deque Privilegiis, quibus eamdem exornare ab initio ac stabilire placuit cùm summis Pontificibus, tum etiam Principibus nostris Brabantiæ Ducibus, dixisse obiter suffecerit. Deinceps, quod potissimùm nostri est instituti, designemus Fastos Virorum in Vniversitate ac quolibet Studio sive Facultate, ut vocant, doctrinâ titulisque illustrium, atque à capite, id est Rectore Magnifico, initium ducamus: de quo operæ pretium fuerit audire alios loquentes ac scribentes, atque in primis Adrianum Barlandum, Rhetorem Academicum, De insignioribus Germaniæ inferioris opidis: Schola, inquit, Lovaniensis *unum habet caput seu principem, cui omnes pareant necesse est.* Rectorem *vocant: cuius officium est ius dicere, & maleficij reos Scholasticos pœnis afficere. Cùm in publicum prodit, ante eum it Accensus, quem Bedellum, recepto illic vocabulo, appellant: ponè sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc apparet, quòd* Consules, *Magistratus, &* Clarissimi *quique viri, denique omnium dignitatum gradus, Academiæ Principi assurgant, & decedant de via. Exeunti ad comitia, quæ certis anni temporibus indici solent, plures Accensi ante-ambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Est hæc semestris dignitas, quemadmodum apud* Romanos *olim Dictatura fuit sex dumtaxat mensium.* Hæc ille: quibus subnectere lubet, quæ de eodem Vniversitatis Principe scripsit I. Lipsius in sua Lovanii Descriptione lib. III. c. 3. Rector, inquit, *à Senatu Academico creatur, idq; singulis semestribus, ut nunc res habet. Antea reperio trimestrem modò dignitatem fuisse, atque id durasse ad annum* CIↃ. CCCC. XLVI. *id est per viginti circiter annos. Magna est hæc dignitas, & splendorem ei dant* Accensi sive Bedelli, *ut vocant: quorum unus, prælato grandi argentea sceptro, semper præcedit & ducit, famulis sequentibus. Interdum & octo præeunt*

sunt, cum suis quisque sceptris, sed in solemni Processione, aut die Festo. Obvertunt omnes ora, venerantur & cedunt: atque alius quivis honor fasces huic submittit. Dicamne etiam? sed narrantium fide. Aiunt CAROLUM V. *Imp. illum verè Augustum, cùm fortè hîc esset, loco cessisse, & latus Rectori texisse. Magna humanitas, si non debuit; magna, etiamsi debuit. Ampliùs, insigne potestatis purpuram gestat, & in humeros extensam epomidem rejicit, cuius oræ pellibus variegatis prætexuntur. Caputium vocant; nec abs re: nam olim caput eo velare solent, & sic gestare. Hoc palàm liquet ex Pontificio Diplomate, in quo Rector describitur & ornatur* (fallitur hîc Lipsius, ut illud obiter notem; scribere enim debuit, non ex *Pontificio Diplomate*, sed ex *Instrumento creationis primi Rectoris* :) *estq; à Principum imitatione & exemplo, quorum talis ille olim cultus. Hic Rector, ut tetigi, ius omne in Scholasticos habet, caussas audit, decidit, mulctat, punit. Cui rei* Promotor *etiam est (sic Prætorem nostrum appellamus :) qui iubente aut consentiente Rectore, neque aliter, manus injicit, in custodiam & vincula etiam ducit. Grandioris noxæ convictos punit, vel capite, si visum est, sed rarò visum : & omnis ista Iudiciorum severitas in pecuniarias ferè mulctas desinit; mitigatq; crimen vel ætas adolescentia, vel & favor, qui studijs debetur.* Hæc Lipsius. Notat verò Nic. Vernulæus, dum eamdem Academiam describit, lib. I. cap. VI. annum CIↃ. IↃ. XLV. quo *Carolus* Imp. *Iudoco Ravesteinio*, Tiletano, S. Theol. Licent. tunc Rectori, latus texerit. Idem eodem loco annum designat CIↃ. IↃ. LXXVI. quo *Gerardus de Groesbeeck*, Episcopus & Princeps Leodiensis, & *And. Gaillius*, Rudolphi II. Imp. ad Belgas Legatus, Rectoris latera utrimque cinxerint.

Negari ergò *non potest* (inquit Nicolaus Everardus, inter prima Academiæ hujus lumina, in Locis suis Legalibus, Loco CXVI. de tamquam seu respectivis,) *quin Rector Vniversitatis sit caput Vniversitatis, & non Episcopus loci vel diœcesis, à cuius iurisdictione Rector & omnes de Vniversitate per speciale privilegium sunt penitùs exempti. Et ex consequenti videtur Rector præferendus in sessione etiam Episcopo loci vel diœcesis, qui interest Actui celebrando in Vniversitate, non ut Scholaris, sed ut Episcopus. Et ita*, inquit, *observari vidi, si rectè memini in quodam Actu solemni tempore* D. Ioannis de Horne, *Episcopi, dum vixit, Leodiensis.*

Cui conformiter anno CIↃ. IↃ. LXXXVIII. die XXIII. Iunij deliberavit & resolvit casu occurrente Vniversitas, dum præsentes hîc essent Illustriss. & Rev.mi *Octavius* Episc. Calatinus, Nuntius Apostolicus, & *Ioan. Hauchinus*, Archiepisc. Mechliniensis loci Ordinarius, scilicet Nuntio Apostolico ubique primum & honoratiorem locum concedendum; ut & loci Ordinario in omnibus, præterquà in Actibus Scholasti-

Scholasticis: in his verò omnibus D. Rectori honoratiorem locum debitum esse. Item anno CIↃ. IↃC. die XVII. Apr. *Matthia Hovio* similiter loci Ordinario in Licentia nepotis sui primus locus ex latere Theologorum concessus fuit, cum acta tamen non præjudicij.

Ausi quidem fuerunt an. CIↃ. IↃ.LXXI. *Stephano Craisbequio*, & an. CIↃ. IↃ.LXXVIII. *Ioan. Molano* Rectoribus, in Supplicatione seu Processione publica contrarium attentare, ex mala quorumdam suggestione, duo urbis Gubernatores, *Odoardus de Bournoville*, Dom. de Cappres, & *Claudius de VVitthem*, Eques, Dom. de Ruysbroeck, quasi ipsi gubernarent regerentque & civitatem & Vniversitatem; verùm honestè & graviter moniti, ab attentato ilicò destiterunt.

Eligi Rector solet, facto compromisso in quinque Facultatum Deputatos, quos *Intrantes* vocant; isque in aliqua Facultate biretatus seu Doctor, & Clericus, qui, si necessum fuerit, fulmen Excommunicationis in contumaces, aut non parentes decretis possit exserere (quam potestatem illi fecit Alexander VI. Pont. ut constat ex Diplomate Romæ dato an. CIↃ. IↃI. XV. Kalen. Ianuarij, & in Clericos studiosos jurisdictionem exercere; non conjugatus, non bigamus, non Religiosus, satis locuples & dives, qui se duosque ministros honestè exhibere possit: & talem sese electuros Intrantes antè juratò promittunt. Idque juxta ordinem Facultatum; nisi Facultas, ex qua eligendus venit Rector, personam ad hoc idoneam non habeat: cui tunc permittitur supplicare Vniversitati, uti Intrantibus faciat potestatem postulandi Rectorem ex alia Facultate. Electione seu postulatione legitimè factâ, qui Rectoratu defungitur novum Rectorem (accepto priùs ab eo juramento, *quòd scilicet fideliter & diligenter officium Rectoratus Vniversitatis Lovaniensis exercebit, juxta Statuta eiusdem edita & edenda, ac aliàs, quemadmodum sibi pro bono Vniversitatis expedire videbitur &c.*) per sigilli Rectoratus & aliorum ad hujusmodi officium pertinentium traditionem & Caputij in humeros impositionem investit. Postea Rector solus è sua Facultate nominat Vice-Rectorem, cujus nullæ sunt partes, nisi Rectore absente. Et notat Præses Everardus in Loco CXXII. Avi surrogationis, *quòd Rector præclara Vniversitatis Lovaniensis non posset in sua absentia substituere vel loco sui surrogare conjugatum, cùm talis ab initio ex statuto ad dignitatem Rectoralem eligi non possit. Ille tamen, qui fuit legitimè electus Rector, si postea durante Rectoratu ducat uxorem, non perdit dignitatem Rectoralem. Multa enim impediunt facienda, quæ non tollunt iam facta. Et ita*, inquit, *observari vidi in persona præclarissimi Senatoris* D. Petri l'Apostole, *Doctoris I. V. peritissimi.* Vxorem quoque duxit, nondum finito Recto-

Rectoratu, *Hermes de VVinghe*, I. V. D. pòst Cæsari à secretorioribus Consilijs & à Libellis, an. CIↃ. IↃ. XXXVI. VI. Non. Decemb. deinceps Vice-Rectore munus ejus explente.

Primus verò à MARTINO V. Pont. in Bulla Erectionis per quinquennium nominatus fuit Rector *M. Gulielmus Nepotu*, Iuris Canonici Baccalaureus, Ecclesiæ D. Petri Scholasticus. Qui tamen anno CIↃ. CCCC. XXVI. VIII. Idus Septemb sponte cessit juri ac privilegio suo quoad quinquennium, illudque transtulit in Doctores ac Magistros, Vniversitatem Studij novelli tunc repræsentantes, nimirum *Ioannem de Groesbeeck*, Legum, *Nicolaum de Prumea*, Iuris utriusque, *Ioannem de Neele*, Medicinæ, Doctores; *Gerardum de Bruyn*, Artium Magistrum, & Iuris Canonici Baccal. Decanum Ecclesiæ S. Petri, *Henricum de Mera*, Decretorum Licentiatum, *Godefridum Cromme*, *Ioannem de Tuldel*, *Ioannem Rodolphi*, aliàs *Flamingi*, de Aldenardo, *Petrum de Renesse*, *Ioannem Stockelpot*, *Godefridum de Gompele*, *Ioan. Keerman* & *Amelricum de Sichenu*, Artium Magistros, ac *Ioannem de Platea*, aliàs *de Lira*, Iuris Canonici Baccal. (quem invenio primum ejusdem Iuris in Academia Lovaniensi renuntiatum fuisse Licentiatum anno CIↃ. CCCC. XXVII. VIII. Kalen. Septembris:) dummodò ipse in primum adsumeretur Rectorem, resignaturus eamdem dignitatem, aut ultrò, vel eo tempore, quod illi Vniversitas in Statutis præscriberet. Placuit itaque præfatis Doctoribus & Magistris, eumdem *Gulielmum* Scholasticum sic adsumi & recipi in Rectorem. In cujus rei signum traditum & impositum fuit capiti illius *caputium cum pennis de vario foderatum*, ut legitur in Instrumento creationis primi Rectoris. Actaque sunt ista in Curia sive Domo Consulatus, anno, mense, die supradictis.

Anno verò sequenti CIↃ. CCCC XXVII. prid. Kalen. Iunij, resignato in manus Vniversitatis officio Rectoratus, electus fuit *Ioannes à Groesbeeck*, Legum Doctor, & sic deinceps, primò quidem per annos aliquot singulis trimestribus, pòst singulis semestribus, ad quod tempus continuari hodieque Rectores alioqui trimestres solent: idque per singulas Facultates, nimirum *SS. Canonum*, *Legum*, *Medicinæ* atque *Artium*: quibus deinde an. CIↃ. CCCC. XXXIII. accessit Facultas *S. Theologiæ*.

Hæ Facultates Senatum sive Magistratum quemdam constituunt Academicum; & singulæ suum habent Decanum. Cum Decanis ut Deputatis ordinarijs (quibus postmodùm accessere Dictator & Advocatus Fiscalis) deliberat de Academiæ negotijs Rector: quæ si majoris negotij videantur, plerumque remitti solent ad Concilium

Vniver-

Vniversitatis, & ab eo committi examinanda ac terminanda iisdem Decanis ac Deputatis. Quibus nonnumquam & alij extra ordinem adjungi solent, judicio Rectoris adsumendi. Olim quoties de negotijs arduis, quæ totam Vniversitatem, id est omnia & singula Supposita, concernerent, agendum erat, indici solet Congregatio generalis, idque per monitorium generale sive edictum publicum, hac vel simili formulâ: *Rector & Vniversitas Studij Generalis Lovaniensis exhortantur, monent & requirunt omnes & singulos, Prælatos, Abbates, Doctores, Nobiles, Licentiatos, Magistros, Canonicos, Priores Conventuum, Plebanos, Presbyteros, Scholares, ac alios quoscumque incorporatos & eidem Vniversitati attinentes, quatenus die N. horâ N. intersint generali Congregationi omnium & singulorum Suppositorum, ad audiendum aliqua proponi nomine & ex parte eiusdem Vniversitatis, concernentia bonum, honorem & privilegia Vniversitatis: & hoc sub pœna præstiti iuramenti & gravissimæ indignationis ac læsionis ipsius Vniversitatis. Datum &c.* Ita factum anno CIↃ. CCCC. LVI, die XXIII. Decemb. occasione controversiæ, quæ tunc erat Vniversitati cum opido Lovaniensi, præsentibus in ipsa Congregatione *D. & M. Goswino* Cancellario Brab. & *Nicolao Cloppel* Consiliario. Similis generalis convocatio & congregatio indicta & habita fuit an. CIↃ. CCCC. LXXVII. mensis Ianuarij die II. ad instantiam Cancellarij Burgundiæ & primi Præsidis Parlamenti, qui in dicta Congregatione ex parte Principis proposuerunt, certas reformationes & ordinationes perpetuas circa defectus in regimine & exercitijs Vniversitatis, esse conceptas, quas ibidem per *Nicolaum de Grutere* publicè lectas petierunt per Vniversitatem recipi, admitti, & perpetuis futuris temporibus observari.

Ad Concilium autem Vniversitatis liberè & absque contradictione admitti possunt omnes superiorum Facultatum Doctores: item Licentiati, non etiam Baccalaurei in utroque vel altero Iure non biretati. Vt neque Magistri Artium, nisi per triennium promoti fuerint, aut per biennium in Facultate Artium aut in Pædagogio aliquo vel Vico legerint. Ita anno CIↃ. CCCC. XXXIX. mensis Augusti die XIII. compromisso facto à Facultatibus I. V. Artiumque in *Ioannem Bont*, Cancellarium Brabantiæ, convenit inter easdem Facultates.

Porrò Concilium Senatumve Academicum coire jubet idem Rector, idque judicio Deputatorum, si extra ordinem. Nam & ordinaria sunt Comitia, quæ certis statisque anni temporibus indicuntur, quibus eligitur Rector, nimirum singulis semestribus, prid. Kalen. Martij & Septembris, vel continuatur, ut plerumque fit, prid. Kalen. Iunij & Decembris.

Locus certus habendis hujusmodi Comitijs ab instituta Academia deputatus non fuit; nisi quòd electio Rectoris fieri hactenus consuevit apud Dominicanos: apud quos & anniversaria haberi solita commemoratio pro Academiæ Fundatoribus ac Benefactoribus, postridie Animarum fidelium, id est III. Nonas Novembris, & officiorum abdicatio resignatioque in Rectorem atque Vniversitatem, à Notarijs utriusque Curiæ, Rectoralis & Conservatorialis, Promotore, Bedellis, Procuratoribus, ceterisque Officiatis, postridie D. Thomæ, id est XI. Kal. Ianuarij. Denique solemnis conventus est, qui quotannis ipsis Kal. Octobrib. indici & haberi apud Augustinianos solet: quo die post habitam publicè de Scientiarum laudibus Orationem, publicantur Statuta Vniversitatis, Lectionesque eo anno per singularum Facultatum Professores habendæ. Ab instaurata verò an. CIↃ. IↃC. XXXV. Curia Academica, quam vulgò Audientiam vocant, Vniversitas locum illum deputavit Comitijs omnibus, cùm ordinarijs tum extraordinarijs: electoque vel continuato Rectore, item publicatis Statutis ac Lectionibus, Officium Missæ auspicale (ut & anniversarium pro Benefactoribus Academiæ) in Ecclesia collegiata D. Petri celebrat Decanus ejusdem Ecclesiæ. In eadem Curia Rector, ut Iudex ordinarius bis hebdomadatim, diebus Martis & Veneris, aut cùm à studijs feriæ sunt semel tantùm, pro tribunali sedere solet, & vel per se, vel per Assessorem suum, unum vel plures, de caussa cognoscere, jusque dicere. Quòd si Rector judicando errasse aut malè & perperam judicasse dicetur, errorem illum corrigit ipsa Vniversitas, id est quinque Iudices Appellationum, qui Vniversitatem repræsentant, (quosque Vniversitas eam in rem ab ipsa sui origine, singulis semestribus, quoties novus eligitur Rector, ex qualibet Facultate nominare & deputare solet) coram quibus, seu majori parte eorumdem, omnibus tamen vocatis, Rector sententiam suam justificare tenetur. Ab his ad Sedem Apostolicam provocatio est. Est quidem etiam penes singulas Facultates, quòd ad regimen Scholarum attinet, quædam jurisdictio; unde qui Collegium ordinarium alicujus Facultatis constituunt, diriguntque studia suorum Scholarium, dicuntur Legentes & Regentes, & jus condendi Statuta habent: verùm extra regimen Scholæ notio omnis jurisdictioque caussarum omnium soli competit Rectori, quem & solum Iudicem suum Scholares agnoscunt. Idque non unâ ratione; in primis favore studiorum, ne si ad alia trahantur tribunalia, distrahantur à studijs: tum etiam exemplo militum, quibus ex privilegio speciali & suus est judex: tum denique, ut è gremio Academiæ electus

Iudex

Iudex sit velut pater & defensor studiosorũ, quippe in quos ei tantùm moderata mitiorque, non etiam acerbior, sit mandata jurisdictio; quod & praxis hujus aliarumque Academiarum admisit: qua de re videndus Alfonsus de Escobar in Prologo Tract. De Pontificia & Regia Iurisdictione in Studijs Generalibus &c. Nunc porrò Fastos texamus Rectorales.

Series Rectorum trimestrium.

GVilielmus Nepotis, Iuris Canonici Baccal. & Ecclesiæ D. Petri Scholasticus.

Ioannes à Groesbeeck, Legum Doctor & Professor, cIↄ. cccc. xxvii.

Ioannes de Neele, Medicinæ Doctor & Prof.

Gerardus de Bruyn, Decretor. Baccal. Decanus Ecclesiæ S. Petri.

Radulphus de Beringhen, Decretor. Licentiatus.

Daniel de Blochem, Legum Baccal. creatus Licent. an. cIↄ. cccc. xxix. die xxix. Ianuarij.

Henricus Custodis, de Oosterwyck, Med. Doctor & Prof.

Ioannes de Hasselt, primus Ethices Professor in Facult. Artium.

Nicolaus de Prumea, I. V. Doctor & Prof.

10. *Henricus Brunonis de Piro*, Leg. Doctor & Prof.

Henricus Custodis, de Oosterwyck, Med. D. II.

Ioannes Rodolphi, aliàs *Flamingi*, I. V. Baccal.

Henricus de Mera, Decret. D. Decanus Eccl. S. Petri, cIↄ. cccc. xxx.

Ioannes de Susantlegier, Leg. Licent.

Ioannes de VVesalia, Med. D. & Prof.

Petrus de Renesse, Artium M. Legum Licent.

Nicolaus de Prumea, I. V. D. II.

Henricus Retheri, dictus *Tserenhooft*, Leg. D. & Prof.

Ioannes de Neele, Medicinæ D. II.

20. *Ioannes de Voerda*, Decret. Licent.

Arnoldus de Reysenaelde, Decret. D. & Prof.

Ioannes Lichton, Scotus, I. V. Baccal. cIↄ. cccc. xxxii. ult. Maij.

Ioannes Stockelpot, Medicinæ Licent.

Ioannes Block. Fuit primus Rhetor Academicus.

Nicolaus Midy, S. Theol. Prof. primus ex Facult. Theol. an. cIↄ. cccc. xxxiii. prid. Kal. Martij.

Arnoldus de Reysenaelde, Decret. D. II.

Ioannes de Groesbeeck, Decret. D. II.

Ioannes de VVesalia, Medicinæ D. II.
Antonius Haneron, Decret. D. Fundator Collegij S. Donatiani.
30. *Iacobus de Vinea*, S. Theol. Baccal. Formatus.
Arnoldus de Reysenaelde, Decret. D. II.
Ioannes Aurifabri, vulgò *l'Orfevre*, Decret. Baccal. Legum Licent.
Henricus Scatter, Medicinæ D. CIↃ. CCCC. XXXV. 26. Febr.
Nicolaus Lamberti, de Valkenisse.
Heimericus de Campo, S. Th. Prof.
Ludovicus de Garsiis, I. V. D. & Prof.
Ioannes Guilbaut, Archidiac. Oosterbantiæ in Ecclesia Atrebatensi.
Sebertus de Neele, Med. D. & Prof.
Ioannes de Stembier, Leodius, Decret. Licent. & Legum Baccal.
40. *Andreas Horenbort, de Capella*, Decret. & S. Th. Baccal.
Henricus de Mera, Decret. D. II.
Ioannes de Gronsselt, Legum Doctor & Prof.
Ioannes de Neele, Med. D. III.
Henricus de Loe, S. Th. Baccal. primus Institutor & Regens Pæd. Porci.
Heimericus de Campo, S. Th. Prof. II.
Ludovicus de Garsiis, I. V. D. II.
Ioannes de Gronsselt, Leg. D. II.
Ioannes de VVesalia, Med. D. III.
Hermannus Brant, Decret. Baccal. Parisiensis.
50. *Heimericus de Campo*, S. Th. Prof. III.
Guilielmus Bont, Lovaniensis, I. V. D. & Prof.
Antonius Laecman, Zonnius, Decret. Licent. & Legum D.
Nicolaus Lamberti, de Valkenisse, Med. Doctor, II. ult. Febr. CIↃ. CCCC. XL.
Guilielmus de Eechaute, Artium M.
Henricus de Dunghen, S. Theol. Baccal.
Ioannes de Reysen, Decret. Doctor. Cui Heidelbergam, unde venerat, petenti suffectus fuit anno CIↃ. CCCC. XLI. die IX. Ianuarij
Ioannes Rodolphus, Decret. Licent. II.
Ioannes Rym, Decret. Baccal. & Leg. Licent.
Ioannes Sucquet, Medicinæ Licent.
60. *Godefridus de Gompel*, de Desschel, Regens & Fundator Pæd. Castri.
Andreas Horenbort, de Capella, S. Th. Prof. II.
Conradus de Mera, Eques, I. V. D. & Prof.

Ioannes

Ioannes de Gronsselt, Legum D. II.
Adamus Bogaert, de Dordraco, Med. D. & Prof.
Ioannes Vuidoe, aliàs *de Herck*, Regens Pæd. Porci.
Heimericus de Campo, S. Th. Prof. IV.
Guilelmus Bont, I. V. D. II.
Generosus *D. Dionysius de Montmorency*, Legum Licent. promotus an. CIↃ. CCCC. XXXVII. Maij XII. Fuit Canonicus & deinde Decanus Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis. Obijt. an. CIↃ. CCCC. LXXIV. die XXIII. Aug.
Ioannes Stockelpot Med. D. II.
70. *Georgius Bourgensis*, de Cameraco, Legum Licent. Decanus ad S. Ioannem Leodij.
Ioannes Varenacker, Plebanus S. Petri & S. Th. Prof.
Conrardus de Mera, I. V. D. II.
Gerlacus Bont, Lovaniensis, Legum D.
Ludovicus de Vettere, Diestensis, Med. D.
Andreas Colin, de Furnis, Decret. Licent.

Series Rectorum semestrium.

ANdreas Horenbort, de Capella, S. Th. Prof. electus tertiùm Rector anno CIↃ. CCCC. XLV. prid. Kal. Octob. continuatus fuit eodem anno prid. Kal. Decemb. Hincque Rectores cœperunt esse semestres.
Radulphus de Beringhen, Decret. D. II.
Ioannes de Gronsselt, Legum D. IV.
Ioannes Sucquet, Medicinæ D. II.
80. *Carolus Viruli*, Iuris Canonici & Med. Baccal. Fundator & primus Regens Pædagogij Lilij.
Heimericus de Campo, S. Th. Prof. V.
Guilielmus Bont, I. V. D. III.
Gerlacus Bont, Legum D. II.
Adamus Bogaert, Medicinæ D. II.
Gerardus Sprunck, de Harlem, S. Th. Baccal. Formatus.
Ioannes Varenacker, S. Th. Prof. II. CIↃ. CCCC. L. prid. Kal. Sept.
Radulphus de Beringhen, Decret. D. III.
Antonius Laecman, Legum D. II.
Ioannes Stockelpot, Med. D. III.
90. *Henricus de Ghestel*, S. Th. Baccal. Obijt Decanus Machliniensis.

Heimericus de Campo, S. Th. Prof. VI.
Balduinus Henrici, de Zierixee, Decret. D.
Ioannes de Gronsselt, Leg. D. V.
Adamus Bogaert, Med. D. III.
Leonardus Kriecke, Bruxellensis, S. Th. Baccal. CIↃ. CCCC. LV. Febr.
Ioannes Ruysche, Machliniensis, S. Th. Prof.
Ioannes de Lizura, Decret. D. Præpositus Moguntinus.
Ioannes de Gronsselt, Leg. D. VI.
Ioannes Spierinck, Medicinæ D.
100. *Petrus de Rivo*, S. Th. Baccal.
AEgidius Bailloeul, S. Th. Prof.
Balduinus Henrici, Decret. D. II.
Gerlacus Bont, Legum D. III.
Adamus Bogaert, Med. D. IV.
Ioannes de Cloetinghen, S. Theol. Licent. CIↃ. CCCC. LX. ult. Febr.
Ioannes Varenacker S. Theol. Prof. III.
Balduinus Henrici, Decret. D. III.
Ioannes de Papenhoven, Legum Licent.
Ioannes Spierinck, Med. D. II.
110. *Ioannes de Vuellis* cognomento *Peymans*, Med. Baccal.
Henricus de Zoemeren, S. Th. Prof.
Robertus de Lacu, Gandensis, I. V. D.
Ioannes de Gronsselt, Legum D. VII.
Adamus Bogaert, Med. D. V.
Carolus Viruli, Decret. & Med. Baccal. II. CIↃ. CCCC. LXV.
AEgidius Bailleoul, S. Theol. Prof. II.
Petrus Boet, Decret. Licent.
Ioannes de Papenhoven, Leg. D. II.
Ioannes de Vuellis, Med. D. II.
120. *Reinerus Rotarius*, Leodiensis, Regens Pædagogij Castri.
Gaspar de Kinschot, de Turnhout, S. Th. Baccal. Regens Pæd. Falconis.
Guilielmus Arnoldi, de Delft, I. V. D.
Nicolaus Blyen, Legum D.
Adamus Bogaert, Med. D. VI.
Nicolaus de Mera, de Trajecto, Regens Pæd. Porci.
Ioannes Varenacker, S. Th. Prof. IV. CIↃ. CCCC. LXX. ult. Aug.
Robertus de Lacu, I. V. D. II.

Gerlacus

Gerlacus Bont, Legum D. IV.
Ioannes de Vuellis, Med. D. III.
130. *Henricus Stoep*, Art. M. & Legum Baccal.
AEgidius Bailloeul, S. Theol. Prof. III.
Ioannes de Thimo, Decret. Licent.
Nicolaus Kant, Antverp. Legum Licent.
Adamus Bogaert, Med. D. VII.
Nicolaus de Pannetier, Binchienſis, I. V. Baccal. Regens Pæd. Falconis.
Nicolaus Hellis, de Dunckerca, S. Th. Prof. CIↃ. CCCC. LXXV. ult. Aug.
Robertus de Lacu, I. V. D. III.
Nicolaus Blyen, Legum D. II.
Petrus de Rivo, S. Th. Prof. II. poſtulatus à Facult. Med.
140. *Lottinus Viruli*, Canonicus Eccl. S. Petri.
Petrus de Rivo, S. Th. Prof. III.
Theodoricus de Viridi Valle, Decret. Licent.
Ioannes vander Neele, Leg Licent.
Ioannes Spierinck, Med. D. III.
Nicolaus de Mera, II. CIↃ. CCCC. LXXX. ult. Febr.
Nicolaus Hellis, S. Theol. Prof. II.
Hugo de Hove, Vltrajectinus, I. V. L.
Arnoldus VViemerſſche, de Aldenardo I. V. D.
Ioannes Moeſelaer, S. Theol. Baccal. poſtulatus à Facul. Med.
150. *Nicolaus Viruli* Artium M.
Ioannes Moederloes, S. Th. Prof.
Guilielmus Arnoldi, I. V. D. II.
Ludovicus Roelants, Lovanienſis, I. V. D.
Ioannes Inchy, aliàs *de Vallibus*, Med. D.
Hugo de Nova Eccleſia, S. Theol. Baccal. CIↃ. CCCC. LXXXV. ult. Febr.
Ioannes Bourgeois, à Montibus, S. Th. Prof.
Ioannes Noyens, ſive *Nouts*, de Turnhout, I. V. D.
Ioannes Gouſſeti, Burgundus, I. V. D.
Gaſpar AEgidij, Leodienſis, Med. D.
160. *Balduinus Guilielmi*, Delfenſis, S. Th. Baccal. Regens Falconis.
Nicolaus Hellis, S. Th. Prof. III.
Conradus de Sarto, Decret. Licent.
Petrus de Thenis, Lovanienſis, I. V. D.

Ioannes

Ioannes Inchy, aliàs *de Vallibus*, Med. D. II.
Nicolaus de Mera, Præpositus Ecclesiæ collegiatæ B. Mariæ Namurcensis, III. CIϽ.CCCC. XC. penult. Febr.
Ioannes Bourgeois, S. Th. Prof. II.
Henricus Deulin, de Minorivilla. Decret. D.
Simon de la Valle, Montisferratensis, I. V. D.
Gaspar AEgidij, M. D. II.
170. *Nicolaus Pannetier*, S. Th. Baccal. II.
Adrianus Florentij, de Trajecto, S. Th. Prof. pòst Pont. Max.
Ioannes Godefridi, de Scondee, aliàs *de Vuemelinghen*, I. V. D.
Florentius Oom de Vuingaerde, I. V. D.
Gaspar AEgidij, Med. D.
Gualterus de Beka, Decret. Licent.
Nicolaus Hellis, S. Th. Prof. IV. CIϽ.CCCC. XCV.
Petrus l'Apostole, I. V. D.
Petrus de Thenis, I. V. D. II.
Gaspar AEgidij, Med. D. IV.
180. *Gislenus Lodyck*, de Poperingis, S. Th. B.
Ioannes Moederloes, S. Th. Prof. II.
Theodoricus de Viridi Valle, Decret. D. II.
Gabriel de Mera, Bredanus, I. V. D.
Leo Outers, de Hondischota, Decret. Licent. Regens Lilij, postulatus à Facult. Med.
Guilielmus Ioannis Lamberti de Vianen, S. Th. B.
Adrianus Florentij, S. Th. Prof. II. CIϽ. IϽ. ult. Aug.
Petrus l'Apostole, I. V. D. II. inde Consiliarius Machlin.
Gualterus de Beka, I. V. D. II.
Iacobus Bogaert, Med. D.
190. *Leo Outers*, Decret. Licent. II.
Ioannes Bourgeois, S. Th. Prof. III.
Ioannes Godefridi de Vuemelinghen, I. V. D. II.
Nicolaus Everardi, à Middelburgo, I. V. D. pòst Præses Machlin.
Iacobus Bogaert, Med. D. II.
Theodoricus Thomæ, de Amstelredamis, Regens Porci.
Ioannes Briaert, ab Atho, S. Th. Prof. CIϽ. IϽ. V. ult. Aug.
Dionysius Vischaven, Machliniensis, Decret. D.
Gabriel de Mera, I. V. D. II.
Iacobus Bogaert, Med. D. III.
220. *Ioannes Nicolai de Palude*, Lovaniensis, Decret. Licent.

Guilielmus

Guilielmus de Vianen, S. Th. Prof.
Petrus de Thenis, I. V. D. III.
Gualterus de Beka, I. V. D. III.
Iacobus Bogaert, Med. D. IV.
Antonius Guilielmi, de Poortvliet, S. Th. B. Regens Castri.
Ioannes Briardus, S. Th. Prof. II. CIↃ. IↃ. X.
Dionysius Vischaven, Decret. D. II.
Petrus Zelle, de Herentals, Legum D. & Decret. Baccal.
Iacobus Bogaert, Med. D. V.
210. *Nicolaus Coppin*, de Montibus, S. Th. L. Regens Falconis.
Lucas Gualteri de Conitio, S. Th. Prof.
Ioannes Nicolai de Palude, Decret. D. II.
Gabriel de Mera, I. V. D. III.
Ioannes Calaber, Lovaniensis, Med. D.
Ioannes de Neve, Hondischotanus, S. Th. B. Regens Lilij.
Antonius Crabbe, Machliniensis, S. Th. Prof.
Dionysius Vischaven, Decret. D. III.
Petrus Zelle, Legum D. II.
Ioannes Calaber, Med. D. II.
220. *Cornelius de Vueerdt*, S. Th. Licent. Regens Pæd. Castri.
Ioannes Driedo, vulgò *Driedoens*, de Turnhout, S. Th. Prof.
Cornelius de Melders, Decret. D. Decanus S. Iacobi.
Ioannes Stephani de Nivella, Legum D.
Ioannes Calaber, Med. D. III.
Nicolaus Coppin, de Montibus, S. Th. Prof. II. CIↃ. IↃ. XX. ult. Febr.
Godescalcus Rosemond, ab Eyndhovia, S. Th. Prof.
Iudocus Vroye, de Gavere, I. V. D.
Ludovicus de Schore, Lovaniensis, I. V. D.
Aegidius de Pape, Lovaniensis, Med. D.
230. *Matthaeus Theodorici*, de Dordraco, S. Th. L. Regens Pæd. Porci.
Martinus Dorpius, à Naeldwyck, S. Th. Prof.
Ioannes Nicolai de Palude, Decret. D. III.
Petrus Zelle, Legum D. III.
Adamus Bogaert, Lovaniensis, Med. D.
Ioannes Scarley, Buscoducensis, S. Th. B. publ. Ethices Prof.
Guilielmus de Vianen, S. Th. Prof. III.
Ioannes Nicolai de Palude, Decret. D. IV.
Ioannes de Myrica, filius Adriani, vulgò *Vander Heyden*, Lovaniensis, I. V. D. quo Rectore Academia primum annum sæcularem sive

Iubilæum celebravit an. CIↃ. IↃ. XXVI.
Leonardus Vuillemaers, Lovanienſis, Med. Licent.
240. *Ioannes Sandraert*, Montenſis, S. Th. Licent. Regens Falconis.
Nicolaus Coppin, de Montibus, S. Th. Prof. Decanus S. Petri.
Gabriel de Mera, I. V. D. IV.
Iudocus Vroye, de Gavere, I. V. D. II.
Ioannes Heems, ab Armenteria, Med. D.
Petrus Curtius, Brugenſis, S. Th. L. CIↃ. IↃ. XXX. ult. Febr.
Ruardus Tapperus, ab Enchuſia, S. Theol. Prof.
Michael Driucius, Caſſetanus, I. V. D. & Prof.
Hermes de VVinghe, Rotnacenſis, I. V. D. & Prof.
Ioannes Heems, Med. D. II.
250. *Paulus Roelſius*, Teneramundanus, Med. L. Regens Porci.
Ioannes Driedo, S. Theol. Prof. II.
Cornelius Meldert, Decret. D. II.
Hermes de VVinghe, I. V. D. II.
Michael Driucius, I. V. D. poſtulatus à Facult. Med. II.
Ioannes Heems, Med. D. III. CIↃ. IↃ. XXXV. die XXVII. Febr.
Ioannes Doye, Valencenenſis, S. Th. Prof.
Ioannes Lobellius, Bolonienſis, Decret. D.
Hermes de VVinghe, I. V. D. III.
Iacobus Latomus, S. Th. Prof. poſtulatus à Facult. Med.
260. *Chriſtophorus de Hanebeke*, de Fraxinis, S. Theol. Licent.
Petrus Curtius, S. Theol. Prof. II.
Michael Driucius, I. V. D. III.
Gisbertus Loyden, Buſcoducenſis, I. V. L.
Hieronymus Blyoul, Bruxellenſis, I. V. D. poſtulatus à Facult. Med.
Servatius Heynsberch, Aquiſgranenſis, S. Th. Licent. Regens Porci, CIↃ. IↃ. XL. ult. Febr.
Ioannes Leonardi, Haſſelenſis, S. Theol. Prof.
Reinerus Ioannis, ab Enchuſia, I. V. D.
Gisbertus Loyden, I. V. L. II.
Carolus Goſvuinus, Med. D.
270. *Petrus Montanus Buretius*, à Parvuais, S. Th. L. Regens Falconis.
Franciſcus de Campo, Sonnius, S. Th. Prof.
Hieronymus Blyoul, I. V. D. II.
Robertus Martenius, à Valencenis, I. V. L.
Tilmannus Clerici, à Geldrop, S. Th. L. poſtulatus à Facul. Med.
Iodocus Raveſteyn, S. Th. L. CIↃ. IↃ. XLV. ult. Febr.

Ruardus

Ruardus Tapperus S. Th. Prof. II.
Cornelius Meldert, Decret. D. III.
Ludovicus Pory, Aërienſis, I. V. L.
Carolus Goſvuinus, Med. D. II.
280. *Ioannes Steinarts*, de Meuwen, S. Th. B. Regens Pæd. Caſtri.
Petrus Curtius, S. Th. Prof. III.
Vulmarus Bernaerts, Eeckenſis, I. V. D. & Prof.
Nicolaus Dervilleers, Montenſis, I. V. L.
Idem II. poſtulatus à Facult. Med.
Ioannes Heems, Med. D. IV. CIↃ. IↃ. L. ult. Febr.
Iodocus Raveſteyn, S. Th. Prof. II.
Vulmarus Bernaerts, I. V. D. II.
Chriſtophorus Gent, Noviomagus, I. V. D. & Prof.
Ioannes de Vuinckele, Med. D.
290. *AEgidius Delleren*, de Boſſuto, S. Th. Licent.
Michael du Bay, Melinenſis, S. Th. Prof.
Vulmarus Bernaerts, I. V. D. III.
Nicolaus Dervilleers, I. V. D. III.
Ioannes à Bononia, Siculus, S. Th. D. poſtulatus à Facult. Med.
Henricus Damen, de Mierlo, S. Th. L. Paſtor S. Quintini, CIↃ, IↃ. LV. ult. Febr.
Adamus Cornelij, de Brouwershaven, S. Th. D.
Vulmarus Bernaerts, I. V. D. IV.
Nicolaus Dervilleers, I. V. D. IV.
Vuernherus Aerdius, Noviomagus, S. Th. L. poſtulatus à Facult. Med.
300. *Ioannes Valerius*, aliàs *de là Val*, Aldenardenſis, I. V. Licent.
Martinus Balduini, à Rythoven, S. Th. Prof. pòſt Epiſc. Iprenſis.
Ioannes Molinaus, Gandenſis, I. V. L. deinde D.
Gisbertus Loyden, I. V. L. III.
Paulus Roelſius, Med. D. II.
Petrus Morelius, de Gondicuria, S. Th. B. Regens Pæd. Falconis, CIↃ. IↃ. LX. ult. Febr.
Ioannes Heſſels, Lovanienſis, S. Th. Prof.
Vulmarus Bernaerts, I. V. D. V.
Gisbertus Loyden, I. V. L. IV.
Iacobus Varentius, Aldenardenſis, Med. D.
310. *Franciſcus Favillon*, ab Ochia, S. Th. B. Regens Pæd. Lilij.
Auguſtinus Hunnaus, Machlinienſis, S. Th. Prof.

Gerardus Caverson, Lovaniensis, I. V. L. & Prof.
Matthæus Ruckebusck, Casletensis, I. V. L. & pòst Decanus Ecclesiæ metropolitanæ Cameracensis.
Iacobus Varentius, Med. D. II.
Ioannes Laet, de Baerdwyck, S. Th. L. Regens Pædagogij Castri, CIↃ. IↃ. LXV. ult. Febr.
Thomas Gozæus, à Bellomonte, S. Th. Prof.
Ioannes de Bievene, Montensis, I. V. D.
Gisbertus Loyden, I. V. L. V.
Carolus Gosvuinus, Med. D. III.
320. *Matthæus Boden*, à Ruecklinge, S. Th. Baccal. Regens Porci.
Cunerus Petri, à Brouwershaven, S. Th. Prof.
Vulmarus Bernaerts, I. V. D. VI.
Gisbertus Loyden, I. V. L. VI.
Iacobus Varentius, Med. D. III.
Melchior Ryckenroy, Machliniensis, S. Th. L. Præses Coll. Buslidiani, CIↃ. IↃ. LXX. ult. Febr.
Cornelius Reineri, Goudanus, S. Th. Prof.
Gisbertus Schoock, Bommelensis, I. V. D.
Stephanus van Craesbeeck, Lovaniensis, I. V. D.
Idem II. postulatus à Facult. Med.
330. *Iacobus Sapidus*, Athensis, S. Th. L.
Robertus Malcotius, Lovaniensis, S. Th. D.
Theodoricus Peelmans, de Mierdt inferiori, I. V. L.
Stephanus van Craesbeeck, I. V. D. III.
Ioannes Blondel, Med. Licent.
Matthæus Boden, S. Th. L. II. CIↃ. IↃ. LXXV. ult. Febr.
Henricus Gravius, Lovaniensis, S. Th. D.
Ioannes de Bievene, I. V. D. II.
Ioannes Kemmerius, Lovaniensis, I. V. L.
Cornelius Reineri, Goudanus, II. postulatus à Facult. Med.
340. *Theodoricus Peelmans*, I. V. L. II.
Ioannes Molanus, Lovaniensis, S. Th. D.
Ludovicus Leunius, I. V. L. & Prof. Præses Coll. D. Ivonis, mortuus Rector,

SI ReCtor, dVCtor pereant, VbI Cetera CLaßIs?
PræfVIt HIC MartI, præfVIt Iste toga.

Mortuus enim eodem semestri an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. *Ioan. Austriacus*, supremus Belgij Gubernator.

Ioannes

Ioannes Kemmerius, I. V. L. II. electus v. Octobris, in locum *Leunij* defuncti.
Ioannes Bellenus, à Rhety, I. V.L.postulatus à Facult. Iuris Civilis.
Ioannes Gualteri Vuiringus, Lovaniensis, Med. D.
Iacobus Baius, Melinensis, S. Th. L. Decanus Ecclesiæ collegiatæ S.Iacobi, CIↃ. IↃ. LXXX. ult. Febr.
Ioannes Lensæus, Belliolanus, S. Th. Prof.
Ioannes Verhagen, à Riemenant, I. V. D.
Idem II. postulatus à Facult. Iuris Civilis.
350. *Ioannes Gualteri Vuiringus*, Med. D. II.
Henricus Cuyckius, Culenburgensis, S. Th. L.
Embertus Everaerts, Arendoncanus, S. Th. L.
Ioannes Verhagen, I. V. D. III.
Idem IV. postulatus à Facult. Iuris Civilis.
Ioannes ab Egmont, Antverpiensis, postulatus à Facult. Med.
Petrus à Fine, Liropius, S. Th. L. Pastor ad S. Quintinum, CIↃ. IↃ. LXXXV.
AEgidius Vuallius, Brugensis, S. Th. D.
Ioannes de Bievene, I. V. D. III.
Petrus Gudelinus, Athensis, I. V. L. & Prof.
360. *Ioannes Gualteri Vuiringus*, Med. D. III.
Hieronymus Bogardus, Lovaniensis, in D. Petri Canonicus.
Henricus Cuyckius, S.T.D.Vicar. & Officialis Archiep. Machlin.
Nicolaus Goblet, Lovaniensis, I. V. D.
Petrus Gudelinus, I. V. L. creatus tum Doctor.
Nicolaus de Leuze, à Fraxinis, S. Th. L. postulatus à Facult. Med.
Idem in Facult. Artium, CIↃ. IↃ. XC. ult. Febr.
Iacobus Iansonius, Amstelodamensis, S. Th. D.
Ioannes de Bievene, I. V. D. IV.
Ludovicus Carrion, Brugensis, I. V. D.
370. *Adrianus Romanus*, Lovaniensis, Med. Licent.
Ioannes de Pieremont, Bruxellensis, Regens Lilij.
Ioannes Clarius, Tungrensis, S. Th. D.
Idem II. postulatus à Facult. SS. Canonum.
Gerardus Corselius, Leodiensis, I. V. D.
Thomas Fienus, Antverpiensis, Med. D. & Prof.
Petrus à Fine, Liropius, II. CIↃ. IↃ. XCV. ult. Febr.
Thomas Stapletonus, Anglus, S. Th. Prof.
Ioannes VViringus, Campensis, I. V. D.

Iacobus van Haecht, Lovanienſis, I. V. D. & Can. Prof. Ordin.
380. *Ioannes Dillenus*, S. Th. L. poſtulatus à Facult. Med.
Lambertus Damidde, Leodienſis, I. V. L. Regens Lilij.
Iacobus Baius, S. Th. D. II.
Petrus Vermy, Vltrajectinus, I. V. D.
Gerardus Corſelius, I. V. D. II.
Thomas Fienus, Med. D. II.
Petrus à Fine, Liropius, S. Th. L. III. CIↃ. IↃC. ult. Febr.
Samuel Loyaerts, Attenhovius, S. Th. D.
Stephanus VVeyms, à Voerda, I. V. D. & Prof.
Gerardus Corſelius, I. V. D. III.
390. *Ioannes Malderus*, S. Th. D. poſtulatus à Facult. Med.
Servatius Saſſenus, Lovanienſis, S. Th. L. Regens Pæd. Porci.
Ioannes van Hamme, Lovanienſis, S. Th. D.
Stephanus VVeyms, I. V. D. II.
Gerardus Corſelius, I. V. D. IV.
Thomas Fienus, Med. D. III.
Laurentius Zoënius, Breenſis, S. Th. L. Regens Pæd. Falconis, CIↃ. IↃC. V.
Guilielmus Fabricius, Noviomagus, S. Th. D.
Petrus Vermy, I. V. D. II.
Gerardus Corſelius, I. V. D. V.
400. *Ioannes Paludanus*, Machlinienſis, S. Th. D. poſtulatus à Facult. Med.
Franciſcus Dralantius, S. Th. L. Regens Pæd. Porci.
Iacobus à Caſtro, Amſtelodamenſis, S. Th. D.
Petrus Vermy, I. V. D. III.
Gerardus Corſelius, I. V. D. VI.
Ioannes Buterne, Branienſis S. Th. B. & I. V. Lic. Regens Caſtri, poſtulatus à Facult. Med.
Idem II. in Facult. Artium, CIↃ. IↃC. X. die XXVII. Febr.
Guilielmus Mercerus, ab Atho, S. T. D.
Andreas del Vaulx, Andanenſis, I. V. D. & Decret. Prof. Reg.
Ioannes Peelmans, Silvæducenſis, I. V. D.
410. Idem II. poſtulatus à Facult. Med.
Ioannes Maſſen, Leodienſis, S. Th. L. Regens Lilij.
Ægidius du Bay, Athenſis, S. Th. D.
Petrus Vermy, I. V. D. IV.
Gerardus Corſelius, I. V. D. VII.

Idem

Idem VIII. postulatus à Facult. Med.
Antonius Vossius, Vltrajectinus, S. Th. L.Reg. Falconis, CIↃ.IↃC.XV.
Ioannes Paludanus, S. Th. D. II.
Adrianus de Proost, Gandensis, I. V. D.
Gerardus Corselius, I. V. D. IX.
420. *Ioannes VViggers* Diestensis, S. Th. D. postulatus à Facult. Med.
Ioannes van t'Sestich, Machliniensis, I. V. D.
Ioannes VViggers, S. Th. D. II.
Adrianus de Proost, I. V. D. II.
Adrianus Baecx, Machliniensis, I. V. D. Præses Coll. Buslid. Canonicus & Cantor in D. Petri, pòst Decanus & Canonicus in Oorschoto.
Ioannes Sturmius, Machliniensis, Med. D. & Mathesios Prof. R.
Raphael Gemma, Lovaniensis, Canonicus & Scholasticus Ecclesiæ S. Petri, CIↃ. IↃC. XX. ult. Febr.
Henricus Rampen, Huiensis, S. Th. D. & Prof.
Andreas del Vaulx, I. V. D. II.
Iacobus du Bay, Athensis, I. V. L. & Prof. Cod. extraord.
430. *Gerardus de Vileers*, Lovaniensis. Med. D. & Prof. Ordin.
Iacobus Daulmerie, Athensis, Regens Falconis.
Christianus Beusecum, Amorsfortius, S. Th. D. & Prof.
Ioannes van t'Sestich, I. V. D. II.
Stephanus VVeyms, I. V. D. III.
Michael Ophemius, Lovaniensis, Med. D. & Prof. Regius.
Guilielmus vande Velde, I. V. L. Præses Coll. D. Ivonis, CIↃ.IↃC.XXV.
Guilielmus ab Angelis, Silvæducensis, S. Th. D.
Andreas del Vaulx, I. V. D. III.
Henricus Zoesius, Amorsfortius, I. V. D. quo Rectore an. CIↃ. IↃC. XXVI. Academia secundum annum sæcularem sive Iubilæum celebravit.
440. *Gerardus de Vileers*, Med. D. II.
Martinus Caverenne, Chinacensis, I. V. L. tunc Præses Coll. Ord. Teutonici.
Henricus Paridanus, Machliniensis, S. Th. D. & Prof.
Ioannes van t'Sestich, I. V. D. III.
Stephanus VVeyms, I. V. D. IV.
Fridericus Havens, Lovaniensis, I. V. L. Præses Coll. Tril. Buslid. postulatus à Facult. Med.
Claudius Losson, S. Th. Licent. Regens Falconis, CIↃ. IↃC. XXX.

Guiliel-

Guilielmus Mercerus, S. Th. D. II.
Andreas del Vaulx, I. V. D. IV.
Iacobus du Bay, I. V. L. II.
450. Idem III. postulatus à Facult. Medica.
Nicolaus Vernulaeus, S. Th. Licent. Rhetor Academicus.
Christianus Beusecum, S. Th. D. II.
Petrus Stockmans, Antverpiensis, I. V. D. & Prof. Regius.
Henricus vanden Creeft, Trudonensis, I. V. D.
Vopiscus Fortunatus Plempius, Amstelodamensis, Med. Doctor & Prof.
Antonius Dave, Chinacensis, S. Th. L. Prof. Ethices, & Regens Pædagogij siue Standonck, Porci, cIↃ. IↃC. XXXV.
Cornelius Iansenius, Leerdamensis, S. Th. D. & Prof.
Petrus Stockmans, I. V. D. II.
Henricus vanden Creeft, I. V. D. II.
460. *Vopiscus Fortunatus Plempius*, Med. D. II.
Ioannes Banex, Trudonensis, S. Th. L. Regens Falconis.
Libertus Fromondus, Haccurianus, S. Th. D. & Prof.
Fridericus Havens, I. V. L. II.
Henricus Haulthomme, Marcquensis, I. V. L. & Prof. ac Collegij D. Ivonis Præses, postulatus à Facult. Iuris Civilis.
Petrus Dorlicx, Zonhovius, Med. D. & Prof.
Baldricus Buterne, Montensis, I. V. L. Regens Lilij, cIↃ. IↃC. XL.
Gerardus van VVeim, Mosæ-Trajectinus, S. Th. D. & Prof.
Iacobus Santvoert, Amorsfortius, I. V. D. Canonum Prof. primarius, & Decanus Ecclesiæ collegiatæ S. Iacobi.
Henricus Loyens, Mosæ-Trajectinus, I. V. D. & Prof.
470. *Petrus Dorlicx*, Med. D. II.
Philippus van Zuerendonck, Silvæducensis, S. Th. L.
Ioannes Sinnigh, Corcagiensis, Hibernus, S. Th. D. & Prof.
Henricus Haulthomme, I. V. L. II.
Valerius Andreas, Dessclius, I. V. D. & Prof. Regius.
Nicolaus Vernulaeus, S. Th. L. Historiographus Regius ac Cæsareus, II. postulatus à Facult. Med.
Idem III. in Facultate Artium, cIↃ. IↃC. XLV.
Iacobus Pontanus, Hermaliensis, S. Th. D. & Prof.
Franciscus de Baillencourt, Nivellensis, I. V. L. & Prof.
Henricus Loyens, I. V. D. II.
480. *Vopiscus Fortunatus Plempius*, Med. D. II.
Ioannes Recht, Helebecanus, ex agro Athensi, S. Th. L.

Andreas

Andreas Laurent, Goegnienfis, S. Th. D. & Prof. Regius.
Franciscus de Baillencourt, I. V. D. & Prof. II.
Valerius Andreas, I. V. D. II. CIↃ. IↃC. XLIX. ult. Febr.

Dictatores, Advocati Fiscales, Notarij seu Secretarij & Promotores Vniversitatis.

HAbet Rector jurisdictioni suæ ordinariæ exercendæ, negotijsq; Academicis tractandis, præter singularum Facultatum Decanos, etiam Dictatorem & Advocatum Fiscalem, aliosque Officiales, ut Syndicum, Secretarium, Promotorem, cui præstò sunt & adsistunt Clientes, ut vocant, seu Satellites. Dictator & Advocatus Fisci, velut quidam Consiliarij ipsius Rectoris & Vniversitatis, in comitijs seu conventibus Academicis ordinariè vel extraordinariè habendis, unà cum Facultatum Decanis, ut Deputati Ordinarij, conveniunt & deliberant. Placuit proinde & illis in his Fastis dare locum, quorum quidem nomina eruere investigando licuit.

DICTATORIS officium est, litteras nomine Vniversitatis scribere, quoties & quandocumque per D. Rectorem, vel etiam à partibus litteras petentibus, requisitus fuerit, caussis, in quibus ipse fuerit Advocatus, exceptis: juratque in susceptione muneris, *quòd officium Dictatoris fideliter exercebit, & quòd sciens nihil scribet, quod posit esse vel cedere in præiudicium Vniversitatis vel Privilegiorum eius.* Solet verò annuum hoc esse officium, atque eligi vel continuari Dictator per ordinem Facultatum vir doctus & Iurisperitus. Ita habent Statuta Vniversitatis. De eodem lego in Actis ad an. CIↃ.CCCC.LIII. prid. Kal. Sept. conclusum tunc fuisse, ut adsumendo ad Rhetoricæ Lecturam simul demandaretur munus sive onus Scribæ seu Dictatoris, idque gratis & absque stipendio per Vniversitatem solvendo: exceptis litteris, quas scriberet pro ijs opus habentibus, secundùm dictamen & arbitrium ipsius Vniversitatis. Adsumi autem potest vel ex ipsis Facultatibus, vel extra eas, sive de consilio fuerit Vniversitatis, vel extra ipsum. Ita anno CIↃ. CCCC XCIII. placuit. Postmodum aliter visum fuit, hodieque Dictator ex Facultatibus I. V. nominatur, semelque nominatum continuari etiam ad plures annes, adeoq; ad vitam, antehac ferè moris fuit; & fortè utilius Academiæ. Sed & anno CIↃ. IↃ. LVIII. prid.

Kal. Martij conclusit decrevitque Vniversitas, Dictatorem vocandum esse ad omnes deputationes ac congregationes dictæ Vniversitatis, cum salario ad instar aliorum Deputatorum. Functi hactenus officio illo,

M. Ioannes Block, postea primus Rhetor Academicus, electus anno Dom. CIↃ. CCCC. XXXVIII. III. Non. Decembris.

M. Ioannes Sucquet, Med. Licent. eodem anno, die XXVII. Maij.

M. Henricus de Loen, CIↃ. CCCC. XLI. die IX. Ianuarij.

M. Iacobus de Scotia, CIↃ. CCCC. XLVII. die XVI. Novembris.

M. Henricus de Zomeren; CIↃ. CCCC. XLVIII. III. Non. Martij.

M. Leonardus de Bruxella, anno eodem, die X. Septembris.

Gerlacus Bont, LL. Doctor, eodem anno, die XIX. Octob. eoque absente *Leonardus Krieke*, de Bruxella, CIↃ. CCCC. LIII. Idib. Ianuarij: cui item absenti substitutus fuit *Hugo de Harlem*, Rhetor Academicus, eodem anno, III. Id. Aprilis.

Ioannes Recourt, CIↃ. CCCC. LIII. III. Kal. Decemb.

Leonardus Krieke, CIↃ. CCCC. LIV. prid. Kal. Septemb.

Petrus de Rivo, CIↃ. CCCC. LVI. postrid. D. Thomæ.

Raso de Heda, CIↃ. CCCC. LXXI. III. Kal. Septemb.

Lottinus Viruli, CIↃ. CCCC. LXXIII. die XXVIII. Maij.

Ioannes de Bourburgh, CIↃ. CCCC. LXXX. die IX. Febr.

Gualterus de Beka, Iuris Can. Licent. CIↃ. CCCC. LXXXVI. prid. Kal. Martij.

Ludovicus de Viridi-Valle, I. V. L. Canonicus Ecclesiæ S. Petri, CIↃ. CCCC. XCIV. postrid. D. Thomæ.

Ioannes de Palude, Rhetor publicus, CIↃ. IↃ. IV. die XXIII. Decemb. continuatus per XXII. annos.

Iudocus Vroye, de Gavere, I. V. D. CIↃ. IↃ. XXVI. prid. Kal. Martij, annis VII.

Petrus Amicus, Legum. D. CIↃ. IↃ. XXXIII. postrid. D. Th. continuatus per annos XXIV.

Petrus Beausardus, Med. D. CIↃ. IↃ. LVII. prid. Kal. Septemb.

Petrus Planchonius, Duacensis, eodem anno, postrid. D. Th.

Ioannes VVamesius, I. V. D. CIↃ. IↃ. LVIII. prid. Kal. Martij, continuatus annos XXXI.

Philippus Zuerius, I. V. D. CIↃ. IↃ. XC. III. Id. Aug. annis XVI.

Gerardus Corselius, I. V. D. CIↃ. IↃC. VI. postrid. D. Th. annis. XI.

Cornelius Silvius, I. V. D. CIↃ. IↃC. XVII. prid. Kal. Septemb.

Stephanus VVeyms, I. V. D. CIↃ. IↃC. XX. postrid. D. Thomæ.

Iacobus

Iacobus Santvoert, I. V. D. CIↃ. IↃC. XXXI. V. Kal. Ianuarij,
Petrus Stockmans, I. V. D. CIↃ. IↃC. XXXIX. IV. Non. Septemb,
Antonius Perezius, I. V. D. CIↃ. IↃC. XLIII. XV. Kal. Martij.
Valerius Andreas, Dessellius I. V. D. eodem anno, XXII. Decemb.
Henricus vanden Creeft, I. V. D. eodem die, an. CIↃ. IↃC. XLIV.
Michael vanden Perre, I. V. D. CIↃ. IↃC. XLVI.
Henricus Loyens, I. V. D. CIↃ. IↃC. XLVII.

ADVOCATO FISCALI hæc incumbunt. Primò, Vt penes se habeat atque incorporet omnia Privilegia, Exemptiones, Libertates, Concordata & Pacta Vniversitatis, cum Principibus & Communitatibus, Episcopis & Prælatis. II. Vt caussas omnes Vniversitatis contra quoscumque prosequatur, in quibus de læsione agitur alicujus Privilegij, tam intra quàm extra Lovanium. III. Vt Congregationibus & Deputationibus omnibus, & quoties D. Rectori libuerit, ubi aliquid de supradictis negotijs tractabitur, intersit. IV. Vt adsistat Promotori in libellando & dirigendo processus fiscales contra excedentes, & Statuta Edictave violantes. Neque diutiùs Vniversitati adstrictus est, quàm ipse aut Vniversitas voluerit. Invitandus interim Advocatus Fiscalis ad omnes Actus Academicos, ad quos invitari Doctores solent & Licentiati aliqui in qualibet Facultate.

Cæterùm datum Promotori Advocatum invenio, primùm anno CIↃ. CCCC. XXXIV. die VII. Iunij M. *Arnoldum de Reysenaelde*, Decretor. Doct. Item an. CIↃ. CCCC. XXXVI. die III. Octob. *Ioannem Snavel*, de Swollis, similiter Decret. Doct. iterumque an. CIↃ. CCCC. XLVI. III. Septemb. *Radulphum de Beringhen*, Decret. Doct. & *Ioannem la Costecyree*. Atque hinc, longissimo centum annorum intervallo, anno CIↃ. IↃ. XLVIII. placuit aliquem adsumi in Advocatum Fiscalem, & directorem processuum, Vniversitatem ejusque Promotorem concernentium, electusque fuit eodem anno prid. Kal. Iunij,

Gregorius VVytsliet Bruxellensis, I. V. L. qui an. CIↃ. IↃ. XCIV. mensis Iulij die VIII. plenus dierum vivere desijt: quem ordine secut sunt,
Cornelius Silvius, I. V. D. eod. anno, die XVII. mensis Iulij.
Ioannes Gairy, I. V. D. an. CIↃ. IↃ. XCVI. mensis Decemb. die XI.
Ioannes Silvius, I. V. L. an. CIↃ. IↃC. VI. prid. Kal. Iunij, pòst à Secretis & Consilijs opidi Lovaniensis.
Nicolaus van Berckel, Lovaniensis, I. V. L. CIↃ. IↃC. X. Nov. XXIX.

Iacobus Santvoert, I. V. D. CIↃ. IↃC. XV. die V. Febr.

Guilielmus van Godshoven, Trudonensis, CIↃ. IↃC. XXI. XIX. Sept.

Michael vanden Perre, I. V. D. an. CIↃ. IↃC. XXIX. prid. Kalen. Septembris.

Henricus vanden NouWelandt, Vuestmallius, I. V. L. an. CIↃ. IↃC. XLI. VI. Non. Martij.

SYNDICI est, caussas nomine Universitatis, sive ea Actrix sive Rea fuerit, prosequi, & monere D. Rectorem, ut Conclusiones executioni mandet. Annuum quoque hujus officium esse solet. Functus illo fuit, & continuatus in eodem per plures annos, IOANNES MACQUET, idemque Promotor Universitatis: eoque an. CIↃ. IↃ. XXXV. defuncto, placuit deinceps unire utrumque hoc officium, prout & an. CIↃ. IↃ. XLVII. postrid. S. Thomæ, Syndicatum separandum non esse ab officio Promotoris; unde & Promotorum plerique simul & Syndici caussarum generales fuere.

IN SECRETARIUM seu ACTUARIUM Universitatis adsumi debet homo probus, legalis & idoneus, qui priùs Apostolicâ & Principali auctoritatibus, vel earum alterâ, fuerit Notarius creatus. Hujus officium est, interesse omnibus & singulis ordinationibus, decretis & sententijs, tam definitivis quàm interlocutorijs, atque etiam omnibus Congregationibus Universitatis, Conclusionesque ibidem captas & scripto exceptas in acta referre, ac semper adesse D. Rectori atque Universitati, quandocumque interpellatus fuerit. Hujus quoque est, monere D. Rectorem, ut Conclusiones Universitatis executioni mandet. Fuerunt illi à condita Academia adsumpti hoc ordine.

M. Simon de Oudorp, qui & Bedellus fuit Facultatis Artium.

Adrianus Zay, de Vuemeldinghen, idemque Bedellus Facult. Artium, CIↃ. CCCC. XXXVIII. die XVI. Maij.

Adrianus Petri, de CoudeWerve, & ipse Bedellus.

VVilhelmus de Cluetingen, CIↃ. CCCC. LXXVIII. XIV. Iulij.

Ioannes Vullinck, Lovaniensis, CIↃ. CCCC. XCIV. 2. Aug.

Ioannes de Valle, à Goesa, I. V. L. CIↃ. IↃ. XXX prid. Kal. Aprilis.

AEgidius Martini, Gemblacensis, I. V. B. CIↃ. IↃ. XXXVIII. die XXIX. Aug.

VVilhelmus de Caverson, Lovaniensis, CIↃ. IↃ. XLI.

Ioannes

Ioannes Pels, Rechlinchusanus, Vuestphalus, I. V. B. CIↃ. IↃ. LI.
Conradus Silvius, vulgò *Bosman*, Bossutensis, I. V. L. CIↃ. IↃ. LXVII.
Everardus Slasius, Osnabrugensis, Vuestphalus, I. V. L. CIↃ. IↃC. XVI. die Maij XIV.
Ioannes Baelmans, Weeldius, I. V. L. CIↃ. IↃC. XXV. prid. Kal. Iunij, pòst Curiæ Conservatorialis Actuarius.
Remigius VVouters, Trudonensis, I. V. L. CIↃ. IↃC. XXXV. IV. Kal. Maij, pòst Notarius seu Actuarius D. Conservatoris.
Petrus Mintaert, Noduwensis, I. V. L. CIↃ. IↃC. XLI. VI. Non. Martij.

PROMOTORI incumbit, in primis denuntiare D. Rectori omnium & singulorum abusus, excessus, transgressiones & delicta quæcumque, sine exceptione cujuspiam aut dissimulatione : & absque jussu ejusdem D. Rectoris non potest vel præparatoriam aliquam capere informationem, aut judicialiter procedere, vel à lite cœpta desistere. Præterea incumbit Promotori, quando id expedire videbitur, noctu obambulare plateas, idque vel motu proprio, vel mandato speciali D. Rectoris, cum Prætore opidi, vel absque Prætore, adsumptis ad hoc ministris vel ordinarijs, vel etiam extraordinarijs, duobus, tribus pluribusve. Teneturque eumdem D. Rectorem in Processionibus, singulisque Actibus Academicis, ad quos Doctores cum Licentiatis invitari solent, sequi, ipsisque Doctoribus & Licentiatis honorem debitum exhibere.

Eorum hîc seriem exhibeo, quo scilicet quisque anno & die in Promotorem adsumptus fuit: ex qua etiam constabit, sæpiùs duos pluresve uno eodemque tempore sustinuisse hoc onus. Occurrunt autem hoc ferè ordine: *M. Petrus Bode*, de Antverpia: *M. Petrus Villani* anno CIↃ. CCCC. XXXIV. die 18. Maij: *VVilhelmus Nepotis*, qui anno 1434. die 4. Iulij constitutus fuit lator & exercitor instrumenti, quo ex parte Vniversitatis revocati fuerunt Legati ejusdem Vnivers. ad Concilium Basil. *Dionysius Zilleken*, de S. Trudone, eodem anno 4. Aug. *M. Ioannes Ponestrate*, 14,6. 4. Ianuarij, *Reinerus de Tielen*, eod. anno, 20. Iulij. Idem Notarius & Syndicus Facult. Artium an. 1431. 15. Iulij. *Ioannes Copy* 1438, ult. Decemb. *Franco de Herck*, in Iure Canonico Licent. 1439. 3. Novemb. *Gerardus Ruyssche* 1443. 20. Aug. *Ioannes Costecyree* 1446. 8. Martij. *Ioan. VVemeldinghen*, cum prærogativa loci post Decanos Facultatum, eodem anno, 14. Aug. *Ioannes VVellis* 5.

Martij 1448. *Ioannes Nepotis* 1453. penult. Maij, in locum Wilhelmi Nepotis, officium resignantis. *Ioannes Siynen* 1454. ult. Aug. *Ioannes Nyl* 1455. 17. Aug. unà cum *M. Ioanne Bode. VValterus HauWeels*, de Rupelmonda, 1474. 12. Febr. surrogatus Ioanni Nyl, continuaturque solus anno 1477. postrid. S Thomæ, Ioan. Bode renuntiante. *Ioannes de Ponte* an. 1482. 11. Febr. adjungitur Waltero de Rupelmonda: placuitque an. 1493. 4. Ianuarij, ut deinceps bini essent Promotores, prout & antehac fuerant. *Gisbertus VVaddinck*, de Delfft, in locum Walteri de Rupelmonda, 1495 28. Febr. *Daniel Martini* 1497 3. Ian. *Ioannes Engnoye* 1498. postrid. D. Th. *Ioan. Maquet* an. 1507. ult. Aug. receptus ad Concilium Univers. *Ægidius Remigij* 1508. *Reinerus Ioannis*, in Iure Canonico Lic. 1510. ult. Maij, *Ioannes Maquet* 1512. postrid. D. Th. iterum adsumptus. Fuit hic & Syndicus seu Promotor Facultatis Artium. *VValterus de Vadder* 1518. Kal. Octob. *Lambertus Bont*, de Loon, eod. anno, postrid. D. Th. *Rumoldus Nicolai* 1521. 23. Decemb. *Gerardus Keyermans*, Nuntius ad partes Flandriæ, 1534. 29. Maij: *Matthaus Coggen* 1535. 4. Novemb. *Ioannes Simonis* 1542. 18. Iulij, Matthæo Coggen adsumpto in Notarium D. Conservatoris. *Michael Rutten*, de Roda, 1558. 12. Martij. *Theodoricus Bisthovelt*, 1559 27. Apr. continuato in eodem officio *Mich. Rutten*. *VVilhelmus Greverart*, Nuntius ad partes Frisiæ, 1564 20. Aug. *Michael Rutten* secundò adsumptus in Promotorem & Syndicum generalem 1565. 3. Iulij: *Petrus de Colonia* 1569. 6. Aug. *Franciscus de la Cousture* 1578. ult. Aug. *Leonardus Oliverius*, Aquensis, 1579. ult. Aug. *Nicolaus Goossens*, Lovaniensis, 1592. die 11. Aug. Domic. *Franciscus van Cranevelt*, Lovaniensis, 1604 5. Decemb. *Henricus van Happ*, 1610. 14. Iunij *Hermannus Iddinga*, Frisius, 1616. 6. Aug. *Simon Poelmans*, Bruxellensis, 1617 2. Martij. Domic. *Iacobus de Havrech*, 1635. ult. Decemb. *Ioannes VVolffs*, Godsenhovius, 1644. 5. Septembris.

VII. CAN-

VII.
CANCELLARII
ACADEMIAE
LOVANIENSIS.

CANCELLARII secunda in Academia Dignitas eſt, eique proximus à Rectore in conventibus atque conceſſibus,ſive publicis ſive privatis, locus datur: unico tantùm caſu excepto, quando ſcil. idem D. Cancellarius ſuperpellicio almutioque indutus (ſive is Præpoſitus fuerit, ſive Decanus Eccleſiæ collegiatæ D. Petri, ſive ab ijſdem ſubſtitutus) vel ad Chorum dictæ Eccleſiæ vel Scholas publicas, ſacram benedictionem ſibi per Facultatum Magiſtros ſive Doctores pro gradu aliquo conſequendo præſentatis, aut præſentandis, impertiturus progreditur; tunc enim Rector ſe comitem Cancellario adjungens ſiniſtrum illius latus tantiſper, dum gradus collatus fuerit, claudit. Gradu verò collato, in egreſſu Chori vel Scholarum Rector iterum primum locum occupat. Fuit quidem aliquando controverſia inter Rectorem & Præpoſitum, verùm in qualitate Præpoſiti, non etiam Cancellarij, quoad conſeſſum in Choro Eccleſiæ D. Petri, ubi Propoſiti prima dignitas eſt, & primum ſtallum; ordinatumque anno CIↃ. CCCC. XLVII. die XXIV. Febr. ſi Rector exierit de Choro ſeu gremio prædictæ Eccleſiæ, tunc ei præeminentiorem locum eſſe concedendum, etiam ante Præpoſitum, aliàs non: verùm cùm ſtallum iſtud dicto D. Præpoſito, tamquam Primati Cleri ejuſdem Eccleſiæ, fuerit adſignatum diu ante erectam Vniverſitatem, nimirum jam inde ab anno quadrageſimo ſeptimo ſupra milleſimum, in ejuſque poſſeſſionem Præpoſitus pro tempore per Decanum & Capitulum ſolemniter introductus eſſet, contenderetque propterea ſibi jus eſſe ad prædictum ſtallum tamquam ſuum occupandum, ex eoque deturbari non poſſe per Vniverſitatem, ſive Rector exiſtat de gremio ipſius Eccleſiæ, ſive non: tandem placuit ita componi hanc controverſiam, *ut Mag. D. Rectori adſignetur ſtallum aliud proprium, quod nemo alius occupare permittatur, quodq; pro magnificentia ipſius D. Rectoris auguſtius*

augustius sit, ac ceteris magnificentius, in fine scilicet lateris dextri iuxta Altare, petito ad hoc Capituli consensu & beneplacito; possitq; Rector, seu Choralis seu non Choralis, illud stallum occupare, etiam cùm devotionis caussâ, non residentia, extra solemnitates Chorum intraverit: ut in Supplicationibus D. Rector sequatur Officiantes, Præpositus autem suum cum Clero servet ordinem consuetum ante Officiantes: ut Rector, si Choralis fuerit, in offertorio sequatur immediatè Officiantes, Præpositus verò primus sit in ordine Capitulari. Ita deliberatum & conclusum an. CIↃ. IↃC. XIX. die XXIX. Septemb.

Cæterùm Cancellarius Studij Generalis Lovaniensis perpetuus est prædictæ Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Præpositus: cujusmodi Dignitas deferri hactenus non nisi primariæ Nobilitatis Viris solet. Iurisdictionem nullam exercet; sed auctoritate Pontificiâ, post decursa studiorum per tempus præscriptum spatia, suæ quemque Facultatis donat insignibus, puta *Licentiæ, Magisterij* sive *Doctoratus*. Ita enim de eo MARTINVS V. Pont. in Bulla Erectionis: *Singuli verò, qui, cursu feliciter consummato, in ea Facultate, in qua huiusmodi inhæsere studio, bravium meruerint, sibiq; etiam pro aliorum erudimento docendi Licentiam, ac Doctoratus sive Magisterij honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores sive Magistros Præposito (quem* Cancellarium Studij *in opido huiusmodi esse perpetuò volumus) si illic præsens fuerit; alioquin* Decano dictæ Ecclesiæ, *pro tempore existentibus, sive alijs ab eis deputandis, præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine & modis, super talibus in dictis Studijs Generalibus observari solitis, ad hoc exstiterint idonei sufficientesq; reperti, licentiam & honorem sortiantur & reportent ante-dictos.*

Et cùm ab ipsis ferè Academiæ incunabulus, ob Præpositorum fortè ab opido Lovaniensi absentiam continuam, Decani Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Cancellarij ut functionem & potestatem, ita & nomen titulumque sibi vindicarent, Præpositis contradicentibus; hinc Sereniss. Principes ALBERTVS & ISABELLA in Visitatione Vniversitatis an. CIↃ. IↃC. XVII hæc insuper de eodem statuerunt.

Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Lovaniensis, iuxta privilegium ab Apostolica Sede ipsi impertitum, semper & solus Cancellarij obtineat dignitatem & nomen.

Ipsi quoque Præposito, tamquam Vniversitatis Cancellario, si præsens fuerit, promovendi ad altiores gradus, iuxta morem iam receptum, à Facultate, in qua fit promotio, præsententur, & ab illo, uti Pontifex ait, licentiam & honorem sortiantur, idq; ritu & modo consuetis.

Absente Præposito, prædicta Ecclesiæ D. Petri Decanus, iuxta eadem Pontificia privilegia,

privilegia, eamdem, quam Cancellarius, habeat potestatem. Verumtamen neque nomine neque titulo Cancellarij umquam utatur, nec etiam eidem tribuatur. Volumus enim Cancellarij nomen ad solum Præpositum pertinere, prout summus Pont. id ipsum clarè disposuit. Vnde Decano circa collationem graduum potestatem suam exercenti, benedictionemque impertienti, talis præscribitur formula: *Nos N. N. Ecclesiæ Collegiatæ B. Petri, cum Apostolica nobis in hac alma Vniversitate graduandi* (seu gradus Academicos conferendi) *concessa potestate, Decanus, Tibi &c.* Vtroque verò absente, tam Decano quàm Cancellario, vel legitimè impedito, aut infirmitate prægravato, ut ad benedictionem dandam neuter comparere valeat, tunc is, qui à Cancellario fuerit, deputatus, benedictionem impertiri jubetur, vel si Cancellarius neminem deputaverit, aut qui ab eo deputatus fuerit, absens sit, vel comparere non valeat, tunc permittitur, ut Decanus aliquem substituat; cui in benedictione impertienda præscribitur formula hujusmodi: *Nos N. N. Decani D. Petri Lovaniensis in Apostolica ipsius graduandi,* (seu gradus Academicos conferendi) *potestate Vicarius & Commissarius &c.* si nimirum ad unicum dumtaxat actum istius potestatis exercendum sit constitutus. Olim Præpositus & Decanus, uti Cancellarij, substituere pariter Vice-Cancellarium solent, cui deinde Rector præsentabat Instrumentum erectionis Vniversitatis sive Bullam Martini V. Pont. Ita factum anno CIↃ. CCCC. LXXIX. die 22. Decemb. Vice-Cancellario substituto *Aegidio Baillioeul*, S.Th. Doct. quem in ea functione præcessit *Heimericus de Campo*, qui & Vice-Cancellarius fuit Coloniensis. Successere verò *Ioannes Briaert & Gulielmus de Vianen*, S. Th. Magistri, item *Gabriel de Mera*, I. V. D. à solo Præposito substitutus, ut de eo fidem faciunt Acta anni 1520. XI. Aug. longoque deinde intervallo *Ioannes VViggers*, S. Th. D. *Ioannes van t'Sestich*, I. V. D. & *Fredericus Havens*, I. V. L. Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Canonicus & Cantor, qui obijt an. CIↃ. IↃC. XLVIII.

Præsentare autem ac sistere Cancellario candidatum, sive titulo Academico insigniendum, examinatum antè, idoneum repertum & admissum, nomine Facultatis solet Doctor aliquis, qui in Theologica est Præses Actus; in Iure ac Medicina Prior Collegij; in Facultate Artium Decanus: præviâ Oratione sive Chriâ aliquâ, plerumque de dignitate, laudibus, aut alio aliquo themate, studij illius, in quo quis gradum titulumve accepturus est: præsentatum Cancellarius creat & pronuntiat Licentiatum, aut Doctorem, dans insuper potestatem Doctoribus, Actusque Præsidibus eumdem, sic pronuntiatum Doctorem, insignibus vestiendi Doctoralibus. Quod quidem in Facultate

S. Theol. hodieque ita observari videmus, quando alicui gradus confertur Licentiæ; solentque tunc Doctores ejusdem Facultatis ex ordinatione anni CIↃ. IↃ. LX. Cancellarium, unà cum Præside Actus & candidato, deducere ex templo S. Petri ad publicum Auditorium: verùm dum supremi honoris seu Magisterij insignia conferuntur, diversum, sive usu sive privilegio, receptum est. Neque enim ibi Cancellarius creat ac pronuntiat Doctorem sive S. Theologiæ Magistrum; sed die dicto ac præfixo Aulæ, ut vocant, Doctorali, ipse Candidatus se Epomide in humeros injectâ induit: postea Præses Actus (absque eo, quòd hanc illi potestatem faciat Cancellarius, cujus nullæ hîc sunt partes) capiti ejusdem imponit Magistralem Pileum seu Biretum, purpurei coloris, bysso viridi sive laureolâ ornatum.

Id quod quidem introductum videtur contra tenorem Bullæ Eugenianæ. Nam Eugenius Pont. dum statuit, ut etiam Facultas S. Theologiæ in opido Lovaniensi futuris perpetuis temporibus vigeat & observetur, illud quoque quoad graduum & insignium Magistralium receptionem ordinavit, ut in eadem Facultate, *congruis habitis cursibus, sufficientes idoneiq; reperti à Præposito, Decano, vel deputando ab eisdem, qui bus propterea ritè præsentati fuerint, gradus & insignia Magistralia recipere valerent.* Verùm postea didici ex Actis dictæ Facultatis, anno Dom. CIↃ. IↃ. LIX. occasione Aulæ Doctoralis tum celebrandæ, fuisse ortam controversiam inter D. Cancellarium, qui tunc erat *Michael Driucius* I. V. D. Decanus Ecclesiæ collegiatæ S. Petri, & Facultatem. *Contendebat enim ille, quòd ipse, vel per se, vel per Magistros Præsidentes Facultatis, suo tamen nomine & auctoritate, Doctores crearet* Theologos. *Contrà adserentibus Magistris Facultatis, quòd ad Facultatem, non ad Cancellarium, ex antiquissima consuetudine pertineret Magistros in Theologia creare. Et tandem obtinuit sententia Magistrorum Facultatis, non obstantibus varijs allegationibus dicti D. Cancellarij.* Motâque insuper controversiâ quoad locum & consessum in die Aulæ, declaratum fuit per D. Rectorem & Deputatos, *quòd quia Facultas Theologiæ crearet Magistros suos suâ auctoritate, non Cancellarius, idem Cancellarius deberet habere locum post Rectorem, eo quòd ibi non compareret in officio Cancellarij.*

Planè in Facultate Artium, qui ad Doctoratum sive Biretationem, uti vulgò recepto ibi vocabulo loquuntur, adspirant, ubi ad quæstionem, sibi à Præside suo propositam, ex inferiori loco responderunt, conscensâ dein cathedrâ, pileoque seu bireto Magistrali à Præside capiti imposito, ab eodem, potestate sibi factâ, Doctores seu Magistri pronuntiantur; nec hîc quoque partes aliquæ sunt Cancellarij. Verùm id juris

id juris Facultati ex speciali competere concessione à Præposito, eodemque Cancellario, Pontificiâ auctoritate factâ, didici postmodum ex Actis ejusdem Facultatis ad an. CIƆ. CCCC. XXXVI. Kalen. Martij.

Porrò CANCELLARIOS, eosdemque Præpositos, Academia huc usque à ducentis, quibus stetit, annis, octo dumtaxat numerat.

Primus fuit GVILIELMVS AB ASCA, natus patre *Guilielmo*, Toparcha Ascano, Viro apud Ioannem IV. Brabantiæ Ducem gratioso, ejusdemque Oeconomo, ac Palatij Magistro, anno Præposituræ sexto: cujus nomen inveni matriculæ Vniversitatis inscriptum an. Dom. CIƆ. CCCC. LXX. die IV. Iulij. Vitâ & munere defungitur an. D. CIƆ. CCCC. LXXVII. Præposituræ LVIII.

II. DOMINICVS DE BASSADONIS, natione Burgundus, Ecclesiarum, Vesontionensis S. Stephani Canonicus, Cameracensis B. Mariæ Canonicus atque Archidiaconus, Montensis S. Vualburgis Præpositus: qui matriculæ nomen dedit an. CIƆ. CCCC. LXXXII. die VIII. Maij, & annis decem Cancellarij honorem obtinuit, mortuus an. CIƆ. CCCC. LXXXVII. V. Eid. Iulij.

III. NICOLAVS RVTHERIVS, vulgò LE RVISTRE, Luxemburgensis, Præpositus Harlemensis & Episcopus Atrebatensis, trium ex ordine Brabantiæ Ducum ac Domus Burgundicæ Consiliarius: qui vivere desijt Machliniæ an. CIƆ. IƆ. IX. mensis Septemb. die XV. conditus Lovanij in Æde sacra D. Petri. Collegium Atrebatense hunc Fundatorem habet.

IV. CONRADVS RENNER VON GHINGEN, origine Germanus, ex Illustri Ducum Brunsvuicensium stirpe, SS. Canonum Doctor, & Carolo V. Imp. à Consilijs, absens ab Academia dignitatem Cancellarij annis XXIII. sustinuit. Obijt an. CIƆ. IƆ. XXXII.

V. ROGERIVS DE TASSIS, Machliniensis, *Ioannis Bapt. de Tassis*, Cursorum seu Postarum, Carolo V. imperante, Magistri, Fil. I. V. Doctor ac S. R. E. Protonotarius, Ecclesiarum, Cathedralis B. Mariæ Virginis Antverpiæ Decanus annis XLV. & Collegiatæ D. Petri Lovanij Præpositus, eoque nomine Cancellarius, annis LXI. obitâque pro Rege Hispaniar. ad Pontificem Legatione, patriæ redditus & Ecclesiæ, octogenarius decessit Antverpiæ anno CIƆ. IƆ. XCIII. postrid. Idus Martij, sepultus apud Bogardos.

VI. GEORGIVS AB AVSTRIA, *Maxamiliani* I. Imp. ex filio nepos, Alberto Pio, & Isabellæ Claræ Eugeniæ, Belgarum Principibus, ab Elec-

ab Eleemosynis, an. CIↃ. IↃ. XCVIII. III. Nonas Iunij, postquam annis quattuor sine Præposito Ecclesia, sine Cancellario Academia fuisset, ad hoc munus fuit adsumptus. Vitâ excessit Bruxellæ an. CIↃ. IↃC. XIX. XI. Kalen. Maij, Lovanij in D. Petri ante Aram primariam conditus.

VII. CAIUS ANTONIUS HOPPERUS, *Ioachimi Hopperi*, I. V. D. Equitis, Philippo II. Regi Catholico in Hispania à Consilijs Status Belgici ac Sigilli Præfecti, Fil. S. R. E. Protonotarius, à Sereniss. Principibus Alberto & Isabella Clara Eugenia an. CIↃ. IↃC. XVII. V. Kalen. Maij declaratus successor Georgij ab Austria, à morte ejusdem dignitate ac munere Cancellarij defungitur anno CIↃ. IↃC. XXXIV. XII. Kalen. Septembris.

VIII. FRANCISCUS IOANNES DE ROBLES, è Comitibus d'Anappes, declaratus & ille antea an. CIↃ. IↃC. XXIV. à Sereniss. Principe Isabella Coadjutor successorq; ue *Caij Ant. Hopperi*: pòst & Regij in Belgio Nosocomij Præfectus; Sereniss. Principi LEOPOLDO GUILIELMO, Archiduci Austriæ &c. Ordinis Equitum Teutonicorum supremo Magistro, ac Belgij Comitatusque Burgundiæ pro Rege Catholico Gubernatori, ab Eleemosynis, & Oratorij Regij Archi-Capellanus.

Quia verò absente, ut dixi, Præposito, Decanus ejusdem Ecclesiæ D. Petri juxta Privilegia Pontificia eamdem, quam Cancellarius, habet potestatem gradus & honores Academicos conferendi, benedictionemque impertiturus, aut aliàs Cancellario non residente vel absente à civitate, in Scholis locum obtinet Cancellarij: Iubet eorum quoque hîc ordine meminisse. Fuere autem illi à condita Academia,

Gerardus de Bruyn, Diestensis, Iuris Canonici Baccalaureus.

Henricus de Mera, Decret. Doctor. Obijt an. CIↃ. CCCC. XL.

Petrus de Mera, Henrici frater, I. V. D. Obijt an. CIↃ. CCCC. XLVIII.

Guilielmus Bont, Lovaniensis, I. V. D. Obijt an. CIↃ. CCCC. LIV.

AEgidius Vrancx, Lovaniensis, qui anno CIↃ. CCCC. LXXVI. huic dignitati renuntiavit.

Ioannes de Thimo, Lovaniensis, Decret. Doctor, qui similiter an. CIↃ. CCCC. XCVII. eam dignitatem sponte dimisit.

Adrianus Florentij, S. Th. Prof. postea P. M. usque ad an. CIↃ. IↃ. XIX.

Nicolaus Coppin, Montensis, S. Th. Prof. Obijt an. CIↃ. IↃ. XXXV.

Ruardus Tapperus, Enchusanus, S. Th. Prof. Obijt an. CIↃ. IↃ. LIX.

Michael Driucius, I. V. Doctor. Obijt eodem an. XVI. Kal. Octob.

Martinus Balduini, Rythovius, S. Th. D. Primus Iprensium Episcopus Decanatum an. CIↃ. IↃ. LXII. deposuit.

Ioannes

Ioannes Molinaus, Gandensis, I. V. D. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXV.
Michael Baius, S. Th. D. usque ad an. CIↃ. IↃ. LXXXIX.
Henricus Cuyckius S. Th. D. an. CIↃ. IↃ. XCVI. adsumptus ad Cathedram Rurænundensem.
Cornelius Reyneri, Gaudanus, S. Th. D. usque ad an. CIↃ. IↃC. IX.
Iacobus Baius, S. Th. D. usque ad an. CIↃ. IↃC. XIV.
Iacobus Ianſonius, Amſtelod. S. Th. D. usque ad an. CIↃ. IↃC. XXV.
Gulielmus Fabricius, Noviomagus, S. Th. D. ad an. CIↃ. IↃC. XXVIII.
Gulielmus Mercerus, Athenſis, S. Th. D. Obijt. an. CIↃ. IↃC. XXXIX.
Libertus Fromondus, Haccurianus, S. Th. D. & Prof.

VIII.
CONSERVATORES
PRIVILEGIORVM
EIVSDEM ACADEMIAE
LOVANIENSIS.

CANCELLARIVM proximè ſequitur CONSERVATOR PRIVILEGIORVM, tertia in Academia Dignitas. Cui inde nomen, quòd Academiæ jura privilegiaque tueatur atque conſervet, *adverſus quoſcumque, Archiepiſcopos, Epiſcopos* &c. *necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Communia civitatum, Vniverſitates opidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, necnon alias ſingulares perſonas*: quodque *Rectori, Doctoribus, Magiſtris, Scholaribus, & ceteris eiuſdem Vniverſitatis perſonis, efficacis defenſionis præſidio adſiſtens, permittere non debeat, eoſdem ſuper bonis ſuis, & alijs iuribus, iuriſdictionibus, redditibus, iniurijs, damnis, ceteriſq; actionibus, tam realibus quàm perſonalibus, præſentibus & futuris, & à quibuſvis indebitè moleſtari, aut privilegia, conceßiones & indulta, ſub quacumque etiam verborum formâ dictæ Vniverſitati à Sede Apoſtolica vel aliàs hactenus conceſſa, ſeu in poſterum quomodolibet concedenda, infringi ſeu violari aliquatenus, vel etiam impugnari.* Ita ferè

MARTINVS V. Pont. de Conservatoribus statuit, an. CIƆ. CCCC. XXVI. V. Idus Septembris. Quam potestatem illis ratam esse voluerunt, salvis moderationibus quibusdam, Principes nostri: atque in primis PHILIPPVS, cognomento BONVS, qui cùm Edicto generali vetuisset, ne subditi harum Provinciarum decretis Iudicum Ecclesiasticorum obtemperarent, mandarentque ea executioni, sine scitu & consensu ipsius Principis, declaravit postmodum an. CIƆ. CCCC. XLVII. XI. Kal. Martij, sese ejusmodi Edicto non voluisse aut velle derogatum privilegijs Vniversitatis, & Suppositorum ejusdem, quoad cursum & effectum litterarum, quæ à Conservatore eorumdem Privilegiorum secundùm morem hactenus consuetum emanarent.

Postea PHILIPPVS, cognomento PVLCER, an. CIƆ. CCCC. XCV. XIII. Nonas Augusti, & MAXÆMILIANVS Imp. eodem anno, XVIII. Kal. Septembris, quoad materiam caussarum, de quibus cognoscere Rector ac Conservator deinceps possent, per modum Concordati cujusdam atque Indulti statuêre in hunc ferè modum.

I. Rector ac Conservator poterunt deinceps cognoscere judicareque de caussis & actionibus personalibus tantùm, non etiam realibus aut mixtis, quántum quidem ad bona attinet immobilia. Quòd si tamen partes, accepto coram Rectore aut Conservatore judicio, in deductione caussæ allegare titulum aliquem velint, eoque probare & verificare constitutionem reditus, aut caussæ personaliter intentatæ, poterunt idem Rector atque Conservator, ne continentia caussæ dividatur, cognoscere incidenter de eodem titulo: ita tamen, ut ne caussæ alicui se immisceant reali, cognoscantve de validitate aut invaliditate tituli, si quando moveri de eo controversiam contingat.

II. De caussis beneficialibus poterit cognoscere Conservator, in judicio cùm petitorio, tum etiam possessorio, ac simplici saisina, idque per præventionem. Exceptis tamen beneficijs, quorum ad Principem, ejusque successores, collatio sive præsentatio spectare dignoscitur.

III. In materia confiscationum manebit cognitio omnis penes Principem, ejusque respectivè Concilia. Nisi per modum exceptionis allegetur proponaturque confiscatio: quo casu si deinde constet Rectori aut Conservatori de confiscatione per ipsas litteras confiscatorias aut donationis inde factæ, supersedebunt ijdem ab ulteriori cognitione, donec per Ducem, ejusque Concilium, de præfata confiscatione cognitum judicatumque fuerit, prout æquitas postulabit. Quo facto, licebit Rectori ac Conservatori cognoscere judicareque ulteriùs de caussa

caussâ principali, condemnando aut absolvendo, prout merita caussæ dictabunt, partem ream.

IV. In caussis, quæ moveri coram Rectore & Conservatore, occasione solutionis redituum, aut alterius rei, solent, ut sciatur, quâ ratione & quo pretio fieri solutio debeat, poterunt ijdem Rector & Conservator de eo inter partes, jurisdictioni suæ subjectas, cognoscere; nimirum proponendo ijsdem partibus, ad se evocatis atque auditis, quòd sequi tenebuntur Constitutiones Principum super re monetaria factas, aut faciendas. Quòd si verò quæstio incidat super interpretatione alicujus Constitutionis, cognitioni ejusmodi, uti ad Principem, ejusque Concilium spectanti, nullo modo se immiscebunt.

V. Rectori & Conservatori competet cognitio super transportibus aut cessionibus, & quæstionibus inde dependentibus, quæ fiunt in personas verorum suppositorum & Scholarium, idque in linea directa, & ejus summæ sive quantitatis, quæ ijsdem pro continuatione suorum studiorum videbitur necessaria, non verò aliàs, aut ultrà: reservatâ in casum contraventionis provisione ipsi Principi & Concilio ejusdem; ita tamen, ut locus detur restrictioni per Rectorem & Vniversitatem super abusibus & excessibus ex caussa & ratione hujusmodi transportuum & cessionum aliàs factæ.

VI. Quòd ad gratias attinet & rescripta moratoria, per Ducem opidis aliquibus aut personis privatis concedi solita, sub quibus gratijs sustinebat Vniversitas sese, intuitu privilegiorum suorum, non comprehendi, permisit idem Princeps, ut id ipsum ita deinceps observetur respectu verorum Scholarium, actu studentium, non etiam fictorum; quodque cessio aut transportus horum respectu locum non habebit.

Idem Dux PHILIPPVS an. CIↃ. IↃ. XII. Kalen. Ianuarij, cùm non ita pridem revocasset ac suspendisset Curias omnes Conservatoriales, interdictâ Conservatoribus omnibus suâ jurisdictione, statuissetque ejusmodi Curias deinceps nullatenus in suis dominijs & terris tolerandas: ad preces & supplicationem Rectoris atque Vniversitatis, permisit eidem Vniversitati cursum atque usum Curiæ suæ Conservatorialis, salvis articulis reformationis super abusibus & excessibus ejusdem Curiæ, concernentibus potissimùm salaria Conservatoris, Adsessoris, Notariorum ac Procuratorum, per Deputatos Vniversitatis conceptis atque exhibitis, & à Commissarijs Ducis è suo Concilio examinatis atque acceptatis, ad placitum tamen & revocationem ejusdem Principis.

Concor-

Concordatum superius, atque Indultum *Philippi* Ducis, omnesque & singulos articulos inibi comprehensos, CAROLVS V. an. CIↃ. IↃ. XVIII. Kalen. Maij approbavit & confirmavit.

Circa idem Privilegium inter Hollandiæ Ordines atque Vniversitatem, seu eorum Syndicos, *Ioannem Balduin:*, Advocatum Hollandiæ, & *Gualterum à Beka*, I. V. D. & Prof. anno CIↃ. CCCC. XCI. III. Eid. Martij in hunc modum convenit. I. *Quòd, priusquam aliquis è civitatibus Hollandiæ citetur & evocetur ab aliquo Suppositorum, Vniversitas ipsa teneatur scribere, additâ qualitate caussæ & quantitate debiti petiti, ad eam civitatem, in qua citandus moratur, idq́; mense uno ante citationem.* II. *Quòd, si quispiam Hollandorum excipere velit adversus personam Suppositi, de eo per deputatum Lovanij informationem capere valeat.*

Simile Concordatum extat Vniversitatis cum opido Middelburgensi in Zelandia an. CIↃ. IↃ. IX. XIII. Kal. Aprilis.

Porrò Conservator tribunal habet distinctum & separatum à tribunali Rectoris. Nam si civis aut Studiosus in judicio experiatur cum Studioso, adeundus est Rector: sin Studiosus cum cive aut extraneo, tunc ad Conservatorem itur, bis hebdomadatim, diebus Mercurij & Sabbathi, pro tribunali sedentem. Fuit quidem ea de re aliquando controversia inter Rectorem ac Conservatorem, & nominatim anno CIↃ. IↃ. LVII. occasione Scholaris coram Conservatore conventi, & remitti ad Rectorem, ut judicem competentem, postulantis: verùm ea tunc decisa fuit, distinctis muneribus & limitibus utriusque jurisdictionis & potestatis inter utrumque Iudicem, conformiter Informationi ex parte Vniversitatis R. admodum D. *Philippo Hosdeno*, Abbati S. Gertrudis & Conservatori Privilegiorum, exhibitæ, quam & hîc repræsentare placuit.

Cùm in florenti nostra Vniversitate Lovaniensi Scholastici, bonis disciplinis insudantes, duos ex privilegio Iudices habeant, videlicet Dd. Rectorem & Conservatorem, à quibus omnis inter Scholasticos, sive agant sive conveniantur, jurisdictio administratur: magna & ipsis, & universæ Scholasticorum multitudini, accessura videtur tranquillitas & commoditas, si munera & limites jurisdictionis & potestatis inter utrumque paullò exactiùs, quàm hactenus factum est, distinguantur, atque unicuique sua deinceps jurisdictio conservetur illibata; ne scilicet litem, ad alterius cognitionem pertinentem, alius occupet, & cùm, perturbatis finibus unum membrum alterius valetudinem ad se trahere conatur, totum Vniversitatis corpus debilitetur. In qua re ut secundùm requisitionem eorum, qui in nos imperio uti possunt, paucis nostram

nostram aperiamus sententiam, quo modo de jure cujusque potestas & & officium accipi, & in quorum negotiorum tractatione versari debeat: in primis considerandum est, ab initio nascentis Vniversitatis solum Rectorem extitisse, cui, approbante *Martino* summo Pont. omnis jurisdictio Ducis Brabantiæ, etiam Decani & Capituli, necnon Magistratus opidi Lovaniensis, & aliorum quorumcumque, velut propria & ordinaria concessa attributaque fuit. Ex qua concessione Rector omne Vniversitatis regimen, & omnium caussarum, civilium & criminalium, ad Scholasticos pertinentium omnimodam (ut in Bulla Erectionis dicitur) ac ordinariam jurisdictionem assecutus fuit. Quæ jurisdictio Rectoris tametsi amplissima esset, & ad omnia caussarum genera extenderetur; ad forenses tamen huc evocandos, aut impediendum eos, ne Scholasticum in loco rei sitæ aut contractus convenirent, non valebat. Vnde eveniebat, ut, quamvis Scholastici pro rebus alibi sitis, aut negotijs alio loco contractis, pro arbitrio adversariorum etiam apud D. Rectorem, tamquam in foro sui domicilij, conveniri possent; ipsis tamen pro rebus alibi sitis vicissim adminiculo Rectoralis jurisdictionis neque agendo adversarium suum à domo sua Lovanium evocare, neque defendendo jurisdictionem judicis contractus aut rei sitæ declinare liceret. Vnde sæpè cum magno incommodo & sumptu, longiùs à studijs ad locum rei sitæ seu domicilij adversariorum litigantium ire compellebantur.

Cui incommodo ut provideretur, constituti fuerunt, ex indulgentia summi Pontificis, Conservatores Apostolici plures numero, quorum officium versaretur non solùm in depulsione manifestæ invasionis & injuriarum, sed etiam in cognitione caussarum; non quidem omnium, sed earum tantùm, quas vel Scholares adversus extraneos seu forenses instituerent, vel è diverso forenses contra Scholasticos; nec harum quidem omnium, sed earum tantùm, quæ instituuntur ab ijs, qui compulsi veniunt Lovanium. Et cum hoc Conservatorum privilegio Scholasticis duo alia maxima beneficia concessa fuerunt, nempe ut ipsis etiam pro rebus alibi sitis forenses ad tribunal Conservatorum Lovanij residentium evocare liceret, & in contrarium forenses eos extra Lovanium abducere, & à suis studijs evocare, non possent dummodò coram aliquo ex Conservatoribus se paratos exhiberent stare juri, ut tenor privilegij Pontificij manifestè ostendit.

Porrò supradictæ caussæ Conservatoribus erant communes, ita ut in caussis à Scholasticis adversus forenses intentatis potior esset, qui prior citasset forensem: in caussis verò à forensibus compulsis contra

Scholasticum motis, non qui prior esset aditus à forensi, sed quem Scholasticus ad instantiam extranei conventus elegisset. Nam ut ex beneficio juris communis Scholasticis electio datur, coram quo judice conveniantur, *Authent. Habita C. Ne filius pro patre*: ita etiam privilegium Pontificis circa constitutionem procuratorum, ac etiam super tractu passivo impediendo, hanc eligendi facultatem ad personam Scholastici retulit. Dinus *& alij in c. Alternativis De R. I. in 6*.

Et ita huc usque usu & consuetudine receptum est, atque hactenus distincta separataque fuit jurisdictio cognitioque Rectoris & Conservatorum, ut scilicet Conservatoribus propriæ essent injuriarum depulsiones, & omnes caussæ, quæ vel à Scholasticis contra forenses, vel à forensibus contra Scholasticos instituerentur. Nisi forenses ultrò & suâ sponte conveniendo Scholarem tribunal D. Rectoris tamquam judicis domicilij eligerent, *l. fin. C. Vbi in rem actio*.

Verùm postea, cùm usu & experientiâ plurium Conservatorum usus Vniversitati videretur inutilis, abrogatis reliquis, unum tantùm Conservatorem retinere placuit: & potestas jurisdictioque reliquis Conservatoribus adempta, partim D. Rectori, partim D. Conservatori, qui remansit, attributa fuit. Majus tamen incrementum ex abrogatione illa D. Conservatori quàm Rectori accessit. Nam omnium inhibitionum, atque etiam omnium caussarum cognitionem, quæ à Scholasticis contra forenses instituuntur, quæ priùs omnibus communes erant, solus Conservator retinet. Rectori autem hoc unum accessit, ut Scholasticus à forensi coram Conservatore conventus, secundùm privilegium optionis suæ, loco aliorum Conservatorum, Rectorem possit eligere. Quod sanè pusillum est, magisque inductum videtur ad conservandum privilegium electionis Scholaribus, quàm ad augendam jurisdictionem D. Rectoris: cùm rarissimus usus eveniat, quo Scholasticus, apud D. Conservatorem conventus, hoc beneficio optionis uti desideret.

Et ne quis nos circa hanc mutationem surrogationemque Rectoris in locum Conservatorum, qui sunt abrogati, divinare arbitretur, conjecturam hujus mutationis & surrogationis capimus ex privilegio optionis in utroque Diplomate, scilicet concessionis Conservatorum, & ejus, quo vetitum est forensibus Scholasticos ex Lovanio evocare. Quod quidem optionis privilegium non est verisimile majores nostros voluisse simul cum multitudine Conservatorum deperire.

Et hoc manifestiùs ex eo ostenditur, quòd in formula, quæ litteris D. Conservatoris secundùm tenorem privilegij inseri est solita, & quæ usum

usum optionis adhuc hodie durare significat, post abrogationem illam reliquorum Conservatorum, loco eorum nomen Rectoris poni consueverit, hoc modo: *Dummodò coram nobis aut dicta Vniversitatis Rectore singulis de se querulantibus paratos exhibeant stare iuri.* Quæ quidem nova formula comprobatur per plurima exempla, quæ partim in actis caussæ, & multò latiùs in certa Informatione in hoc conceptâ, & Adsessori D. Conservatoris communicatâ, comprehensa sunt, longissimo rerum usu, qui in specie dubitabiliore, nempe quando Scholaris impetrando inhibitiones cœpit uti Conservatoris auxilio, est indubitatus, & antiquo exemplari nuper reperto, in quo ex antiqua formula, deletis prioribus verbis, *Dummodò coram nobis aut aliquo ex nostris collegis*, novæ formulæ verba, quæ nunc frequentantur, *aut dicta Vniversitatis Rectore &c.* substituta inveniuntur.

Quibus & ea ratio suffragatur, quòd Conservatorum constitutio ad hoc solùm facta videatur, ut per eam succurratur Scholaribus, auxilium inde implorantibus, non autem, ut Conservator suâ utatur potestate adversus Scholares conservari nolentes.

Porrò extra dubitationem videtur, potestatem illam reliquis Conservatoribus ademptam circa optionis privilegium, temporis diuturnitate jure ad Rectorem transferri potuisse. Siquidem cùm sufficiat hæc temporis diuturnitas ad acquirendam jurisdictionem ei, qui nullam habuit, Bart. *in l. 1. §. hac interdicta D. De itin. actuq. priv.* Panorm. *in cap. 1. De relig. dom.* Innoc. *& alij in c. Dilectus De capel. Monach.* multò magis sufficiet ad inducendum augmentum jurisdictionis, quam Rector ab antiquo habuit, quæque est ordinaria, ideoque facilè incrementum recipit, *arg. l. 1. gl. in V. multo magis C. De rei uxoria act.* Castren. *in l. 1. De iurisd. om. iud.*

Neque dici potest, quòd si Rector in caussis à forensibus contra Scholasticos intentatis vice aliorum Conservatorum quoad optionis privilegium surrogatus sit, Scholarem etiam in foro D. Rectoris à forensi conventum uti debere hoc optionis privilegio; siquidem haberet ea argmentatio rationem aliquam, si Rector à forensi primò aditus non nisi virtute surrogationis jurisdictionem haberet. Verùm nunc, cùm etiam ex alia qualitate, eaque potentiore ac favorabiliore, sit judex competens, nempe ratione ordinariæ jurisdictionis, quam habet tamquam judex domicilij, in dubio existimandum est, forenses coram eo suas actiones proponentes magis ad eum in qualitate ordinarij quàm surrogati recurrere, secundùm Decium *Cons. 3. 1. p.* Ex quibus relinquitur clarum, hodie Scholarem coram D. Conservatore conventum,

ventum, si ad Rectorem remitti desideret, esse audiendum. Subsig. *Gabr. Mudaus, Vulmarus Bernaerts & Elb. Leoninus.*

Cæterùm ad tribunal D. Conservatoris è tota Brabantia, alijsque Provincijs, imò & Leodicensi, evocare licet: magno sanè Studiosorum commodo, quippe qui vocari in jus aut trahi extra muros urbis Lovaniensis in prima instantia nequeant. Verùm singulare hoc jus, quod & olim ac nuper latè obtinuit, paulatim cùm pervicaciâ opidorum, quæ suos tuentur, tum remissione ac frigore Academicorum, restringi, justissima Iusti Lipsij querela est. *Si sic pergitur*, inquit, *brevi non nisi nomen & memoria eius erit.* Confirmata tamen jurisdictio Curiæ hujus fuit non semel supremorum tribunalium arrestis: in Concilio secretiori anno CIↃ. IↃC. XXIX. V. Idus Aug. contra Decanum & Capitulum S. Albani Namurcense: in magno Conc. Belgico Machliniæ adversus Flandros, contendentes sese extra provinciam evocari ad dicendam alibi caussam non posse, idque ex privilegio, quod Academico opponebant, an CIↃ. IↃ XXXVI. IX. Kalen. Iulij, & an. CIↃ. IↃ. XLVII. VIII. Kal. Octob. item adversus opidum Machliniense an. CIↃ. IↃ. XLVI XI. Kal. Martij: in suprema Brabantiæ Curia adversus Consules, Scabinos & Magistratum opidi Bruxellensis an. CIↃ. CCCC. XCV. VII. Kalen. Iunij, & iterum an. CIↃ. IↃC. XXXV. III. Non. Decemb. adversus opidum Lovaniense an. CIↃ. IↃ. LXXXVI. IV. Kalen. Aprilis; adversus Trajectenses ad Mosam an. CIↃ. IↃC. XVIII. III. Nonas Decembris, & adversus Abbatissam & Conventum Cortebergensem excipientem contra jurisdictionem D. Conservatoris, quòd ex privilegio, ut adserebat, Prælatis Brabantiæ competente conveniri alibi in prima instantia non posset, quàm coram supremo Brabantiæ Senatu, an. CIↃ. IↃC. XX. XVI. Kal. Ianuarij, pro Capitulo Canonicorum novæ fundationis Lovanij: in Concilio denique Flandriæ an. CIↃ. IↃ. LXXXVII. VII. Id. Novemb. pro D. & M. Ioanne Pieremont contra D Germanum Hontschot.

Porrò Conservatores seu Iudices Privilegiorum à condita ferè Academia adsumi ex eorum numero solent, quos summi Pontifices in suis Diplomatibus nominarunt: constat enim hac in re non semel variatum fuisse. Et quidem MARTINVS V. an. CIↃ. CCCC. XXVI. V. Idus Septembris Conservatores nominavit tres, Episcopum Trajectensem, Abbatem B. Mariæ Tongerloensem, & Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Lovanij Decanum. Verùm idem Pont. nondum lapso biennio, anno nimirum CIↃ. CCCC. XXVIII. Kalen. Maij, ad preces & supplicationem Rectoris & Vniversitatis, præfatis Abbati & Decano omnem

omnem ademit potestatem, jurisdictionem sive facultatem, & in eorum locum surrogavit Præpositum S. Gertrudis in urbe Lovaniensi, atque ad D. Gudulam Bruxellis Decanum. Præpositurâ in Abbatialem dignitatem erectâ, accessit deinde declaratio NICOLAI V. an. CIↃ. CCCC. XLIX. VI. Nonas Martij, quòd, non obstante mutatione dignitatis, idem Abbas, antè Præpositus, exercere seu continuare ejusmodi jurisdictionem posset.

PAVLVS II. an. CIↃ. CCCC. LXVIII. VII. Kalen. Septembris Conservatores ac judices deputavit Abbates duos, eumdem Gertrudanum & B. Mariæ in Parco, itemque Decanum Ecclesiæ D. Petri Lovanij. Verùm & postremi illi temporarij fuerunt, eodem Pont. an. CIↃ. CCCC. LXIX. prid. Nonas Septemb. abrogatâ dictis Abbati Parcensi & Decano omni potestate & jurisdictione, in eorum locum surrogante Episcopum Vltrajectinum & D. Gudulæ Bruxellis Decanum.

Denique PIVS IV. an. CIↃ. IↃ. LXII. XIII. Kalen. Maij præfatis Conservatoribus, Episcopo, nunc Archiepisc. Vltrajectino, Abbati Gertrudano & ad D. Gudulam Decano, adjunxit Præpositum S. Petri Lovanij, ejusdemque Ecclesiæ & S. Iacobi Decanos, eò quòd hi plerumque de gremio & juramento Vniversitatis existerent.

Atque ex his sex, à Sede Apostolica nominatis Iudicibus, Vniversitas sive Academia eligere unum aut plures potest: hactenus tamen uni dumtaxat provincia illa præsentata ac delata fuit, sub certis legibus, conditionibus, promissionibus, de fideliter administrando hoc officio, juxta tenorem Bullarum Apostolicarum; de recipiendis & observandis reformationibus per Vniversitatem circa defectus Curiæ Conservatorialis factis & faciendis; de non desistendo ab actuali exercitio suæ jurisdictionis propter aliqua mandata Regalia aut Ducalia, aut quodcumque aliud mandatum in eum exequendum, nisi priùs de ijs consultâ Vniversitate &c. Ita ordinatum an. CIↃ. CCCC. LXXXVII. XI. Kal. Iunij. Primusque ad hanc dignitatem per electionem & solemnem Diplomatum Apostolicorum præsentationem adsumptus fuit WALTERVS MOLIART, Lovanij ad D. Gertrudem Præpositus, an. CIↃ. CCCC. XXVIII. IX. Kal. Aug. postea ad petitionem & supplicationem *Philippi*, Ducis Burgundiæ Brabantiæque, à *Nicolao V.* creatus Abbas, anno, ut suprà, CIↃ. CCCC. XLIX. VI. Non. Martij. Vixit hic in ea dignitate annis XV. ac resignatione factâ supervixit duobus annis. Obijt anno Dom. CIↃ. CCCC. LXVII. VII. Idus Iunij.

II. TEODORICVS DE BRAECKEL, ibidem Abbas, sub certis

quoque reformationibus & ordinationibus in Curia sua observandis, an. CIↃ. CCCC. LXVI Nonis Iunij munus hoc suscepit, & an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. XIII. Kalen. Maij, unà cum vita, munus Conservatoris deposuit.

III. IOANNES VANDER MOERE, in Decretis Licentiatus, ejusdem loci Abbas, & de Consilijs Facultatis SS. Canonum atque Univers. an. CIↃ. CCCC. LXXXVII. X. Kal. Febr. Eidem Conservatori Privilegiorum electo præsentatæ fuere Bullæ Apostolicæ eodem anno XI. Kal. Iunij, ante susceptum munus benedictionis. Obijt an. CIↃ. IↃ. XIV. III. Nonas Maij.

IV. IOANNES GODEFRIDI DE WEMELINGHEN, I. V. D. & Prof. atque ad D. Gudulam Bruxellis Decanus, an. CIↃ. IↃ. XIII. VII. Idus Octob. adsumptus. Moritur an. CIↃ. IↃ. XXV. prid. Id. Decemb.

V. ANTONIUS NIEVWENHOVEN, Lovaniensis, Abbas ad S. Gertrudem: cui à morte *D. Ioannis Vander Moere* an. CIↃ. IↃ. XIV. prid. Kal. Iunij decretum quidem fuit præsentationem Privilegiorum Apostolicorum esse faciendam: verùm is eam acceptare recusavit, & mortuo demùm *Ioanne VVemelinghen*, id est anno CIↃ. IↃ. XXVI. Nonis Novemb. munus hoc suscepit, idque sub certis legibus & conditionibus, quas ipse præscripsit, & sub modificationibus per Universitatem propositis, quas idem Abbas acceptavit. Obijt eodem anno IX. Kal. Ianuarij.

VI. PETRUS WAS, Bruxellensis, item Abbas, an. CIↃ. IↃ. XXVII. IX. Kal. Febr. sub ijsdem legibus & modificationibus in Conservatorem electus & receptus fuit. Hic an. CIↃ. IↃ. XL. III. Id. Iulij, cùm antea non semel petijsset absolvi ab hoc munere, quoad caussas concernentes personas vocatas & vocandas extra patriam Leodiensem subdelegavit *Reinerum Ioannis*, de Enchusia, I. V. D. Præpositum Vualcuriensem. Vitâ decessit an. CIↃ. IↃ. LII. XVII. Kal. Martij.

VII. PHILIPPUS DE HOSDEN, dicti loci Abbas, eodem anno IX. Kal. Aprilis: qui dignitate ac munere utroque cum laude functus, vitâ defungitur anno CIↃ. IↃ. LXIX. V. Kalen. Iunij.

VIII. LAURENTIUS METSIUS, S. Theol. Licent. & in D. Gudulæ Bruxellis Decanus, eodem anno, VII. Id. Iunij adsumptus ad hoc munus, suum in Academia Vicarium ac Delegatum habuit *Iudocum Ravesteinium*, S. Theol. Doctorem & Prof. ad D. Petrum Lovanij Canonicum, & Præpositum Vualcuriensem.

IX. IOANNES VANDER LINDEN, Lovaniensis, Abbas S. Gertrudis, & Regi Catholico à Consilijs Status, an. CIↃ. IↃ. LXX. XIV. Kal.

Kal. Martij. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXXV. XI. Kalen. Februarij. In ejus, adhuc viventis & absentis diutiùs ab Vrbe, locum an. CIↃ. LXXVIII. surrogatus ab Academia fuit

X. MICHAEL BAIVS, S. Th. D. & Prof. Ecclesiæ D. Petri Decanus: qui an. CIↃ. IↃ. LXXXIX. XVI. Kal. Octobris diem suum obijt.

XI. ADRIANVS DE BEAVFORT, Nivellensis, Abbas S. Gertrudis, adsumptus ad exercitium jurisdictionis Conservatorialis eodem an. CIↃ. IↃ. LXXXIX. V. Non. Octob. qui anno CIↃ. IↃ. XCIII. prid. Nonas Aprilis desijt inter mortales agere.

XII. ARNOLDVS AB EYNTHOVTS, similiter Abbas S. Gertrudis: qui an. CIↃ. IↃC. VII. V. Idus Martij in vivis esse desijt.

XIII. LVDOVICVS AB EYNATTEN, itidem Abbas: qui an. CIↃ. IↃC. XXVI. Kalen. Martijs è vivis migravit.

XIV. GVILIELMVS FABRICIVS, Noviomagus, S. Th. Doctor & Professor, Ecclesiæ D. Petri Decanus. Moritur an. CIↃ. IↃC. XXVIII. Nonis Martij.

XV. CAIVS ANTONIVS HOPPERVS, Protonotarius Apostolicus, Collegiatæ Ecclesiæ D. Petri Lovanij Præpositus & Cancellarius Academiæ. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIV. XII. Kalen. Septembris.

XVI. FRANCISCVS IOANNES DE ROBLES, è Comitibus d'Anappes, Protonotarius Apostolicus, *Hopperi* in utraque dignitate ac functione successor.

Signatores primarum litterarum, Adsessores, & Notarijs seu Actuarij Curiæ Conservatorialis.

HAbet D. Conservator jurisdictioni suæ exercendæ deputatos, Signatorem primarum litterarum, Adsessores, Notarios seu Actuarios, Syndicum, Procuratores atque Executores seu Cursores juratos.

SIGNATOREM deputat Vniversitas virum aliquem probum, doctum & practicum, qui litteras primarias D. Conservatoris admittere vel reijcere possit, signetque eas, quas admittendas judicabit; idque juxta concordata Vniversitatis cum Principe, & ordinationes ejusdem Vniversitatis. Observo autem jam inde ab anno CIↃ CCCC. XXXIV. III. Idus Decemb. adeoque sub ipsam originem Academiæ, statutum & ordinatum fuisse, quòd supplicationes omnes super monitionibus, citatio-

citationibusque faciendis antè examinari deberent per Rectorem, ejusque Adsessorem seu Adsessores pro tempore, & utrùm supplicans verus esset studens, deque alijs circumstantijs requisitis inquiri, ne hinc detrimentum vel molestias sentiret Vniversitas. Observo item, an. CIↃ. CCCC. XLIX. XIII. Kal. Ianuarij edita fuisse statuta, concernentia reformationem supplicationum pro litteris citatorijs, inhibitorijs, protectorijs, cæterisque, quibus & qualiter eæ concedi deberent, examinandæ, admittendæ, vel refellendæ à quinque personis discretis & gravibus, per Vniversitatem ad hoc unà cum Rectore deputandis. Observo denique, an CIↃ, IↃ, XXV. III. Non. Novemb. placuisse Vniversitati, ut deinceps aliquis Iurisperitus adsumeretur, qui sciret distinguere actiones caussarum, signaretque litteras primarias in caussis transportatum &c. Deputatos autem eam in rem fuisse primò Notarios Vniversitatis, & nominatim *Ioannem Vullinck*, ejusque successorem *Ioannem de Valle*; electos verò postea alios, ut *Theodoricum Peelmans*, de Mierda inferiori, I. V. L. anno CIↃ. IↃ. XLV. die XXIX. Decemb. *Petrum Amicum*, LL. Doct. & Prof. CIↃ. IↃ. LVI. postrid. D. Th. *Gregorium VVytsliet*, I. V. L. CIↃ. IↃ. LVII. prid. Kal. Septemb. qui & Advocatus fuit Fiscalis, desijtque vivere an. CIↃ. IↃ. XCIV. VIII. Id. Iulij. Decrevit verò tunc Vniversitas, ut officium hoc Signatoris & Advocati Fiscalis deinceps maneret conjunctum; quomodò utrumque delatum fuit *Cornelio Silvio* I. V. D. eodem anno, die XVI. Iulij: verùm ab isto decreto mox recessum fuit, constituto à morte *Silvij* an. CIↃ. IↃC. XX postrid. D. Th. Signatore *Henrico Zoesio*, I. V. D. & Prof. cui an. CIↃ. IↃC. XXVII. surrogatus est *Guiliel. Gutsschovius*, I. V. L. Advocatus Fiscalis; & huic an. CIↃ. IↃC. XXIX. *Iacobus du Bay*, I. V. L. huic item an. CIↃ. IↃC. XXXV. *Iacobus Santvoert*, I. V. D. & Prof.

ADSESSORES nominat & adsumit D. Conservator, approbat Vniversitas. Ita factum anno CIↃ. IↃ. I. *Petro De Thenis* I. V. D. in Adsessorem adsumpto: item an. CIↃ. IↃ. XIII. quando *Ioannes de Loemel* I. V. L. nominatus fuit Adsessor. Ante hos invenio & Adsessores *Ioannem de Gronsselt & Ioan. Papenhoven*, LL. Doctores, item *Georgium Burgensem*, vulgò *Bourgeois*, Cameracensem, I. V. L. ad D. Ioannem Leodij Decanum, qui desijt esse in humanis an. CIↃ. CCCC. LXXXVII. VI. Kal. April. *Conradum de Sarto*, Leodiensem, Decret. Licent. ad S. Lambertum Leodij Canonicum & Custodem, Præpositum Ecclesiæ S. Rumoldi Machlin. ibidemque Consiliarium, qui obijt Lovanij an. CIↃ.

an. CIↃ. IↃ. II: VIII. Idus Febr. & *Rolandum Sumannum* (vulgò *Zoemans*) de Castel, I. V. L. virum singularis ingenij, prudentiæ dexteritatisque in litibus finiendis, & Adsessorem incorruptissimum. Obijt is anno CIↃ. IↃ. XXXI. mensis Iulij die XVI. sepultus in templo Prædicatorum, unà cum uxore *Elizabetha Marcylis*, ab Arendonck. *Sumannum* secuti sunt *Ioannes Glaviman*, I. V. L. anno CIↃ.IↃ.XXXIII. *Gregorius VVytfliet* I. V. L. *Theodoricus Peelmans* I. V. L. *Petrus Gudelinus* an. CIↃ. IↃ. XCIV. *Corn. Silvius* an. CIↃ. IↃC. XIX *Iacobus Haecht* an. CIↃ. IↃC. XX. I. V. Dd. & Profess. *Raphael Lintermans* I. V. L. an. CIↃ. IↃC. XXI. *Michael vanden Perre*, I. V. D. an. CIↃ. IↃC. XLI.

NOTARIOS seu Actuarios D. Conservatori nominat & præsentat Vniversitas: tenenturque illi, priusquam exercitio officij sui se immisceant, jurare, secundùm formam anno CIↃ. CCCC. LVII. præscriptam, *quòd officium illud nomine suo proprio, & ad nullius alterius utilitatem, vel ab aliquo substitutus exercebit, & pro illo ad instantiam cuiuspiam sive petitionem, seu ex pretio vel ex conventione non dedit, promisit, neque dabit vel promittet dare, anno vel ad tempus, seu in promptis, per se vel alium, directè vel indirectè, publicè vel occultè, quovis quæsito colore.*

Ante prædictum annum qui *M. Petrum de Mera* in officio illo præcesserint non reperi hactenus. Successit verò *M. Ioannes Boels*, Baccal. in Decretis: cui accessit *M. Henricus Merçator*, præsentatus simul D. Conservatori eodem anno CIↃ. CCCC. LVII. Kal. Febr. postquam decrevisset Vniversitas, ut deinceps esset annale hoc officium, proque majori commoditate & expeditione caussarum duo adsumerentur Notarij.

Anno itaque CIↃ. CCCC. LXII. V. Kal. Aug. *Ioanne Boels* resignante, eligitur ejus nepos *M. Ioannes de VVinckele*: cui an. CIↃ. CCCC. LXXIV. adjunctus alter fuit Notarius *M. Henricus Marchant*, cujus sarcophago apud Martinianos hæc inscripta leguntur:

Hic iacet Venerabilis Vir
M. HENRICVS MARCHANT, *Presbyter*,
Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Gertrudis Nivellensis,
S. Apostolicâ & Imperiali auctoritatibus Notarius,
ac D. Conservatoris Privilegiorum Vniversitatis
Lovaniensis Scriba.
Qui obijt anno à Nativitate Domini CIↃ. CCCC. LXXX.
Mensis Martij die XVII.

Marchantio surrogatur *M. Gabriel Hans* eodem anno, XII. Kal. Aprilis. A cujus morte, quæ incidit in sequentem annum, placuit per unum

K solùm

solùm exerceri hoc officium, prout & antè ab origine Academiæ Curiæque hujus per plures annos exercitum fuerat: donec anno CIↃ.CCCC. XCIV. XI. Kal. Ianuarij iterum in alterum ejusdem Curiæ Notarium adsumitur *M. Gerardus Iansens*, interpellatâ ad hoc Vniversitate non unis litteris Sereniss. Principis PHILIPPI, Archiducis Austriæ, Ducis Brabantiæ &c.

Mortuo *Gerardo*, an. CIↃ. IↃ. III. VI. Idus Septemb. electi bini dictæ Curiæ Actuarij, *M. Ioannes Vullinck*, Scholasticus Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri (qui & Notarius fuit, mansitque deinceps, Rectoris & Vniversitatis) & *M. Ioannes Colen*, conjunctim idem officium exercuerunt, unà cum *Ioanne Vuinckelio*. Cui anno CIↃ. IↃ. V. XIII. Kal. Iulij tertius successit Notarius *Ioannes de Mera*. Singulis his ordine alij tres surrogati fuerunt,

Petrus de Strompe, resignante *Ioanne Vullinck*, an CIↃ. IↃ. XXX. VIII. Eid. Martij.

Ioannes Duyskens an. CIↃ. IↃ. XXXVIII. III. Non. Novemb, in locum soceri sui *Ioannis Colen*, eodem anno defuncti.

Matthæus Coggen, de Breda, CIↃ. IↃ. XLII. XV. Kal Augusti, surrotus *Ioanni de Mera*.

Arnoldus Hazius, Lovaniensis, I. V. L. an. CIↃ. IↃ. LXXII. die XIV. Octob. sufficitur *Ioanni Duyskens*. *Hazio* verò an. CIↃ IↃ. LXXVIII. urbem Lovaniensem officiumque deserenti *Godefridus Rochus* substituitur.

Ioannes VVamel, Graviensis, à morte *Matthæi Coggen* in Actuarium adsumitur, mortuoque *God. Rocho*, solus in eo munere superstes & longævus vixit. Illi surrogatur an. CIↃ. IↃC. V. V. Idus Ianuarij,

Paulus Kimps, Ghelensis, I. V. L. qui & solus totos XXX. annos in ea functione sedulus & adsiduus fuit; moriturque anno CIↃ. IↃC. XXXV. V. Idus Aprilis. A cujus decessu placuit iterum per duos obiri hoc munus, adsumptique fuere,

Henricus vanden NouWelandt, Vuestmallensis, I. V. L. gener *Kimpsii*.

Ioannes Baelmans, Vueeldius, I. V. L. ante-hac Rectori & Vniversitati à Secretis & ab Actis.

Remigius VVouters, Trudonensis, I. V. L. Secretarius & Actuarius ejusdem Vniversitatis, *NouWelantio* Advocato Fiscali an. CIↃ. IↃC. XLI. Non. Martij electo.

IX. FA-

IX. FASTI DOCTORALES FACVLTATIS S. THEOLOGIAE.

Origo & Ordo Prælectionum in hac Facultate.

THEOLOGICA Facultas licet ordine postrema, tamen dignitate prima est. Potestatem fecit hanc Lovanij docendi EVGENIVS IV. Pont. Max. anno à condita Academia quinto. Namque unam istam scientiarum reginam voluerat exceptam MARTINVS V. Quid moverit, nescio: fortasse vulgare doctrinam eam, inquit Lipsius, & spargere, haud ex usu censuit, neque campum nimis aperire disputationibus & sermonibus super rebus divinis. Moverunt verò *Eugenium* pont. preces assiduæ cùm PHILIPPI BONI, Ducis Burgundiæ Brabantiæque, tum S. P. Q. Lovaniensis, tum etiam *Erardi* Card. *à Marca*, Episcopi & Principis Leodiensis, in cujus diœcesi tunc erat Lovanium, per suum delegatum *Henricum de Mera*, Decretorum Doct. ac Prof. & Decanum Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri. Vnde idem Pontifex dictos supplicantes, & universas eorum regiones, *ad quærendum litterarum studia, præsertim Theologicæ Facultatis, excitare satagens, ut inde veritatis lumen prodeat in tenebris, ad superna Deitatis essentiam veraciter contemplandam pandatur iter, &, semotis hæresum fomentis, Catholicæ fidei puritas enitescat*; auctoritate Apostolicâ statuit & ordinavit, *quòd etiam deinceps in dicto opido* Lovaniensi *Facultas Theologiæ futuris perpetuis temporibus vigeat & observetur, ac in ea, congruis habitis cursibus, sufficientes idoneiq́; reperti, à Præposito, Decano, vel deputando ab eisdem, quibus propterea ritè præsentati fuerint, gradus & insignia Magistralia recipere, necnon in præfata Theologia legere & docere &c. valeant.* Datum & signatum Diploma anno CIↃ. CCCC. XXXI. Nonis Martij, qui dies D. THOMÆ AQVINATI Angelico Doctori (quem Schola Theo-

Theologica patronum colit) sacer est. Fortè ideo quoque *Martinus* Pont. cùm potestatem fecisset amplissimam omne genus artium docendi, Theologiam exceptam voluit (inquit *Abrahamus Bzovius*, Ord. Prædicat. S. Theol. D. Annalium Ecclesiast. Tomo xv.) ut tanto vehementius desiderium docendæ illius ingeneraret. Non ignarus, vehementiorem esse cupidinem excellentis alicujus Professionis negatæ, & ex cupiditate majorem conatum tentandi, & à tentamento ardentiore perfectiorem virtutem concipiendæ consequendæque artis. Neque sanè falsus opinione fuit *Martinus*. Statim enim atque *Eugenius* IV. P. M. Martini successor, postulante *Philippo Bono* Principe, annuisset, ut in ea Schola Theologiæ quoque arcana docerentur: tanto studio in id Studium Professores Lovanienses incubuerunt, ut nulli Vniversitati primas concedere voluerint in tractatione rerum divinarum, præsertim contra hæreticos controversarum. In quibus quòd à solida, clara & veridica Patrum Orthodoxorum, & præcipuè SS. AVGVSTINI atque THOMAE AQVINATIS doctrina, neque apertè, neque per distortas aut extortas commentationes discesserunt, meruerunt perpetuò audire DOCTISSIMI, INTERRIMIQVE INTERPRETES MENTIS DIVINÆ: ac præterea FORTISSIMI, FELICISSIMI PROPVGNATORES FIDEI CATHOLICAE ROMANAE ECCLESIAE. Hæc Bzovius.

Prima deinde cura fuit providendi Professoribus seu Legentibus pro tempore in Facultate qualibet de competenti salario (prout ex Bulla Erectionis obligati erant Dux ipse, unà cum Burgimagistris, Scabinis & Communitate opidi Lovaniensis, *Magistris & Doctoribus legentibus de salario competenti annis singulis, vel aliàs de beneficijs Ecclesiasticis providere*) ne fortè ob dotis atque alimentorum defectum, *aliquo turbinis flatu, etiam ex quacumque levi caussa prorumpente, aut parvo familiaris rei detrimento, vel aliâ quavis necessitate occurrente*, (ut verbis utar Bullæ Eugenianæ) eos tamquam famelicos dispergi, Studiumque novellum, ob rerum carentiam, ad nihilum redigi contingeret. Vnde, instantibus iterum eodem *Philippo* Duce, ac Burgimagistris, cæterisque Rectoribus opidi & Studij Lovaniensis, anno CIƆ. CCCC. XL. Romam ablegatus fuit *Petrus de Mera*, Henrici frater, & in Decanatu successor, qui ibidem procuravit, impetravitque unionem & incorporationem trium Canonicatuum & præbendarum in Ecclesia Collegiata D. Petri, unà cum Plebania ejusdem, itemque decem Ecclesiarum parochialium, pro quindecim, vel tot, prout singulis sollicitè consideratis videretur, Canonicatibus & præbendis, in eadem Ecclesia D. Petri de novo creandis & instituendis, quibus nullus sacer Ordo annexus esset,

pro

pro formatis in Theologia Baccalaureis, sive in illa aut Medicina, vel qui per triennium legerint vel rexerint post susceptionem Magisterij gradus in Artibus Magistris, sive in utroque vel altero Iure Doctoribus, aut cum rigore examinis Licentiatis, in eodē Studio regentibus vel legentibus. Iure præsentandi ad hujusmodi Canonicatus & præbendas, necnon ad tres, antehac ad collationem & provisionem Decani & Capituli Ecclesiæ S. Petri pertinente, & ad Plebaniam ejusdem Ecclesiæ, adsignato *Burgimagistris opidi Lovaniensis*, ac reservato jure instituendi & in corporalem possessionem inducendi, *Decano & Capitulo* dictæ *Ecclesiæ S. Petri.* Datum Diploma, signatumque ab Eugenio IV. Senis an. CIↃ. CCCC. XLIII. x. Kal. Iunij: atque Executores litterarum Apostolicarum constituti fuere, Abbas monasterij B. Mariæ in opido Middelburgensi, Præpositus Ecclesiæ collegiatæ S. Petri Trajecti ad Rhenum, & Archidiaconus Antverpiensis in Ecclesia Cameracensi; Bullamque Eugenij *Gulielmus Bontius*, I. V. D. ad D. Petrum Lovanij Decanus, & Archidiaconus Antverpiensis, executus fuit.

Itaque auctoritate Sedis Apostolicæ annexæ sive incorporatæ fuere Professionibus Academicis, in primis tres præbendæ seu Canonicatus Ecclesiæ collegiatæ S. Petri, unà cum Plebania ejusdem: è quibus duo, ut & Plebania, cesserunt tribus Ordinarijs S. Theol. Professoribus, tertius Canonum Professori Ordinario.

Insuper erecti sunt vigore atque auctoritate ejusdem Diplomatis decem novi Canonicatus, & ijs annexæ totidem Professiones. Primi Canonici Professoresque vel saltem è primis fuere, bini in qualibet Facultate; in Theologia quidem, quantum investigando assequi licuit, *Ioannes Ruysche, Ioannes Moederloes*; in Iure Canonico, *Radulphus de Beringhen, Balduinus de Zierixea*; in Iure Civili, *Ioannes van Gronsselt, Antonius Laecman*; in Medicina, *Ioannes Stockelpot, Adamus Bogaert*; in Facultate Artium, *Ioannes ab Hasselt*, publicus Ethices Professor, & *Ioannes Block*, Rhetor publicus. Nam primis aliquot annis ab erectione hujusmodi Canonicatuum & præbendarum observo certum & æqualem numerum quoad singulas Facultates semper habitum non fuisse. Vt ecce anno CIↃ. CCCC. XLV. Canonici è Facultatibus I. V. Professoresque fuere quinque, juris Pontificij *Balduinus de Zierixea* & *Radulphus de Beringhen*; juris civilis *Ioannes Gronsselt, Gerlacus Bont* & *Ant. Laecman*; Medicinæ tres *Ludovicus de Vettere, Adamus Bogaert* & *Ioannes Stockelpot*. Item anno CIↃ. CCCC. LVII. è Facultatibus I. V. iterùm quinque, in locum *Ioannis Gronsselt* & *Antonij Laecman* surrogatis *Gulielmo de Delft* & *Ioanne de Papenhoven*.

Professores ergò Ordinarij S. Theologiæ fuerunt quinque ab initio, qui primitus ex ordine hebdomadatim docebant. Ordinatum fuit deinde anno CIϽ. IϽ. XLV. prid. Kal. Octob. ut in posterum teneretur modus in Scholis prælegendi, non per septimanas, ut antè, sed longius temporis spatium, scilicet per sex hebdomadas. Fuerunt illi post unionem sive incorporationem ab Eugenio Pont. factam ab an. CIϽ. CCCC. XLIII. duo Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri, nempe Altaris S. Andreæ & Altaris S. Spiritus, Plebanus ejusdem Ecclesiæ: duo item Canonici secundæ fundationis.

Canonici Altaris S. Andreæ, *Heimericus de Campo* an. 1454. *Henricus de Zoemeren* 1460. *Iacobus SchelWaert* 1472. *Anselmus VVoelmont* 1480. *Adrianus Florentij*, postea Pont. Max. *Nicolaus Coppin* 1519. *Ioannes Driedo* 1535. *Iacobus Latomus*, eod. anno, *Franc. Sonnius* 1544. *Iudocus Ravesteyn*, 1549. *Cornelius Reyneri Goudanus* 1570. *Ioannes Paludanus* 1609. *Henricus Paridanus* 1630. *Gisbertus vanden Broeck*, S. Th. L. 1635. *Iacobus Speeck* 1640.

Canonici Altaris S. Spiritus, *AEgidius Baillioeul*, *Ioannes Bourgeois* 1482. *Ioannes Briardus* 1506. *Godscalcus Rosemondus* 1520. *Ruardus Tapperus* 1526. *Ioannes Hesselius*, 1558. *Robertus Malcotius* 1566. *Ioannes Lensaus* 1569. *Henricus Crocaert* 1580. *AEgidius Vuallius* 1581. *Petrus à Fine*, Liropius, 1603. *AEgidius du Bay* 1613. *Claudius Losson*, Havræus, S. Th. Licent. cui an. CIϽ. IϽC. XXXIV. Nonis Septembris mortuo surrogatus est *Gerardus van VVerm*, & huic an. CIϽ. IϽC. XXXIX ad Professionem Regiam promoto, *Livinus Debbaut*, Teneræmondanus, S. Th. L.

Plebani Ecclesiæ S. Petri, *Ioan. Varenacker* 1443. *Petrus à Rivo* 1475. *Nicolaus ab Hellis* 1499. *Guilielmus Vianensis* 1505. *Petrus Curtius* 1529. *Cunerus Petri à BrauWershaven* 1559. *Robertus Malcotius* 1569. *Ioannes Egmondanus* 1578. *Embertus Everaerts* 1588. *Ioan. Paludanus* 1604. hactenus omnes S. Theol. Magistri: *Martinus Leunkenius* 1625. & *Ioannes Cobelgiers*, Lovanienses, S. Theol. Licentiati.

Canonici novæ seu secundæ fundationis, *Ioannes Ruysche* S. Th. D. an. 1453. *Iacobus SchelWaert* 1462. factus deinde Canonicus antiquæ fundationis; *Anselmus VVoelmont* 1472. & ipse postea provisus de præbenda antiqua; *Nicolaus Hellis* 1480. promotus inde ad Plebaniam; *Lucas Vualteri de Conitio*, tunc S. Th. Baccal. 1499. *Martinus Dorpius* 1515. *Ioannes Doye* 1525. *Iudocus Ravesteyn* 1549. qui eodem anno dimisit hanc præbendam provisus de majori; *Martinus Rythovius*, eod. anno 1549. *Ioannes Hessels* 1554. *Martinus Hessels*, S. Th. L. 1559. *Thomas Go-*

mas Gozæus 1560. *Ioannes Molanus* 1570. *Adam* N.S.Th.L. 1574. *Laurentius Vuesterhovius, Iacobus Iansonius* 1580. *AEgidius Baius* 1598. *Petrus à Fine*, Liropius 1613. *Martinus Deckerius* 1617. *Cornelius Iansenius*, Leerdamensis, 1618. *Libertus Fromondus* 1630. *Ioannes Sinnigh* 1637.

Ioannes Moederloes, S. Th. D an. 1481. *Antonius Crabbe* 1506. *Godscalcus Rosemondus* 1515. *Ioannes Driedo* 1520. *Ioannes Leonardi*, de Hasselt, tunc S. Th. L. 1525. *Cornelius Gravius*, de Romerswalis, S.Th.L. 1552. *Augustinus Hunnæus* 1555. *Cornelius Iansenius*, Hulstensis, 1561. *Cornelius Reineri Goudanus* 1568. *Henricus Gravius*, 1569. *Ioannes Bapt. Casenbroot*, S. Th. L. 1572. *Embertus Everaerts* 1577. *Samuel Loyaerts* 1588. *Ioannes Schinckelius* 1614. *Sebastianus Stockmans* 1644.

Postea CAROLUS V. Imp. Aug. memoriæ, an. CIↃ. IↃ.XLVI. Scholam Theologicam binis iisque quotidianis & perpetuis auxit Lectionibus, alterâ S. Scripturæ, alterâ Scholasticâ in Magistrum, ut vocant, Sententiarum; assignato utrique salario ducentorum florenorum annuo. Illa demandata fuit *Ioanni Leonardi*, de Hasselt, hæc verò *Iudoco Ravesteyn*, de Tileto, S.Th.L. & auspicatus est uterque Lectionem suam eodem anno, IV. Non. Maij. Hasselium ordine secuti sunt *Michael Baius, Iacobus Iansonius, Iac. Stapletonus, Ioannes Paludanus, Cornelius Ianssenius, Libertus Fromondus*, Tiletanum verò *Martinus Rythovius, Ioannes Hesselius, Augustinus Hunnæus, Ioan. Lensæus, Ioan. Clarius.*

Accessit deinde anno CIↃ. IↃ. LXVII. munificentia PHILIPPI II. qui novam instituit Catecheseos Professionem, Dominicis Festisque diebus habendam; atque eidem, ut & Professoribus Cæsareis ac Librorum Censori, auctoritate Pij V. deputavit totidem Canonicatus & præbendas in Ecclesia D. Petri, cujus Dux Brabantiæ patronus est. Illa obtigit ex Regia præsentatione *Henrico Gravio* an. CIↃ. IↃ. LXXII. die VII. Novemb. atque inde *Iacobo Baio, Christiano Beusecum, Andreæ Laurent*: Censura *Thomæ Gozæo* an. 1569. *Ioanni Molano, Henrico Cuyckio, Guilielmo Fabricio*, S. Theol. Doctoribus; *Martino Leunkenio*, Lovaniensi, & *Antonio Loverio*, Ghelensi, S. Th. Licentiati; *Iacobo Pontano*, S. Th. D.

Denique cùm videretur fore è re Scholæ Theologicæ, ut Sententijs Petri Lombardi Summa Theologica D. Thomæ Aquinatis sufficeretur, primus, relicto Magistro, auspicium hujus rei fecit *Ioannes Clarius*, anno CIↃ. IↃ. XCVI. pridie D. Marci. Philippus verò Rex huic Professioni adjunxit alteram, quam primus obtinuit *Ioan. Malderus*, postea Antverp. Episcopus; eique ducentorum florenorum & Canonicatum in D. Petri addixit.

Clario

Clario successit *Guilielmus Mercerus* an. CIↃ. IↃC. XI. *Maldero* eodem anno ad Cathedram Antverpiensem adsumpto *Ioannes VViggers*, atque uno eodemque die suas uterque Prælectiones auspicatus fuit. Huic deinde an. CIↃ. IↃC. XXXIX. suffectus fuit *Guilielmus ab Angelis*; illi eodem item anno *Gerardus van VVerm*.

Sunt igitur hodie in Theologica Facultate Professiones novem; quinque Ordinariæ: quibus dein accesserunt quattuor Regiæ sive primariæ, una S. Scripturæ, duæ Theologiæ Scholasticæ, ac Catecheseos. Qui autem sustinet interpretandæ sacræ Scripturæ provinciam, jubetur ex Visitatione anni CIↃ.IↃC.XVII. Novum potissimùm explicare Testamentum, eoque absoluto Psalmos Davidicos, vel alium quempiam, quem elegerit, Veteris Testamenti librum: idque eâ lege, ut non liceat nisi unius è Vet. Testamento libri, vel duorum uni magno æquivalentium, explicationem interponere, eaque absolutâ obstrictus sit ad Novum Testamentum mox redire. Scholasticæ verò Theologiæ senior Professor jubetur explicare primam Partem D. Thomæ, de SS. Trinitate & rerum creatione, de Angelis & primo homine, alijsque Dei operibus, deque Prædestinatione & Reprobatione: item tertiam Partem, quæ de nostræ salutis ac reparationis auctore Christo, de Sacramentis ac Novissimis tractat. Iunior autem primam Secundæ & 2. 2.æ in quibus de Actibus humanis, de Hominis beatitudine, de Virtutibus & Vitijs in genere & in specie de Iustitia & Iure, alijsque eò pertinentibus. Cursuque septennij (quo totius Scholasticæ Theologiæ traditio concluditur, & ante quod tempus nullus ad Licentiæ gradum promoveri potest, nisi fortè ob prægnantes rationes Facultas censuerit cum aliquo in anno uno vel sequi - anno ad summum nonnumquam dispensandum) absoluto, permittitur Professoribus mutare vices, ut, qui primam & tertiam Partem D. Thomæ docuerit, doceat primam 2.æ atque ita vice versâ.

Præter Lectiones, cùm ordinarias, tum quotidianas, variæ & ferè quotidianæ habentur Disputationes, atque una hebdomadatim diebus Sabbathinis, olim in Collegio Theologorum, hodie in Auditorio Theologico: quam omnes, qui huic studio operam dant & ad gradum Baccalaureatus adspirant, subire tenentur, exceptis Religiosis, si ejusmodi exercitia domi habeant. Ita statuit & ordinavit Facultas an. CIↃ. IↃ.L. die 27. Sept. Item exceptis ijs, qui in Collegio Pontificio similem Disputationem sustinuerint. Præsides Disputationum Sabbathinarum fuere, *Ruardus Tapperus*, primò absque ulla dotatione, postea cum dote aliqua, ex legato *Cornelij à Stryen*, Dordracensis, S Th. L. Cano-

Canonici Hagæ-Comitani, qui obijt anno CIↃ. IↃ. XLVI. *Ioannes Hessels* à Lovanio, *Cornelius Iansenius*, *Cunerus Petri*, *Cornelius Reineri*, *Iacobus du Bay*, *Ioannes Paludanus*, *Ægidius du Bay*, *Ioan. Schinckelius*, *Gerardus van VVerm.*

Porrò Collegium ordinarium hujus Facultatis, quod strictum vocant, constituunt Doctores octo, quos Legentes & Regentes, recepto in Academia vocabulo, nuncupare placuit; quia penes hos solos est regimen Scholæ Theologicæ, & jus regendi, examinandi S. Theologiæ studiosos, in ordine ad gradus Scholasticos, soliqùe Scholæ emolumentis gaudent. Ac decedente aliquo Collegarum jus adsumendi alium, qui locum vacantem suppleat, est penes reliquos idem Collegium constituentes, idque è numero aliorum Doctorum seu Magistrorum, actu docentium, vel non docentium, quem maximè idoneum judicaverint, habitâ in primis ratione eorum, qui Disputationibus Scholasticis sæpiùs interfuerint, studiumque Theologicum quà docendo quà disputando diligenter promoverint. Vt tamen bina loca à Doctoribus & Professoribus, quos Burgimagistri vel opidum nominare solent, occupari debeant, uti ijs adfecta. Ita enim, motâ hac de re controversiâ inter dictum Collegium & Magistratum opidi Lovaniensis, decrevit & interlocutus est Sereniss. Princeps *Albertus* anno CIↃ. IↃC. XIV. XIII. Kal. Iulij. Denique ad hoc Collegium etiam Religiosi admittuntur; ita tamen, ut duo ejusdem Ord. non adsumantur, nisi super statuto ejusmodi ex magna & ardua caussa fuerit dispensatum, prout non semel dispensatum fuit. Item licet ex statuto octo tantùm Magistri de Collegio Regentes & Legentes sint, declavit tamen an. CIↃ. IↃ. LXI. Facultas, id intelligendum esse de participantibus emolumenta ex Actibus provenientia, & quòd alij Magistri ad Collegium admissi, qui extra numerum sunt participantium, ab emolumentorum participatione excludantur, donec aliquis ex octo Regentibus decesserit.

L DOCTO-

DOCTORES
S. THEOLOGIAE
AC PROFESSORES,
qui titulum illum aliunde LOVANIVM *attulerunt.*

NICOLAVS DE MIDT, diœcesis Ambianensis, S. Theol. Doctor Sorbonicus, Parisijs accitus, atque in numerum Academicorum relatus anno Dom. CIↃ. CCCC. XXXII. VIII. Idus Iunij, primus in ea Facultate Lovanij Rector fuit. Interfuit & Concilio Basileensi, nomine ejusdem Vniversitatis: unde in Actis Rectoratus sui anno CIↃ. CCCC. XXXIII. nominatur *Ambasiator* ad Concilium generale Basileense, cum *Henrico Retbers* & *Ioanne Flamingi*, Iuris-consultis.

PETRVS GERARDI, aliàs FABRI, S. Theol. Doctor, lecturus in Theologia, inscribitur matriculæ Vnivers. an. CIↃ. CCCC. XXXII. VIII. Id. Novemb.

ANTONIVS DE RECANETO, opido Italiæ, in Marchia Anconitana, ex nobili familia de Columbella, Ordinis Eremit. S. Augustini, S. Theol. Doctor in Sorbona Parisiensi an. Dom. CIↃ.CCCC.XXIII. renuntiatus, ac Lovanium evocatus, nomen matriculæ dedit anno CIↃ. CCCC. XXXII. primosque inter Theologicam ibidem Professionem sustinuit, teste Hieron. Romano lib. v. p. 1. sui Chronici. Fuit & Vice-Procurator generalis Ordinis sui in Synodo Basileensi, atque anno CIↃ. CCCC. XLVII. Senogallensis in Ducatu Vrbini factus Episcopus.

IOANNES A VVYNINGHEM, Ord. Prædicatorum, S. Th. Doctor Coloniensis, an. CIↃ. CCCC. XXXIII. XII. Kal. Ianuarij matriculæ inscriptus & receptus ab Vniversitate, dummodò juratò promitteret, se in futuro Concilio generali sui Ordinis adlaboraturum pro confirmatione Privilegiorum Studij Lovan. quodque teneret hîc Studium Generale, sicut Coloniæ. Ejus *Lectura in Epist. Pauli ad Romanos* solet adservari in Biblioth. Prædicat. Lovanij. Scripsisseque *Dialogum pro inclusione Canonicorum Regularium*, ad preces F. Ægidij Boucheroel, I. V. Licent. professi in Bethleem, testis est Petr. Impens in Chronico suo

ſuo Bethleemit. lib. 3. art. 2. §. 8. Moritur an. · · · · IX. Kal. Iulij.

HEIMERICVS DE CAMPO, Coloniâ accitus, inſcribitur matriculæ Vniverſ. an. CIƆ. CCCC. XXXV. IX. Kal. Maij, & à Magiſtratu Lovanienſi adſumitur in Profeſſorem ordinarium S. Theol. an. CIƆ. CCCC. XLIV. V. Non. Martij, ducentorum florenorum ſalario, primuſque fuit Canonicus Altaris S. Andreæ, à morte *Gulielmi Bont*, I. V. D. & Canonum Prof. primarij, an. CIƆ. CCCC. LIV. XI. Kal. Aug. à Coſſ. ejuſdem opidi nominatus & præſentatus Decano & Capitulo Eccleſiæ S. Petri, vigore incorporationis Profeſſionibus Academicis factæ. Moritur Lovanij, CIƆ. CCCC. LX. ex colica affectione. Meminit Ioan. Trithemius in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt. & ait Gymnaſij Colonienſis fuiſſe Vice-Cancellarium, claruiſſeque in Concilio Baſileenſi, nomine Vniverſitatis Colonienſis, ubi multa, inquit, ſcripſit & diſputavit. Meminit quoque Pet. Impens in Chronico Bethleemit. lib. 5. art. 13. §. 8. & contuliſſe ait Conventui iſtius loci duas partes ſuarum *Expoſitionum in Apocalypſin*. Ejuſdem auctoris leguntur in Parcenſi Abbatia, *Centilogium*, ſive Centum quæſtiones Theologicæ: *Determinatio contra quoſdam articulos erroneos cuiuſdam Bogardi recluſi circa Rhenum*: *Alphabetum ſpirituale*: *Teſtamentum doctrinale*: *Summaria Donati minoris Philoſophia*, Theologicè confirmata & declarata: *Summaria Catonis Ethica*, ſimiliter Theologicè explicata: *Speculare ænigma Vniverſi*, ſive Sigillum æternitatis. Scripſit præterea, ad Bethleemiticos Canonicos Regulares, *Tract. De laude ſolitudinis*, qui ibidem adſervari ſolet ante nuperum Batavorum incendium. Fertur quoque ſcripſiſſe *Apologiam*, *cur receſſerit à Concilio Baſileenſi*, *& Eugenio Pont. adhæſerit*. Sed & in Actis Vniverſitatis Lovanienſis ad an. CIƆ. CCCC. XLVI. die 28. Iulij conſcripta Baſileæ de *S. Brigitta*, eſſe Heimerici, teſtatur ipſa Vniverſitas. Vide Biblioth. noſtram Belgicam.

IOANNES BALDVINI, Religioſus Ord. Præmonſtrat. in Monaſterio S. Nicolai ad muros opidi Furnenſis in Flandria, pòſt Abbas Averbodienſis in Brabantia, S. Theol. Doctor, & Lovanij à Conſilijs ejuſdem Facultatis & Vniverſitatis, inſcribitur matriculæ anno CIƆ. CCCC. LV. VIII. Idus Novemb. Obijt an. CIƆ. CCCC. LX.

GODEFRIDVS DE LOE, Carmelita, Doctor Colonienſis, albo Academico inſcribitur an. CIƆ. CCCC. XXXVIII. prid. Non. Febr. primuſque Collegij Carmelitani auctor fuit, auctoritate Apoſtolici eo tempore apud Belgas Legati, & Academiâ approbante, anno CIƆ. CCCC. LXI. die X. Februarij.

IOANNES RVYSSCHE, Machlinienſis, Doctor Heidelbergenſis,

nomen matriculæ dedit an. CIↃ. CCCC. LIII. IX. Kal. Nov. Professor ac Canonicus novæ fundationis eodem anno designatus.

HENRICVS DE ZOEMEREN, Doctor Theol. Parisiensis, successit in præbenda & Lectione ordinaria *Hemmerico de Campo*, an. CIↃ. CCCC. LX. cui Magistratus Lovaniensis stipendij loco adjecit quinquaginta Petros, singulis ad octodecim stuferos computatis. Controversia illi fuit circa materiam de futuris contingentibus cum *Petro de Rivo*, tunc S. Theol. Baccalaureo & Philosophiæ Professore, caussam hujus amplectente Vniversitate. *Henricus* Romam appellat, & proficiscitur anno CIↃ. CCCC. LXXII. ut & *Petrus de Rivo* & *Antonius Peck*, de Bergis, Decret. Licent. nomine Vniversitatis. Obijt *Henricus* eodem anno, dum ex Vrbe redit; obtentâ adversus Vniversitatem sententiâ revocatoriâ & cassatoriâ sententiæ per *Nicolaum de Mera* Rectorem latæ, XIX. Kalen Septemb. libris, calice, alijsque pro anniversario atque animæ suæ refrigerio relictis Parcensi monasterio. Scripsit ad instantiam Bessarionis, Card. Nicæni, Apostolici per Germaniam ac Belgium Legati, *Epitomen primæ partis Dialogi Occami*: item *Notabilia & Quæstiones diversas super IV. Sentent.* ex diversis Dd. excerptas, MSS. in Parco. Vide Belgicam Bibliothecam.

IACOBVS SCHELWAERT, de Dixmuda, Doct. Theol. Parisiensis, matriculæ Vnivers. nomen dedit an. CIↃ. CCCC. LXII. prid. Kal. Martij, Professorque Ordinarius successit in Canonicatu & præbenda novæ fundationis *Ioanni Ruyssche* eodem anno X. Kal. Martij; surrogatus *Henrico de Zoemeren* in Canonicatu & præbenda majori an. CIↃ. CCCC. LXXII.

IOANNES DE HOYA, Gandensis, S. Th. D. Treviris renuntiatus, Brugis Ecclesiæ Collegiatæ S. Donatiani Curatus, pòst Lovanium secedens in matriculam refertur an. CIↃ. CCCC. XCVI. de consilio ejusdem Vnivers. Obijt an. CIↃ. IↃ. XVIII. ætatis LXXXVIII. die XXVII. Novemb. sepultus in Cartusia, apud Conradum de Sarto.

GERARDVS TILMANNI, Ord. S. Augustini S. Th. Prof. in matriculam refertur an. CIↃ. CCCC. LXXVIII. V. Id. Augusti.

ANTONIVS GRATIA DEI, Venetus, Ord. Fratrum Minorum, S. Th. Prof. incorporatur Vniversitati an. CIↃ. CCCC. LXXIX. III. Id. Octob. Ejus *Exhortatio ad subditos Maximiliani Mariæq; Principum in suis tutandis finibus, hostibusq; propulsandis desides atque torpentes*, legitur Tornaci in Biblioth. Ecclesiæ Cathedralis.

MAGNVS FETTER, ex Ord. Prædicat. admissus ad Concilium Vnivers. an. CIↃ. IↃ. VIII. prid. Kal. Septemb.

DESIDE-

DESIDERIVS ERASMVS, Roterodamus, S. Th. Doctor in Ticinensi Pedemontanæ ditionis Academia anno cIↄ. Iↄ. V. creatus, inscribitur matriculæ Vniverſ. an. cIↄ. Iↄ. XVI. prid. Kal. Septemb. Erasmus ipſe ſcribens Bilibaldo Pirckheimero an. 1517. *Vivo*, inquit, *verſorq́; Lovanij, cooptatus in conſortium Theologorum, licet in hac Academia non ſim inſignitus titulo Doctoris.* Colluctatus tamen ferè ſemper cum Theologis Lovanienſibus; cum *Nicolao Egmondano*, Ord. Carmelitani; cum *Vincentio Harlemenſi*, Ord. Prædicat. cum *Martino Dorpio*, quem tamen alibi non ſemel ut amicum colit & celebrat; cum *Iacobo Latomo*, & alijs. Leguntur & Lovanij in Biblioth. Academica, *Eraſmi Roterdami*, Doctoris Bullati (ita præſefert titulus) *Propoſitiones erroneæ, ſcandaloſæ atque hæreticæ*, juſſu Facult. Theologicæ anno cIↄ. Iↄ. LVII. per *Ioan. Hentenium*, ex Ord. Prædicat. S. Th. Doct. collectæ, cum hoc Epilogo de *Eraſmi* Apologijs: *Annotandum, quòd* Eraſmus *ad omnia, quæ ipſi ex Paraphraſibus, alijſq́; eius lucubrationibus obijciuntur, de conſtitutionibus humanis ac ceremonijs, de votis, cœlibatu, matrimonio, poteſtate Pontificis, de delectu ciborum, feſtis ac ieiunijs, de bello, de calumnia adverſus Theologos, Epiſcopos & Principes, ubique tueatur ſe, nuſquam agnoſcens errorem, quamvis aperta ſint loca: nunc dicens, quòd egerit paraphraſten, non commentatorem; nunc contrà, iuxta quod ipſi commodum eſt. Alibi dicit ſe in perſona Chriſti, Apoſtolorum aut Evangeliſtæ loqui, & pro illo primitivæ Eccleſiæ tempore, nihil ſuſpicatum de his temporibus exulceratis &c.* Plura de *Eraſmo* vide in Biblioth. noſtra Belgica.

THOMAS HARDINGVS, Anglus, S. Theol. Doctor, ac linguæ Hebraicæ in Academia Oxonienſi Regius Profeſſor, è Regno ſuo, ob ſchiſma Regium ac mutatam Religionem, profugus, Lovanij domicilium & vitæ mortiſque ſedem delegit, ad S. Gertrudem apud Altare SS. Trinitati ſacrum, (ubi hodieque Elogium ſepulcrale laminæ æreæ inſculptum legitur) ſepulturam nactus, anno exilij decimo, ætatis quinquageſimo nono, Dom. cIↄ. Iↄ. LXXII. die XVI. menſis Septembris.

RICHARDVS SMITHÆVS, Anglus, S. Theol. Doctor & Regius Profeſſor Oxonij in Anglia, venit Lovanium cIↄ. Iↄ. XLIX. die IX. Apr. mortuo Eduardo Rege, Angliæ reſtitutus & Mariæ Reginæ à Sacris, poſt deceſſum ejuſdem iterum exul, à Philippo Rege Catholico Duaci ad D. Petrum Præpoſitus, & primus in nova Academia ſacrarum litterarum Profeſſor conſtitutus fuit. Moritur anno cIↄ. Iↄ. LXIII. VII. Idus Iulias. Vide Ioan. Pitſeum de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus ad an. 1563.

NICOLAUS SANDERUS, Anglus, in Academia Oxonienſi Ius Canonicum Prof. Regius docuit, rebuſque ob ſchiſma Regium in Anglia turbatis, Romam ſeceſſit: ubi S. Theol. Doctor creatus, mox Tridenti in Patrum conſeſſu magnum ingenij ac doctrinæ ſuæ ſpecimen quà diſputando quà declamando edidit, *Staniſlai Hoſii* Card. ibidem & per Poloniam, Pruſſiam ac Lituaniam comes individuus. Ab eo itinere Lovanium ſe contulit, ubi inter alia opera, egregium de Viſibili Monarchia volumen ſcripſit. Denique à Gregorio XIII. in Hiberniam Nuntius Apoſtolicus deſtinatus, circa an. CIↃ. IↃ. LXXX. ibidem diem clauſit extremum.

THOMAS STAPLETONUS, Henfildanus, Anglus, nobilibus parentibus natus, cum iiſdem, Elizabethâ Reginâ rerum potiente, ſimiliter Lovanium commigravit, & Theologicis ibidem ſtudijs gnaviter incubuit, naſcenteque Academiâ Duacenſi primò in Collegio Aquicinctino, indeque Regius Profeſſor ſacras publicè litteras ſumma cum laude interpretatus fuit, S. Theol. Doctor unà cum *Guilielmo Alano* renuntiatus: donec an. CIↃ. IↃ. XC. Lovanium ſimiliter ad Regiam S. Scripturæ Profeſſionem evocaretur, admiſſus ad Conc. Univerſ. eodem anno III. Kal. Decemb. ubi eamdem pari laude & famâ, ac trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ in primis peritus, è ſuperiori loco explanavit. Multa ſcripſit, partim Anglicè, partim Latinè, in quibus & pietas elucet Viri ſingularis, & ardens Catholicæ veritatis propugnandæ ſtudium, junctim edita Pariſijs an. 1620. quattuor Tomis. Obijt Lovanij, an. CIↃ. IↃ. XCVIII. die XII. Octob.

DOCTO-

DOCTORES
S. THEOLOGIAE
AC PROFESSORES,
qui supremum hunc titulum adepti LOVANII.

DE celebratione ac celebritate Actus Aulæque Doctoralis in qualibet superiori Facultate aliquid hîc præmittere operæ pretium non putavi. Præstitit id D. *Nicolaus Vernulæus*, ὁ μακαρίτης, in sua Academia Lovan. lib. II. cap. I. ubi de Facultate Theologica, & cap. III. ubi de Facultatibus agit I. V. Promotio autem ad gradum Magisterij in S. Theol. eaque prima, quantum indagando adsequi licuit, celebrata est anno à Natali Dom. CIↃ. CCCC. XXXVIII. mense Febr.

ANDREAS DE CAPELLA, cognomento *Horenbort*, diœcesis Trajectensis, Decanus & Canonicus Brielensis, Decretorum & S. Theol. Baccal. inscribitur matriculæ Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. XXXII. Nonis Septemb. admissus ad Facultatem Theol. an. CIↃ. CCCC. XXXIII. XI. Kal. Septemb. ad Concilium Vniversf. CIↃ. CCCC. XXXIV. die XX. Aprilis. A cujus obitu an. CIↃ. CCCC. LIII. fuit ex parte opidi interpellata & requisita Vniversitas, dignaretur efficaciter cooperari circa electionem personæ alicujus idoneæ ad Lectionem quartam ordinariam in Facultate Theologica.

HENRICVS DE BOCHOLDIA, Ord. Minorum, diœcesis Trajectensis, anno CIↃ. CCCC. XXXIII. IX. Kal. Novemb. inscriptus albo Academico, tunc S. Theologiæ dans operam, pôst Doctor Theol. Lovaniensis.

PETRVS WELLENS, Ord. Prædicat. Conventus Antverpiensis & Prior, obijt anno CIↃ. CCCC. LXIX. Idibus Iulij, conditus in Ecclesia Conventus Vallis Ducissæ, Monialium ejusdem Ord. prope Audergemium, in silva Sonia, ad primum à Bruxella lapidem, cum hoc Epitaphio:

Hic

Hic iacet sepultus
Venerabilis Pater, & Eximius Magister noster,
P. F. PETRVS WELLENS, *S. Theol. Doctor,*
Conventus Antverpiensis filius & Prior, Regens Lovaniensis,
ac XX. *annis Provincialis Teutoniæ & Brabantiæ,*
cùm Germaniâ superior & inferior existeret adhuc una provinc ia.
Qui tandem senio confectus hunc sibi locum quietis & mortis elegit:
in quo animam suam Creatori reddidit, & sub hoc
sarcophago corpus sepulturæ traditum,
Anno Dom. M. CCCC. LXIX.

Scripserat *in Cantica Canticorum*, & *Psalmos* aliquot, *in Epist. Pauli ad Colossenses*, & *ad Hebræos.*

IOANNES DE OOSTERHOVT, Ord. Prædicat. obijt anno .... XIII. Kal. Decembris.

NICOLAVS DE DIEST, Ord. Prædicat. nomen dedit matriculæ an. CIↃ. CCCC. XXXII. VI. Id. Novemb.

IOANNES VARENACKER, Flander, ex pago Ruyslede, Philosophiam plures annos in Gymnasio Liliensi docuit, admissus ad Concilium Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. XXXIII. IV. Kal. Aug. ex Facultate Artium. Inde S. Th. Baccal. post deputatam Professioni Theologicæ Pleniam an. CIↃ. CCCC. XLIII. VIII. Kal. Decemb. nominatus fuit Plebanus D. Petri ac Professor. Vir fuit elegantis staturæ, blandi colloquij, ingenij prudentis & liberalis, apud omnes doctos habitus in pretio maximo, ut testatur Ioan. Impens in Chronico Bethleemitico. Vivere desijt an. CIↃ. CCCC. LXXV. die IV. Ianuarij, conditus ante Altare S. Crucis. Ejus *Lectura in Psal. Beati immaculati*, in *lib. Sapientiæ*, in IV. *Evangelistas*, lecta fuit in Cartusia: *Sacramentale* in Bethleemitico cœnobio, *Monotessaron* ejusdem solet adservari in Theologorum Collegio, absolutius quidem eo, quod Ioan. Gerson edidit, magna tamen ex parte illi simile. *Quodlibeta* excusa Paris. 1544. 4.

HENRICVS FABRI, Ord. Prædicat. refertur in matriculam an. Vnivers. CIↃ. CCCC. XXXIX. XIII. Kal. Octob. S. Theol. Baccal.

IOANNES DE BOMMALIA, Ord. Prædicat. receptus ad Concilium Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. XXXIV. successit in Professione *Ioanni VVyninghem*, an. CIↃ. CCCC. L. promotus ad cathedram à Senatu Lovaniensi, eâ lege, ut intra annum fieret Doctor. Idem hæreticæ pravitatis Inquisitor à Gregorio XI. Pont. constitutus fuit, & ut talis acceptatus ab Vniversitate an. CIↃ. CCCC. LXXI. VII. Id. Novemb. Varia scripsit, quæ recenseo in Biblioth. Belgica, è quibus *Tract. contra Monachos Proprietarios,*

prietarios, editus Parisijs; Marneffij typis. Quæstio ejusdem *An Prelatus cum Religiosis possit dispensare in his, quæ concernunt observantiam Regularium*, legitur in Parcensi cœnobio apud Lovanium. Obijt Lovanij an. .... VIII. Kalen. Decemb.

HERMANNVS DE MAIRTDORF, diœcesis Moguntinensis, Ord. Minorum. S. Theol. studiosus albo Academico inscribitur an. CCCC. XLVIII. die XXI. Iulij.

HVBERTVS DE DIEST, cognomento ROBYNS, Carmelita, Facultatis Ordinarius.

PETRVS LAVRENTII, de Suecia, Ord. Prædicat. admissus ad Concilium Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LII. VI. Kal. Iunij.

IOANNES DE MACHLINIA, Ord. Prædicat. receptus ad Concilium Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LI. IV. Kal. Iunij.

ÆGIDIVS BAILLIOEVL, de Lilio, Atrebatensis diœcesis, inter Artium Magistros an. CIↃ. CCCC. XLI. primus, ex eadem Facultate ad Conc. Vniverſ. admissus an. CIↃ. CCCC. XLIII. Inde per annos XXV. in Facultate Theologica ordinariè Regens & Legens, & Vice-Cancellarius an. CIↃ. CCCC. LXXIX. XI. Kal. Ianuarij à Præposito & Decano Cancellarijs substitutus. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXXII. XV. Kal. Iunij, sepultus ante altare S. Spiritus, quod nunc est Sanctæ Crucis, ubi celebre monumentum habuit, transeuntium pedibus nondum deletum omninò. Reliquit *Commentarios in omnes Epistolas Pauli*: in *Canonicas Iacobi, Petri, & Iudæ*; qui in pergameno scripti leguntur in Bethleemitico cœnobio juxta Lovanium. *Quæstiones* ejusdem *super Sententias* in Cartusia exstare solent.

IOANNES GODTHEBSDEEL, sive *De parte Dei*, aut *Deus-habeat-partem*, ut nonnumquam indigetant regesta Priorum Generalium Ord. Eremit. S. Augustini, nobili genere natus, ut testatur Cœnotaphium, quod Lovanij in claustro Cœnobij legitur, Religionem ibidem professus est; postea ejusdem Conventus & Provinciæ Coloniensis Prior, ac Regens Studij Lovaniensis ab anno CIↃ. CCCC. XLVII. quo, post incorporationem Ordinum Mendicantium Vniversitati factam, & ipse unà cum Conventu suo nomen matriculæ dedit, à Consilijs ejusdem Vniverſ. ab an. CIↃ. CCCC. LIV. prid. Kal. Iunij; ac demùm commendatione Caroli Audacis Vicarius Generalis Ordinis, moritur plenus dierum Aquisgrani an. CIↃ. CCCC. XC. die XVII. Februarij.

AEternùm victura manet post funera Virtus,
Nec perit extincto corpore Diva potens.

Sed postquam gelido sunt condita membra sepulcro,
Stelligerumq́; petit spiritus ipse polum;
Sola fugit dira Lachesis fera spicula Virtus,
Parcarumq́; manus vincere sola potest.
Scilicet illius præsens est semper imago,
Quò magis accensos ducat amore sui.
Hanc non tempus edax, non invidiosa vetustas,
Abstulit, at cunctis fortior illa manet.
Splendida multorum hoc testantur gesta virorum,
Nec non IOANNIS *maxima facta docent.*
GODT-HEBS-DEEL *dictus cognomine, stemmate clarus,*
Ingenio quo non clarior ullus erat.
Religionis amans, & amans pietatis avitæ,
Fortunæ spernens gaudia fluxa deæ:
Intendensq́; animum studijs ac rebus honestis,
Excoluit leges, Christe benigne, tuas.
Divina volvens sinuosa volumina Legis,
Doctoru meruit Laurea serta sibi.
Dotibus ingenij clarus, linguaq́; disertus,
Ordinis & nostri gloria prima fuit.
Cuius hic est quondam summas moderatus habenas,
Iustitiâ magnus, nec pietate minor.
Quem simul (ut cunctos) fatalis Parca peremit,
Abstulit & tantum mors inimica virum.
Interea, magno mens ut potiatur Olympo,
Vos precor, hic summo reddite vota Deo.

NICOLAVS OFFHVYS, de Bruxella, Ord. Prædicat. ad Concilium Vniverſ. recipitur an. CIƆ. CCCC. LIV. prid. Kal Iunij.

IOANNES DE NAMVRCO, ejuſdem Ord. Coventus Leodienſis, admiſſus ad Conc. Vniverſ. eodem anno & die.

D. ac F. GERARDVS DE MIDDELBORCH anno CIƆ. CCCC. LV. die XXI. Febr. ad Concil. Vniverſ. admiſſus.

ANTONIVS DE RVPE, Ord. Prædicat. receptus ad Concilium Vniverſ. an. CIƆ. CCCC. LX. VI. Non. Maij.

IOANNES DE BEETZ, Brabantus, Carmelita, nomen Vniverſitati dedit an. CIƆ. CCCC. LVIII. IV. Kal. Iunij, à Conſilijs ejuſdem an. CIƆ. CCCC. LXVIII. III. Kal. Martij. Moritur Thenis, conditus ibidem in choro templi; cujus monumento hæc inſcripta leguntur.

Hic

Hic iacet inhumatus Venerandus Pater,
Magister IOANNES DE BEETZ,
Sacræ paginæ Professor eximius,
Regens ac ordinariè Legens
In Theologica Facultate LOVANII,
Qui obijt an. CIↃ. CCCC. LXX. VI. *die Mensis Iunij.*

Scripsit *Præceptorium Divinæ Legis*, sive in Decalogum libros X. Lovanij anno 1486. excusos.

GASPAR MANET Ord. Prædicat. eodem anno & die.

IACOBUS DE SCHOONHOVIA, Carmelita.

IOANNES VAN HAECHT, Ord. Eremit. S. Augustini, domo & professione Lovaniensis. Meminerunt hujus regesta Priorum Generalium ejusdem Ord. non uno loco: & anno CIↃ. CCCC. LIX. ad preces Episcopi Burdigalensis & Suffraganei Leodiensis, ex Ord. Eremit. S. Augustini, Generalem eidem *Ioanni* concessisse facultatem prælegendi Biblia & Sententiarum libros in Conventu Lovaniensi. Admissus tandem ad Concilium Univers. an. CIↃ. CCCC. LXVIII. prid. Kal. Septembris.

ANTONIUS DE CAMPO, Ord. Minorum, provinciæ Coloniensis Minister, & de Concilio Univers. an. CIↃ. CCCC. LXX. IV. Kal. Martij, moritur Lovanij an. CIↃ. CCCC. LXXXII. die XXIII. Octob. sepultus in Choro templi.

ANTONIUS WELLENS, Ord. Prædicat. Conventus Antverpiensis, cujus & identidem fuit Prior, & semel Cœnobij Silvæducensis. Obijt Antverpiæ an. CIↃ. IↃ. II. die XVIII. Ianuarij.

ÆGIDIUS FABRI, Bruxellensis, Carmelita, incorporatur Universitati an. CIↃ. CCCC. LXVIII. prid. Kal. Septemb. atque apud Maximilianum I. Imp. gratiâ & auctoritate valuit. Quædam scripsisse fertur, veluti *Chronicon sui Ordinis*, *In Sententias*, aliaque. Obijt Bruxellis an. CIↃ. IↃ. VI.

Promotio an. CIↃ. CCCC. LXXI. *die* XXXI. *Iunij.*

HENRICUS FREDERICI, de Vuesemael, Ord. Prædicat. Lapidem & in margine ejusdem inscriptionem habet sepulcralem apud suos Lovanij in Choro templi:

Sepultura Venerabilis Patris,
P. HENRICI FREDERICI DE WESEMALIA,
Ord. Prædicatorum Conventus Lovaniensis,
S. Theologiæ Professoris,
quondam Argentinæ & Lovanij Prioris:
Qui in generali Vicariatu quatuordecim annis,
In provincia tranquillè & quietè præfuit.

Vivere desijt an. CIↃ. IↃ. II. IV. Nonas Novembris.

MATTHÆVS RYCKERSFORT, ex eodem Prædicat. Ord. admissus ad Concilium Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LXX. VII. id. Septemb.

IOANNES GRIMBERGHEN, Bruxellensis, S. Theologiæ Professor, vivebat an. CIↃ. CCCC. LXXIV.

SIMON TRAVERS, Ord. Prædicatorum.

IVDOCVS DIVITIS, de Mechlinia, Carmelita, receptus ad Concilium Vniversitatis an CIↃ. CCCC. LXX. III. Non. Aug.

NICOLAVS DE HELLIS, Duynkercanus, inscriptus matriculæ an. CIↃ CCCC. LXIV. IV. Non. Aug. Plebanus D. Petri, sepulturam habet in Xenodochio ante Aram summam,

M. NICOLAO DE HELLIS, *summo Theologo,*
Ecclesiæ S. Petri Lovaniensis Pastori,
Et huius Xenodochij, priùs collapsi, tam in religione
quàm in ædificijs, Instauratori pijssimo,
Viro pacifico, & iuris Ecclesiastici
Propugnatori ardentissimo,
In omnes egenos, præsertim studiosos, munificentissimo,
Monumentum factum.
Obijt decimo Kal. Iunij, an. CIↃ. IↃ. V. *Vixit annos* LXIII.

IACOBVS WEYTS, Ord. Prædicat. Conventus Gandavensis, inscriptus matriculæ anno CIↃ. CCCC. LIV. die XVIII. Aug. ad Concilium Vniversitatis receptus an. CIↃ. CCCC. LXXI. XII. Aug. Ob ferventem zelum, quo in suis ad populum Concionibus promovebat SS. Rosarium Deiparæ, multa ab invidis passus est, sed Dei ope miraculosè servatus. Rexit Conventum Harlemensem, & anno CIↃ. CCCC. XCVIII. ex hac vita migravit. Vide Hiacinthum Choquetium de Sanctis sui Ord. in Belgio cap. VII.

IOANNES DE BEKA, Ord. Præd. Conventus Antverpiensis, de Concilio Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LXXII. tunc S. Theol. Baccal. Prior sui Cœnobij, ob raram, quâ pollebat, in dicendo facundiam, atque in gravioribus negotijs experientiam, à Maximiliano Imp. Romam ad summum

ſummum Pont. Alexandrum VI. miſſus, ibidem an. CIↃ. IↃ. I. Nonis April. ex hac vita deceſſit.

F. BRIXIUS FLORENTII, S. Th. Prof. ad Concilium Vniverſ. admiſſus an. CIↃ. CCCC. LXXIV. V. Kal. Iunij.

IOANNES BOVRGEOIS, de Montibus, ad Conc. Vniverſ. receptus eodem anno & die. Idem an. CIↃ. IↃ. VI. renuntiavit præbendæ ac Profeſſioni ſuæ factus Epiſcopus Cyrenenſis, & Vicarius ſive Suffraganeus Archiepiſc. Colonienſis.

IOANNES DE CATTENDYCK, Carmelita, receptus ad Conc. Vniverſ. eodem anno CIↃ. CCCC. LXXIV. prid. Kal. Septemb. tunc S. Th. Baccal.

IOANNES DE MERICA, Carmelita.

THOMAS EVERARDI, de Dordraco, ex Ord. Prædicat. ad Conc. Vniverſ. recipitur an. CIↃ. CCCC. LXXV. prid. Kal. Iunij. Vivebat Vltrajecti an. CIↃ. CCCC. LXXXVII.

IACOBVS DE HONTENESSE, Ord. Minorum, admiſſus ad Conc. Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LXXV. prid. Kal. Septemb. tunc S. Th. Baccal.

IOANNES DE GLIMES, ex eodem Ord. Minorum.

WILHELMVS CAÇABARIVS, vulgò KETELER, S. Th. Prof. & Facultatis Ordinarius, memoratur tempore *Henrici de Zoemeren.*

Promotio an. CIↃ. CCCC. LXXVI. *menſe Ian.*

PETRVS DE RIVO, Aloſtanus, vel potiùs Aſcanus, ex agro Aloſtenſi, primùm Philoſophiæ Profeſſor, pòſt Rhetor Academicus ab anno CIↃ. CCCC. LIII. ac poſtremò S. Theol. Doctor & Plebanus ad D. Petrum per annos XXIV. ac Canonicus in D. Rumoldi apud Machlinienſes. Obijt an. CIↃ. CCCC. XCIX. die XXVII. Ianuarij. De eo ſic Petrus Impens in Chronico Bethleemitico: Hic Baccalaureus habuit grandem altercationem de futuris contingentibus veritatibus. Relatione factâ ad Sedem Apoſtolicam, committitur examen Epiſcopo Tornacenſi. Tandem *de Rivo* Romam adijt, ubi ſummos Philoſophiæ Magiſtros invenit, qui eum plenè ſecundùm voluntatem Summi Pontificis inſtruxerunt. Eumque humiliter ſe Apoſtolicæ Sedi ſubmittentem, Apoſtolicus ad propria remiſit. Scriptis etiam an. CIↃ. CCCC. LXXVI ad Vniverſitatem & Facultatem litteris, quibus hortabatur, quatenus præfatum *M. Petrum* ab ulteriori promotione ad Magiſterium in S. Theologia non impedirent, ſed ut filij cariſſimi eumdem fraterna-

liter tractarent. De Articulis *Petri de Rivo* impugnatis à Doctoribus Lovan. videri possunt, quæ ex informatione potissimùm *Gul. Merceri* S. Th. D. & Prof. retulit in Tract. suum de Incarnatione Dominicâ Disp. 26. Sect 6. nu. 72. Ioannes Lugo, Soc. Iesu Theol. pòst Eminentiss. S. R. E. Card. Certè ex Actis Univers. quid certi de ijs eruere non licuit. Ad annum CIↃ. CCCC. LXXI. penult. Aug. fit mentio declarationis, quam coram Universitate de Rivo fecit, se nimirum totam suam intentionem & dicta sua fundasse ac collegisse ex scriptis Petri Aureoli. Porrò idem *de Rivo* cum *Paullo Middelburgensi*, Medico Ducis Urbini, postea Episc. Forosemproniensi, disputationem habuit circa annum, diem & feriam Dominicæ Passionis atque Resurrectionis: qua de re etiam scripsit, & respondit modestè *Apologiæ Paulli Middelburgij*, quam ille ad Lovaniensem Universitatem miserat. Reliquit præterea *Orationem in adventu Maximiliani Archiducis* an. CIↃ. CCCC. LXXVII. Lovanij habitam. Item *Monotessaron* sive *Concordiam Evangelicam*, ducem ordinis sui D. Lucam secutus.

GERARDUS DE GROOTE, Ord. Minorum, recipitur ad Conc. Universitatis an. CIↃ. CCCC. LXXV. postrid. D. Thomæ.

IOANNES MOEDERLOES, diœcesis Morinensis, ad Conc. Univers. receptus eodem anno & die. Idem eodem anno renuntiatur S. Theol. Magister, & an. CIↃ. CCCC. LXXXI. præsentatur ad Lecturam Doctoris alicujus speculativi Sacræ paginæ, & ad præbendam novæ fundationis. Obijt an. CIↃ. IↃ. VI. nactus successorem *Antonium Crabbe*, Machliniensem, S. Th. L. eodem anno, Kal. Martij.

THEODORICUS OUTRARY, Ord. Præd. Conventus Duacensis, inscribitur matriculæ an. CIↃ. CCCC. LXXIII. 27. Aug. Fuit postea Illustriss. D. Adolpho de Cleve, Toparchæ de Ravestein, ejusque conjugi à Confessionibus. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXXIX. VII. Idus Novembris.

ALBERTUS IOANNIS, *de Harlem*, Carmelita, receptus ad Conc. Univers. an. CIↃ. CCCC. LXXVII. penult. Aug. Moritur Machliniæ an. CIↃ. CCCC. XCVI.

PETRUS MEEBELE, Ord. Eremit. S. Augustini, origine & Religione Brugensis, matriculæ Univers. inscribitur an. CIↃ. CCCC. LXXV. V. Id. Octob. Rexit Studia Conventumque Brugensem, & totam provinciam non semel. Moritur Prior Provincialis anno CIↃ. IↃ. V. Brugis Flandrorum.

IACOBUS MAETS, Carmelita.

Promotio

Promotio an. CIↃ. CCCC. LXXXIII. *die* XIV. *Octob.*

Anselmus Woelmont, fuit Canonicus D. Petri, & S. Th. Professor, successorque *Iacobi Schelwaert*, an. CIↃ. CCCC. LXXX. IV. Kal. Iulij.

Promotio an. ejusdem, die XVIII. *Novemb.*

Henricus De Horst.

Promotio an. CIↃ. CCCC. LXXXVI. *die* XVII. *Ian.*

Ioannes Willemaer, Lovaniensis, Ord. Prædicat. & Prior Conventus Lovaniensis, admissus ad Concilium Vniversi. an. CIↃ. CCCC. LXXXIII. prid. Kal. Martij. Obijt. an. CIↃ. IↃ. III. die XIII. Aprilis.

Promotio an. eiusdem, die XI. *Aprilis.*

Henricus De Avla, de Montibus Hannoniæ.

Promotio an. eiusdem, die IX. *Maij.*

Adamus De Caminis, Carmelita.

Promotio an. eiusdem, die XX. *Iunij*

Ioannes De Borra, Iprensis, Eremita Augustinianus Lovanij.

Promotio an. CIↃ. CCCC. XCI. *die* XXI. *Iunij.*

Adrianus Florentii, Vltrajectinus, inter Artium Magistros in Porcensi Gymnasio primum locum consecutus, Philosophiam in Falconensi professus fuit, ad Conc. Vniversi. ex Facultate Artium CIↃ. CCCC. LXXXVIII. Kal. Octobrib. admissus, Doctorque Theol. renuntiatus anno CIↃ. CCCC. XCI. impensas suppeditante Margareta, Anglorum

Anglorum Regis filiâ, Caroli Audacis viduâ, per omnes dignitatum gradus ad supremum in terris apicem conscendit Nam Professor S. Theol. & Canonicus in D. Petri Lovanij, mox sufficitur Ioanni de Thimo, Decret. Doctori, Decano ejusdem Ecclesiæ, qui senio gravis dignitatem eam cessit Adriano. Lovanio accitus in aulam Maximiliani I. Cæsaris, moribus studijsque Caroli V. pueri adhuc septennis præficitur: ad Ferdinandum Regem Catholicum à Carolo nepote Legatus mittitur. Rege defuncto, Carolus in Belgio adhuc agens eumdem Dertusensis Ecclesiæ nominat Antistitem, Leo X. Pont. Max. creat Cardinalem: mortuo Leone, supremi ordinis Antistites absentem, raro exemplo & inusitato hactenus, reclamante uno dumtaxat, eligunt Pontificem. Vir fuit vitæ sanctimoniâ, probitate, castitate, modestiâ singulari, pacis, justitiæque cultor eximius: litterarum omnis generis apprimè eruditus. Nihilque sibi in vita infelicius duxit, quàm quòd imperaret. Visitur Romæ monumentum sepulcrale in templo B. Mariæ Animarum, Germanicæ nationis:

HADRIANVS VI. Pont. Max.
Traiecto, insigni inferioris Germaniæ urbe, oriundus,
dum humanarum rerum maximè aversatur splendorem,
ultrò à proceribus ob incomparabilem sacrarum
disciplinarum scientiam, ac propè divinam
castissimi animi moderationem,
CAROLO V. *Cæsari Augusto præceptor,*
Ecclesiæ Dertusensi Antistes, sacri Senatus Patribus
Collega, Hispaniarum Regnis Præses,
Reipub. denique Christianæ divinitus Pont. absens adscitus.
Vixit annos LXIV. *Menses* VI. *Dies* XIII.
Decessit XVIII. *Kal. Octob. anno à partu Virginis*
CIↃ. IↃ. XXIII. *Pontificatus sui anno secundo.*
GVILIELMVS ENCKEFORT *illius benignitate & auspicijs*
Tit. SS. Ioannis & Paulli Presb. Cardinalis
& Dertusensis Episc. Faciundum Cur.

Plura in Biblioth. Belgica, ubi & Scripta ejus recenseo, è quibus eminent & probantur omnibus, *Quæstiones & Expositiones in quartum Sententiarum*, qui de Ecclesiæ Sacramentis tractat: item *Quæstiones Quodlibeticæ* XII. miscellanei & varij argumenti. Scribit Ant. Possevinus lib. de Cultura ingeniorum cap. 50. sese audivisse Lovanij *Hadrianum Florentium*, dum adhuc Decanus esset Lovaniensis, in publicis sæpè disputationibus, quæcumque auctorum dicta

dicta à disputantibus citarentur, interpretantem pro se, etiamsi ex ijs essent, qui adhuc viverent. Videri item possunt de Vita ejusdem Paulus Iovius & Gerardus Moringus: item Blasius Ortizius, Adriano à Sacris & Canonicus Toletanus, in Itinerario ejusdem Adriani electi, Pont. ex Hispania Romam versus, edito Toleti an. 1546. Quibus lubet adijcere, alibi fortassis non lecta, quæ habet Marius Salomonius I. C. Romanus, scribens ad *l. Princeps D. De legib* disputansque quatenus Princeps legibus solutus sit, *Hoc istud redolebant*, inquit, Hadriani VI. Pont. Max. *verba, quæ suaviter locutus est nobis, qui pro populo Rom. pedes eius, ut moris est, osculatum ivimus, congratulatumq; de eius electione, prospera navigatione, feliciq; in Vrbem ingressu, summâ omnium lætitiâ; & post alia multa exposita, tum Sanctitas sua, nostris dictis memoriter ac hilari fronte collaudatis, gratissimam responsionem clausit his verbis*: Bono animo sitis. Princeps, qui aliud quærit supra Principatus honorem, quique haud solam populorum utilitatem quærit, non Princeps est, sed Tyrannus. *Tum perlepidè addidit*: Os meum paucis pascitur, & corpus tegitur: quicquid supererit ex Pontificijs reditibus in Christianorum commoda effundetur.

PETRUS PISCATORIS, de Hooghstrata, Ord. Prædicat. Conventus Antverpiensis. Hunc *Antonius Coronel*, præfando ad 1. 2. Summæ Theologicæ D. Thomæ, Paris. 1513. in 4. vocat *Doctoris sancti via archicursorem præstantissimum*; item *sancti Doctoris doctrinæ armarium refertissimum*. Obijt an. CIↃ. IↃ. VII. ipsis Nonis Octob.

IOANNES BRIART, ab Atho, natus Ballioli in agro Athensi, ad Conc. Vnivers. ex Facult. Artium admittitur an. CIↃ. CCCC. XCII. Kal. Octob. Vir, Erasmi elogio, omnibus laudatissimus, & tamen numquam satis laudatus; ita enim scribit ille Martino Dorpio, lib. VII. Epist. 7. Idemque *Athensem* judicio, doctrinâ atque auctoritate suos inter eminuisse, atque adeò ex hoc uno potuisse æstimari ceteros, scripsit lib. 1. Epist. 2. Ejus *Quodlibeticæ Quæstiones* v. circumferuntur excusæ cum Quodlibeticis Hadriani VI. Obijt an. CIↃ. IↃ. XX. die VIII. Ianuarij, sepultus apud Cartusianos in ambitu, ubi hoc Elogium positum:

Scilicet eximijs inhiat mors undique rebus:
Quidquid & excelsum est, occidit ante diem.
Hoc si quando aliàs, nunc (heu dolor!) experimento
Gymnasium didicit Lovaniense *gravi.*
Vnus erat, solusq; adeò venerandus Athensis,
Haud alium posses cui reperire parem.

Dominicæ Legis (Dij !) quâ integritate Professor,
Maxima Theologicæ primaq; fama scholæ.
Hoc sine nil quondam secretorum arbitro agebat
Margaris, Anglorum Regibus orta atavis.
Ecce autem Clero Vice - Cancellarius omni
Dum invigilat, rapiunt invida fata virum.

Promotio an. CIϽ. IϽ. I.

IOANNES HAMERE, de Bruxella, Ord. Prædicat. receptus Conc. Vniversitatis an. CIϽ. IϽ. III. Kal. Martij.
IOANNES CODDE, de Middelburgo, Ord. Minorum.

Promotio an. CIϽ. IϽ. II. die XVIII. Ianuarij

CORNELIVS DE CLOETINGHEN, Generalis Cruciferorum, admissus ad Concilium Vnivers. eodem anno, prid. Kal. Septemb.

Promotio an. CIϽ. IϽ. IV. die VI. Febr.

IOANNES PASTA, Carmelita.

Promotio ejusdem anni.

HIERONYMVS N. & HENRICVS DE GRAVIA, cognomento *Vermolanus*, Ord. Prædicat. admissi ad Concilium Vnivers. eodem anno, prid. Kal. Martij. Obijt *Gravius* Noviomagi, Conventus sui Ord. Prior, anno CIϽ. IϽ. LV. die XXII Novemb. Scripta ejus recenseo in Biblioth. Belgica.

Promotio an. CIϽ. IϽ. V. die II. Decemb.

NICOLAVS DE EGMVNDA, cognomento *Bacchem*, Carmelitani Ordinis, Primus in Schola Artium anno CIϽ. CCCC. XCI. Vir fuit ingenio acri, hæresesque tunc pullulantes, & novas Erasmi doctrinas cum in scholis tum in templis publicè insectatus fuit vehementiùs. Vnde in Epistolis Erasmianis tot passim in eum querimoniæ & invectivæ; mortuoque Desiderius liberiore linguâ carmen hoc rependit:

Hîc iacet Egmundus, telluris inutile pondus:
Dilexit rabiem, non habeat requiem.

Obijt

anij cIↄ. I . xxvi. die xxiv. Augusti, sepultus Machliniæ in loco Capitulari Conventus.

Promotio an. cIↄ. Iↄ. vi. die vi. Octob.

Gvilielmvs Ioannis, *de Vianen*, Philosophiam in Pædagogio Castrensi professus, Pòst Plebanus Ecclesiæ D. Petri & S. Theol. Prof. Academiæque Vice-Cancellarius, obijt anno cIↄ. Iↄ. xxix. die xx. Novemb. conditus ante Altare S. Crucis, ubi è regione in tabula columnæ appensa leguntur hi versus:

Vrbe Vianâ ortus Guilielmus nomine, magnâ
Castrensem rexi sedulitate scholam.
Hinc Doctor legis Divinæ, pabula Pastor
Præbueram, Petri qui sacra templa pavi.
Pauperibus moriens studijsq; alimenta reliqui
Plurima; apud superos hinc mihi parta quies.

Bursas sive portiones alimentarias fundavit in dicto Pædagogio Castri, in Domo pauperum Standonica, & in Collegio Theologorum.

Promotio an. cIↄ. Iↄ. xi. xxii. Octob.

Georgivs Amici, vulgò *Vriendts*, Antverpiensis, ibidem Ordinem Prædicat. professus, præfuit inde Prior, obijtque an. cIↄ. Iↄ. xix. xii. Kal. Febr.

Promotio an. cIↄ. Iↄ. xii. vi. *Iulij.*

Lvcas Walteri de Conitio, Prussus, S. Theol. Baccal. admittitur ad Conc. Univers. an. cIↄ. cccc. xcvii. vi. Non. Octob. Anno cIↄ. cccc. xcix. surrogatur *Nicolao de Hellis* in Professione & Canonicatu novæ fundationis, & denique an. cIↄ. Iↄ. iii. præsentatur ad Lecturam extraordinariam Scoti, seu aliam. Legit sacram Theologiam in Conventu FF. Minorum toto septennio, & memoriam aliquam sui ibidem reliquit. Obijt an. cIↄ. Iↄ. xv. prid. Non. Septemb. sepultus ad S. Petrum juxta Altare S. Lucæ, ubi ex sarcophago versum hunc descripsi, litteris reliquis ita attritis, ut legi nequeant:

Præclarus iacet hic divinæ legis alumnus,
Ac Doctor Lvcas *nomine* Conitii.

Promotio an. ejusdem, die XXVII. *Iulij.*

ANTONIVS CRABBE, Machliniensis, inter Artium Magistros primum locum obtinuit anno CIↃ. CCCC. LXXXIII. Fuit Canonicus & Prof. novæ fundationis an. CIↃ. IↃ. VI. Kal. Martij surrogatus *Ioann* Moederloes, obijtque an. CIↃ. IↃ. XXXIV. die XXX. Augusti, sepultus ad S. Antonium.

Promotio an. ejusdem, die XVII. *Aug.*

IOANNES DRIEDO, vulgò Dridoens, aliàs NYS, Turnhoutanus, primus in Schola Artium an. CIↃ. CCCC. XCIX. admittitur ad Concilium Vniverſ. ex eadem Facult. an. CIↃ.IↃ.IX. Multa scripsit adversus Lutherum ac Lutheranos, doctè & sine affectibus, ait Erasmus lib. XII. Epist. 19. ad Godscalcum Rosemundum, veluti *De Gratia & Libero Arbitrio*, *De concordia Liberi Arbitrij & Prædestinationis*, *De Libertate Christiana*. Vide Biblioth. Belgicam. Elogium sepulcrale legitur ad S. Iacobum, in sacello Ven. Sacramenti:

Venerabilis Vir IOANNES DRIEDO, *à Turnhout,*
dum vixit, huius Ecclesiæ Pastor, & D. Petri Lovaniensis Canonicus,
Artium & Sacræ Theologiæ Professor clarissimus:
qui hæreses contra Catholicam fidem
suo tempore ingrassantes multis doctissimis libris,
à se scriptis & editis, profligavit.
Vir sanè multiugæ eruditionis & pietatis,
humanitatis ac modestiæ singularis.
Obijt, atque hîc sepultus est, an. à Nativitate Dom. CIↃ. IↃ. XXXV.
die quartâ mensis Augusti.

IOANNES DE HAZEBAERT, Poperingensis, Carmelita, Conventus Iprensis, an. CIↃ. IↃ. XVIII. pen. Novemb. admissus ad Conc. Vniversitatis.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XIII. *die* XXVI. *Ian.*

NICOLAVS COPPIN, aliàs MEVRAN, de Montibus, Rector tunc Academiæ, & Regens Pædagogij Falconis. Fuit idem Decanus S. Petri, & successit in ea functione Adriano Florentij Card. an. CIↃ. IↃ. XIX. Obiit anno CIↃ. IↃ. XXXV. *sepultus* in Choro. Sarcophago hæc inscribuntur:

Hoc

Hoc saxo tegitur D. NICOLAVS COPPIN, à Montibus,
huius templi Presbyter, Canonicus & Decanus,
Artium & S. Theologiæ Professor,
Hæreticæ pravitatis Inquisitor,
huiusq; in inclyta Academia Cancellarius dignißimus:
Qui omnibus officijs suis cum decoro, gratia,
& mira dexteritate perfungebatur,
obijt anno D. CIↃ. IↃ. XXXV. XVI. Kal. Iulij.

Promotio an. eiusdem, die XII. Aprilis.

IOANNES VILLICVS, vulgò MEYER, Sotteghemius, Carmelita, Conventus Gandavensis, & Episcopus Bibliensis, sepultus Vltrajecti in Choro S. Catharinæ, quondam Carmelitarum, sub sarcophago, cum pedo & inscriptione:

Hoc saxum tegit ossa Reverendi Patris & D.
IOHANNIS MEYER, Episcopi Bibliensis,
Magistri, ac D. Philippi De Burgundia, Episc. Traiectensis, Vicarij,
Obijt an. CIↃ. IↃ. XXII. V. Iulij. PERFER, VINCES.

Promotio an. CIↃ. IↃ XIV. die IV. Iulij.

MICHAEL RAMIREZ, de Salamanca, Hispanus, ex Ord. Prædicat. professus in Conventu Burgensi. Philosophiam & Theologiam didicit in celeberrimo Collegio Vallisoletano, ibidemque apud suos aliquot annis studia rexit. Venit inde in Belgium, tituloque Magisterij in sacra Theol. insignitus, in Conventu Lovaniensi Regens fuit primarius Studij generalis sui Ord. & in Facultate Theol. Regens & Regens. Tandem ex Concionatore Caroli V. Imp. factus Episcopus Cubensis in India Occidentali, vivebat adhuc in ea dignitate anno D. CIↃ. IↃ. LX.

IOANNES LENGHERANT, de Binchio, S. Theol. Professor, & ad D. Petrum Canonicus, admissus ad Conc. Vniuers. an. CIↃ. IↃ. XII. die XXIX. Maij, ex Facult. Artium.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XV.

MARTINVS DORPIVS, à Naeldwyck, Eloquentiam ac Philosophiam in Liliensi Gymnasio annos plures professus, ad Conc. Vniuers.

vers. ex Facult. Artium recipitur an. CIↃ. IↃ. X. prid. Kal. Ma
Docuit Theologiam Latinè ornatéque loqui, neglectis iis, qui ar
ac frivolis sæpè quæstiunculis toti insenescerent: quam provincia
strenuè cœpit & fortiter obivit, atque ab Erasmo laudari hinc me
lib XXVII. Epist. 59. qui Hollandiæ suæ ob Martinum Dorpium g
tulari solebat, utpote qui Scholasticam Theologiam cum meli
litteraturæ peritia, qui solidam sapientiam cum vera eloquentia co
jungeret, quique assiduo studio seipsum quoque vinceret. Ita ille l
XVII. Epist. 6. Verùm spem conceptam de hoc viro mors præpro
ra incidit, an. CIↃ. IↃ. XXV. prid. Kalen. Iunij. Mortem amici lug
& virum celebrat, in Chronico Ducum Brabantiæ Adrian. Barla
dus, cujus verba, & Scripta à Dorpio vulgata, in Biblioth. Belgica r
cito. Ad tumulum ejusdem in porticu Cartusianorum legitur hc
Erasmi Elogium:

MARTINUS ubi terras reliquit DORPIUS,
Suum orba partum flet parens Hollandia;
Theologus ordo luget extinctum decus:
Tristes camœnæ candidis cum Gratijs,
Tantum patronum lacrymis desiderant.
Lovaniensis omnis opplorans Schola
Sidus suum requirit: O mors, inquiens,
Crudelis, atrox, sæva, iniqua & invida,
Ita ante tempus floridam arborem secans,
Tot dotibus, tot spebus orbas omnium
Suspensa vota? Premite luctus impios.
Non perijt ille, vivit, ac dotes suas
Nunc tutò habet, subductus ævo pessimo.
Sors nostra flenda est, gratulandum est DORPIO.
Hæc terra servat, mentis hospitium pia,
Corpusculum, quod ad canoræ buccinæ
Vocem refundens optimâ reddet fide.

Sarcophago hæc inscripta leguntur: *Conduntur hoc saxo ossa Eximij Magistri* MARTINI DORPII, *à Naeldwyck, Artium & S. Theol. Professoris, qui obijt ultimâ Maij anno* 1525, Præterea exstant typis edita Frobenianis, an. 1528. in obitum doctissimi facundissimique viri Carmina & Epitaphia variorum, Iac. Volcardi Bergensis, Conr. Goclenii, Franc. Craneveldij, Desid. Erasmi, Adr. Barlandi, Lud. Vives, Germani Brixij & Alardi Amstelredami.

Promotio

Promotio an. CIↃ. IↃ. XVI.

GODSCALCVS RO[illegible]SEMVNDVS, Eyndhoviensis, ex Facult. Artium ad Conc. Vniverſ. a[illegible]missus an. CIↃ. IↃ. IX. *vir melior*, Eraſmi judicio, lib. XIX. Epiſt. 13. q[illegible]m *pro vulgari ſorte Theologorum*. Sepulchrum habet in Noſocomio ur[illegible]is, atque ei inſcriptum hoc Elogium:

Sepu[illegible]us eſt hoc loco incomparabilis Vir,
Dominus GO[illegible] SCALCVS ROSEMVNDVS, *Endhovienſis,*
genere [illegible]n ignobili natus, S. *Theol. Profeſſor,*
No[illegible] *titulo ſolùm, ſed vitâ, ſed linguâ:*
[illegible]*ovanij ad D. Petrum Canonicus,*
atque h[illegible]*uius Xenodochij Virginibus Præpoſitus,*
i[illegible]*libatus omnis ſanctimoniæ flos.*
Mortuus e[illegible]*ſt anno* CIↃ. IↃ. XXVI. *Nonis Septemb.*

Præterea muro later[illegible]li inſculpti leguntur hi verſus:

Ne deſit, cu[illegible]*us virtutem imiteris, & acta,*
Quis ſit in [illegible]*hoc buſto conditus, oro, legas.*
GODSCAL[illegible] *mihi nomen erat, cognomen habebam*
A Munda[illegible]a, *cui par vita pudica,* Roſa.
Doctor & Int[illegible]*rpres Divinæ mentis habebar,*
Reſpondiq; [illegible] *meo ſedulus officio.*
Non etenim [illegible]*tuli vixi contentus honore.*
Sed Chriſt[illegible] *docui nocte dieq; gregem.*
Submoviq; lupos, & per deſerta vagantes
Ad caulam duxi paſtor amicus oves.
Quodq; alios docui, ſemper prior ipſe ſubivi:
Virtutem exemplo ſic didicêre meo.
Sum largitus opes miſeris, dum vita maneret,
Atque in eumdem uſum cuncta relicta mihi:
Quæ partim domus hæc, quæ continet oſſa ſepulcro,
Perpetua infirmæ pabula plebis habet.
Pro quibus officijs merces mihi digna relata eſt,
Corpore nam poſito ſpiritus aſtra tenet.

Scripſit *Confeßionale* ſeu *Modum ritè Confitendi, rectè Vivendi ac ſalubriter Moriendi*, Lovanij & alibi excuſum; & Burſas ſeu alimentarias portiones fundavit in Collegio Theologorum, cujus alumnus fuerat, & in Collegio Pontificio Adriani VI. cujus primus fuit Præſes.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XVII. Kal. Sept

EVSTACHIVS DE ZICHENIS, cognomento *van Rivieren*, C S. Dominici, matriculæ Vniversi. inscribitur an. CIↃ. IↃ. VIII. Concilium ejusdem admissus an. CIↃ. IↃ. XVII. prid. Kal Sept. F Prior Conventus Lovaniensis, ac Legens & Regens in Facult. The primusque inter Belgas vel è primis stilum in Lutherum strinxit, De VII. *Sacramentis* scripsit: item *Litanias Sanctorum ac Beatorum Bel* quarum meminit Geor. Colvenerius in Vita Thomæ Cantiprat. ejusdem Ord. Obijt an. CIↃ. IↃ. XXXVIII. XVI. Kalen. Maij.

IACOBVS REMIGII, Bruxellensis, ex eodem Ord. Prædic. Professus Bruxellis, & ibidem Prior.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XVII. die XIII. Octob

VINCENTIVS THEODORICI, de Harlem, Ord. Prædicat. admissi ad Conc. Vniversi. an. CIↃ. IↃ. XIX. prid. Kal Septemb. Moritu Lovanij, Regens Studij, & Facultatis Ordinarius, anno CIↃ. IↃ. XXVI. die IV. Augusti. Hic unà cum F. *Petro de Novimagio* Partem Summæ D. Thomæ Aquinatis emasficatæ (ut ibidem excusum est) scorijs evulsis, quotationibusque adjectis, edidit Parisi. 1514. in 4 Scripsit & adversus Desid. Erasmum libellum, *Godefridi Taxandri* titulo, de quo ipsius Erasmi judicium habes lib. XIX. Epist. 90. & 113. Erasmus verò reposuit *Vincentio* Epistolam, titulo *Pertinacissimi Obtrectatoris*, uti scribit dicto libro Epist. 13.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XVIII. die VI. Iulij.

IOANNES ARNOLDI, de Valencenis, Ord. Prædicat. ejusdem anni die XX. Aprilis S. Th. Licent.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XIX. die XIV. Aug.

IACOBVS LATOMVS, Cambronensis, Hanno, admissus ad Conc. Vniversi. ex Facultate Artium an. CIↃ. IↃ. X. III. Kal. Decemb. Magisterij pileo insignitur favore atque impensis Roberti & Caroli de Croy. Erat Carolus Administrator Cœnobij Affligemiensis, &

Latomus

Latomus utrique à Studijs. Vir trium linguarum peritiâ & scriptis clarus; quorum catalogum in Biblioth. Belgica designavi. Pleraque eorum statuerat sub incudem revocare; & omninò fecisset, nisi mortis importunitas pulcerrima destinata intercepisset, ut præfando testatur Iac. Latomus, ex fratre nepos, qui patrui Opera omnia in volumen unum redegit, & Lovanij edidit typis Barthol. Gravij. Visitur sepulchrum ad S. Petrum, in Chori ambitu, post Aram summam:

Venerabilis D. & M. IACOBVS LATOMVS,
huius Ecclesiæ S. Petri Canonicus,
Artium & S. Theol. Professor clarissimus,
qui hæreses, contra Catholicam Fidem
suo tempore grassantes,
doctrinâ & libris editis profligavit:
Vir sanè multæ eruditionis, pietatis ac modestiæ,
hîc sepultus est.
Obijt an. Dom. CIↃ. IↃ. XLIV. *Maij* XXIX.

RVARDVS TAPPERVS, de Enchusia, ad Conc. Vniversitatis recipitur an. CIↃ. IↃ. XI. postrid. D. Thomæ. Quæ de vita ac laudibus hujus leguntur in Theologorum Collegio Lovanij, retuli in Biblioth. Belgicam. Tantùm hîc Elogium ponam, è sarcophago descriptum, quod in Choro Ecclesiæ D. Petri ante ædiculam Ven. Sacramenti legitur:

Dominus RVARDVS TAPPER, *ab Enchusia,*
S. Theol. Professor celeberrimus, Decanus, Cancellarius,
suâ incomparabili doctrinâ, integritate, auctoritate,
hunc Chorum annis XXIV. *Scholam* XXXIX. *rexit, docuit.*
Supremus Fidei Inquisitor, patriam sectis purgare,
salutaribus doctrinis, etiam libris ad hoc editis,
complere studuit.
Catholicam Religionem hæresibus vexatam,
ad Tridentinum Concilium è Belgio primus evocatus,
constanter defendit.
Sui temporis Pontificibus, Carolo V. Cæsari,
Philippo Hispaniarum Regi, non immeritò carissimus.
Obijt Bruxellæ an. Dom. CIↃ. IↃ. LIX. *Martij* II, *ætatis verò* LXXI.
pauperibus omnium bonorum hæredibus institutis.

Scripsit Expositiones in Articulos, circa Ecclesiastica dogmata hoc sæculo controversa, *à Facultate Theologica Academiæ Lovaniensis*, jussu Caroli V. *Imp. collectos.*

Promotio an. CIↃ. IↃ. XXIV. die XVII. Ia

IOANNES MARTINI, Bruxellensis, Carmelita.
GVILIELMVS FABER, de Vuesalia, Ord. Prædicat. Conven Leovardiensis.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XXVIII. Kalen. Sep

PHILIPPVS OLIVART, Bruxellensis, Prior Ord. Carmelit ibidem.
MATTHÆVS PRIEM, Silvæducensis, Ord. Prædicat. Prior Co ventus Lovaniensis, & in Facultate Theol. Legens ac Regens ord narius. Obijt an. CIↃ. IↃ. XL. die S. Lucæ sacro.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XXX. die XIV. Iunij.

IOANNES DOYE, è vico Ouvaing, Valencenensis agri, S. Th. L an. CIↃ. IↃ. XVI. quinquagenarius creatur S. Theol. Magister. Saxo sepulcrali in D. Petri, retro Altare summum in ambitu Chori, incisum est Epitaphium istud:

Venerabilis Vir, Dominus & M. IOANNES DOYE, à Valençenis,
huius Ecclesiæ S. Petri novæ fundationis Canonicus,
Artium & S. Theologiæ Professor clarissimus,
Vir multæ eruditionis & pietatis, hîc sepultus est.
Obijt an. Dom. CIↃ. IↃ. XLIX. die XXIV. Aprilis.

Promotio an. ejusdem, die XII. Iulij.

PETRVS CVRTIVS, vulgò *de Certe*, ad Conc. Vnivers. ex Facult. Artium adsumitur an. CIↃ. IↃ. XVIII. Plebanus S. Petri an. CIↃ. IↃ. XIX. & demùm an. CIↃ. IↃ. LIX. septuagenario major renuntiatur primus Episc. Brugensis. Sepultura ejus in Choro Ecclesiæ Cathedralis S. Donatiani cum hoc Epitaphio visitur:

Reverendiss. Dom. D. PETRO CVRTIO, Brugensi,
primo huius civitatis instituto Episcopo,
perpetuo Flandriæ Cancellario,
quondam apud Lovanienses S. Th. Prof. Ordinario,
hoc monumentum extremæ voluntatis

desiderio

desiderio positum.
Sedit in Episcopatu annos V. M. VIII. D. IX.
Vixit ann. LXXVI. Obijt XVI. Kal. Novemb.
CIↃ. IↃ. LXVII.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XXIII. die XI. Febr.

GODEFRIDVS STRIROYDE, Diestensis, Ord. Prædicat. Conventus Lovaniensis, Ecclesiastes celeberrimus, & Facultatis Theol. Regens ordinarius. Desijt vivere Lovanij, an. CIↃ. IↃ. XLIX. Novemb. X. Prior Conventus, sepultus in Chori medio, sub lapide, cui epitaphium impositum est. Legi pridem solent in eodem templo hi versus:

En tibi parva licet magni monumenta STRIROYI
GODEFRIDI, *cuius patria* Diestha *fuit.*
Qui magnus Sophiæ humanæ sacræq; Professor,
Egit præconem non sine laude sacrum.
Adde quòd ornari curat sedibus ædem,
Vnde illi semper debeat ista domus.

SIMON VALOIS, Brugensis, Carmelita ibidem.

Promotio an. ejusdem, die XXVII. Maij.

IACOBVS à MVRCIA, Lusitanus, Ord. D. Hieronymi, postquam Salmanticæ aliquandiu ac deinde Parisijs toto quinquennio operam studio Theologico dedisset. Meminit hujus Nic. Clenardus lib. 2. Epist. ad D. Archidiaconum, Prioris, ut scribit, Monasterij de Costa in Lusitania. Et paucis interjectis, Noveram, inquit, hunc *D. Iacobum Lovanij,* & semper virum bonum habui.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XXXIV. die XXV. Aug.

MARTINVS CVPERVS, Carmelita, Prior Conventus Machliniensis.

GOMMARVS MOL, de Lira, Carmelita, ejusdem Conventus

Promotio an. ejusdem, die VI. Octobris.

MICHAEL RVLLEGIVS, sive de Rollario, vulgò ROELLEY, de Vuavria,

Vuaveria, Ord. S. Benedicti Religiosus Affligemiensis; Facult Theol. Regens ordinarius.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XXXVII. die XXVII. Au

Ioannes Puttart, Thenensis, Carmelita, ad Conc. Vnive admissus eodem anno, Kal. Octobris.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XXXIX. die XXIII. Se

Ioannes Leonardi Hasselius, cognomento Vande Ycken, patriâ Hasselensis. Vir fuit doctissimus, & meritò prædicandus omnium calculis, quippe clarus etiam Tridentino in Concilio: præterea trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ cognitione excellens; qui hoc unicè studebat, ut diceret & scriberet Latinè ac purè; nec id solùm, sed ut & propriè. Eoque fine lectioni bonorum auctorum sese mancipaverat à puero: plus se inde utilitatis relaturum sperans, quàm ex labyrinthis novorum quorumdam hominum, qui nisi barbarè & perplexè scribant & loquantur, veros se, non futuros Theologos existimant. E scriptis, præter *Sententiam super facto Nectar Patriachæ Constantinopol. circa sublationem Confeßionis*, in Conc. Tridentino exhibitam, nihil vulgatum est typis. Asserere tamen ausus fuit Franciscus Lava, præfando ad dictam Sententiam, *Commentaria in Esaiam & Pauli Epistolas*, sub nomine *Adami Sasboldi* promulgata, esse Hasselij, saltem ex ore ejus excepta, & totidem pænè verbis à Sasboldo prælecta. Quod dico, inquit, norunt, qui ipsum vivâ voce docentem audiverunt, & ipsius Commentaria cum Hasselij scriptis contulerunt. Verùm hoc alij negant. Vide Apologiam Mich. Vosmeri, pro Sasboldo scriptam. Obijt Hasselius Tridenti, an. CIↃ.IↃ.LII. die v. Ianuarij, sepultus in D. Marci, cum hoc Epitaphio:

Siste gradum, & tumulo flores insperge, Viator,
Faustaq; ter cineri verba precare sacro.
Tridentum Grudys à Cesare missus Athenis
Hic procul à patria conditur HASSELIVS.
Ah! sera mors reducem potiùs statuisse decebat,
Aut priùs Alpinus quàm peteretur apex.
DIEM ET LOCVM NATALEM SCIMVS,
FATALEM NESCIMVS.

Franciscvs Ægidii Fil. cognomento De Campo, vernaculè VANDEN

VANDEN VELDE, vulgò SONNIVS dictus, à pago Campaniæ Brabantinæ loco natali, primus in Schola Artium an. CIↃ. IↃ. XVII. Medicinæ operam dedit anno uno, ac mox mutatâ sententiâ Theologiam amplexus fuit, alumnus Collegij Adriani VI. Pont. Hinc Cura illi demandata fuit Ecclesiæ Meerbecensis, extra Lovanium; inde in urbe ad S. Iacobum: ac demùm Canonicus in D. Petri & S. Theol. Doctor Professorque Ordinarius, vigore Nominationis obtinuit præbendam Cathedralis Ecclesiæ Vltrajecti, in qua & Inquisitor hæreticæ fuit pravitatis. Ex hac urbe Philippus II. Hispaniarum Rex & Belgarum Princeps, SONNIVM Tridentum ad Concilium; Vuormatiam anno CIↃ. IↃ. LVII. ad Colloquium, Ferdinando Rege Romanorum instante, unà cum *Iudoco Ravesteyn & Martino Rithovio*; & denique an. CIↃ. IↃ. LVIII. Romam ad Paullum IV. P. M. misit pro erectione novorum in Belgio Episcopatuum: qui Pontifex *Sonnium* à se dimisit, titulo & habitu Protonotarij Romani ornatum, cum salario sexcentorum ducatorum. Rex verò eumdem primum Silvæ-ducensem, hinc Antverpiensem, nominavit Episcopum. Vivere desijt Antverpiæ, an. CIↃ. IↃ. LXXVI. die XXIX. Iunij; conditus in Cathedrali Æde, Virgini Dei-paræ sacra, ad latus Aræ summæ: cui nuper tumulum marmoreum S. P. Q. Antverp. posuit.

D. O. M.
A Sole nomen mutuatus hîc cecidit
FRANCISCVS SONNIVS.
Qui ab humili ortu & per sacri studij gradus,
summosq; honores apud Silvaducenses annos IV.
dein huic urbi primus Antistes illuxit:
utq; plures per Belgium Antistites
darentur, Legatus effecit.
Vim doctam mentis & styli hæreses senserunt,
& Vuormatiense Colloquium.
Pependit ab ore docentis Silvaduc.
& urbis huius populus.
At sortem iniquam!
Vixit annos sex hîc Præsul,
dum ætate & meritis gravis,
à principe pastorum evocatus,
Decessit anno salutis M. D. LXXVI.
AEternùm ut vivat, Lector, precare.

scripsit *Demonstrationum Religionis Christianæ ex Verbo* Dei libros quibus quartus accessit à morte Auctoris de VII. Sacramentis, pis Plant. 1577. 8. aliaque.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XL. *die* XX. *Iulij.*

CORNELIVS ERBORNEN, Antverpiensis, Ord. Prædicat. profe in Patria. Vir in primis industrius & prudens, ingenio, judicio, c etri naque excellens. Præfuit suis Prior Brugis & Antverpiæ, ac Provinciæ laudatissimus Provincialis. Debetur hujus potissimum dustriæ augustum illud templum sui Conventus Antverpiense, qu c I Ↄ.IↃ.XLVII à fundamentis erigere cœpit in eam, quam videmi molem: audaci sanè per omnia, raro, visendoque opere. Quod ipsu circa Chorum majorem, bellorum turbine collapsum, nuper præstit æterni nominis Præsul Buscoducensium Rev.mus *Michael Ophoviu* Obijt *Erbornius* an. CIↃ.IↃ.LIV. die XXIII. Aprilis.

CHRISTOPHORVS VIEIRA, de S. Thoma, Lusitanus, ejusdem Or

Promotio an. ejusdem, die XXIII. *Nov.*

FELIX PONTIVS A LEONE, Hispanus, Ord. Prædicat. Religionem professus in Conventu Giennensi provinciæ Bæticæ, ibidem Philosophiam & Theologiam docuit. In Belgium veniens an. CIↃ.IↃ.XXXVI. studia sui Ordinis rexit Lovanij, inscriptus matriculæ eodem anno mensis Novemb. die XXIV. Reversus in Hispaniam præfuit Prior Conventui suo Giennensi: in quo instituit Studium generale, tam Philosophicum quàm Theologicum, quod ab anno CIↃ.IↃ.LV. ingenti sui Ordinis bono etiam-num floret.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XLI. *die* XIII. *Sept.*

IACOBVS COLEMAN, Ord. Carmelit. Prior Antverpiæ.

IOANNES WALTERI, de Insulis, Ord. Præd. Conventus Insulensis, cui & secundò Prior præfuit. Nomen Vniversitati dedit an. CIↃ.IↃ.XXXVI. die V. Iulij, fuitque Facultatis S. Theol. Legens & Regens ordinarius. Sed & apud suos docuit, Studiumque generale sui Ordinis rexit: factusque Inquisitor hæreticæ pravitatis vocatus fuit à Carolo V. Imp. ad Concilium Trident. Vitam finivit an. CIↃ.IↃ.LXIV. die IX. Aprilis.

Promotio

Promotio an. CIↃ. IↃ. XLIII. die III. April.

IOANNES LANDWYNUS, Religiosus de Alna, Ord. Cistertiensis.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XLIV. die XIX. Aug.

ALPHONSUS DE S. ÆMILIANO, Hispanus, Ord. Prædicat. Venit Lovanium an. CIↃ. IↃ. XXXVII.

IOANNES PENNEQUIN, Duacensis, Conventus ejusdem Ord. ibidem Prior. Obijt an. CIↃ. IↃ. LVI. die III. Ianuarij.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XLVI. die V. Octob.

IUDOCUS RAVESTEYN, Tileto Flandriæ oriundus. Celebris nominis fuit Theologus in hac nostra & Superiori Germania, jussu Caroli V. tum ad sacrum Conc. Tridentinum, tum ad Colloquium Vuormatiense, missus; primusque & solus Flacci Illyrici, & aliorum Augustanæ Confessionis Ministrorum, qui in Ecclesiam Antverpiensem irrepserant, impiam doctrinam scripto confutavit; Martini ad hæc Kemnitij Examen ac Censuram adversus Decreta sacri Conc. Tridentini solidâ defensione profligavit. Et porrò profligaturus erat, nisi Deus, dum reliquas Defensionis partes adornat, in medio conatu ex hac vita eum evocasset. Extat Epitaphium in Xenodochio Lovaniensi, cui à morte Ruardi Tapperi præfuit:

Eximius & Venerabilis Vir Dom. & Magister
IUDOCUS RAVESTEYN, *Ecclesiæ Collegiatæ*
S. Petri Canonicus, Præpositus Vualcuriensis,
huius almæ Vniversitatis Privilegiorum Conservator,
Artium & S. Theologiæ Professor clarissimus:
qui hæreses, contra Catholicam Fidem
suo tempore grassantes,
doctrinâ & libris editis profligavit:
huius Xenodochij Præpositus:
Vir sanè multæ eruditionis, pietatis,
ac modestiæ, hic sepultus est.
Obijt an. CIↃ. IↃ. LXX. *die* VII. *Februarij.*

NICOLAUS FENNET, Atrebatensis, Ord. Prædic. Conventus ejusdem urbis suæ Prior.

Promotio an. CIↃ. IↃ. L. die XV. Iulij.

MICHAEL DV BAY, Melinensis, ex agro Athensi, an. D. CIↃ. XXXV. tertium inter Philosophiæ Magistros locum obtinuit, P fessusque eamdem, & ad Conc. Vniverſ. admiſſus ex Facult. Arti an. CIↃ. IↃ. XLIV. III. Kal. Iunij; Doctorque Theol. renuntiatus: S. Scripturæ Profeſſione *Ioannis Leonardi Haſſelio* ſurrogatus fuit, Tridentino Concilio an. CIↃ. IↃ. LXIII. interfuit. Cæterùm v compendium ex Oratione funebri Ioan. Bernartij & Iacobi du B è fratre nepotis, ac librorum ſeriem propoſui in Biblioth. Belgi E Quibus Opuſcula ejuſdem ſimul Lovanij excuſa an. 1566 nimiru *De meritis operum*, *De prima hominis Iuſtitia & virtutibus impiorum*, *De Libero hominis arbitrio*, *De Charitate, Iuſtitia & Iuſtificatione*, *De peccato o ris*, &c. ipſe Auctor recudi noluit, poſtquam intellexit quædam ijs Pio V. Pont. M. diſplicuiſſe: qui & Bullam edidit anno CIↃ. I LXVII. Kal. Octob. quam poſtea Gregorius XIII. confirmavit, q Propoſitiones pleræque ex illis libris excerptæ damnantur, tamquan ut Bulla loquitur, *hæretica, erronea, ſuſpecta, temeraria, ſcandaloſa, & pias aures offenſionem immittentes reſpectivè*: plures etiam damnantur, qu in libris *Baij* non reperiuntur. Publicata fuit Bulla Lovanij anno CIↃ. IↃ. LXX. die XVII. & XIX. Aprilis. Monumentum ſepulcrale habet i Sacello Collegij Pontificij, cui præfuit:

Hic iacet ſepultus Egregius Vir D. ac M. N.
MICHAEL DV BAY, *Athenſis,*
Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri Lovanij Decanus,
Vniverſitatis Cancellarius & Cónſervator,
Generalis per Belgium Inquiſitor,
Regius S. Theologiæ Profeſſor,
& Collegij Pontificis Præſes.
Deceſſit XVI. *Decembris anno* CIↃ. IↃ. LXXXIX.
Decanatus anno XIV. *Profeſſionis* XL.
Præſidentiæ XXXIX. *ætatis annum agens* LXXVII.
Animæ quietem, Lector, precare.

IOANNES à BONONIA, *Franc. à Bononia*, Cyphalæ & Capacis Baronis, Fil. Archidiaconus Panormitanus, Cæſareæ Majeſtatis Sacellanus, S. Th. Baccal. Pariſienſis, Lovanium venit an. CIↃ. IↃ. LIII. prid. Kal. Septemb. Edidit *Compendium Dialectices*, Lovanij 1550. typis Gravij, & *De æterna Dei prædeſtinatione ac reprobatione*, ibid. 1555. 8. apud Ant. Mariam Bergaigne.

Promotio

Promotio an. CIↃ. IↃ. LI. *die* XII. *Maij.*

IOANNES HENTENIVS, Nechlinienſis (qui ditionis ac diœceſis Leodicenſis pagus eſt, prope Tudinium) primùm Ord. S. Hieronymi in Luſitania, pòſt S. Dominici Religioſus Lovanij, Prior ac Regens Studij, & Facult. Theologicæ Ordinarius, vitæ morumque exemplo ſuis præfuit. Moritur anno D. CIↃ. IↃ. LXVI. ætatis LXVII. die XII. Octob. *Biblia ſacra* Caroli V. juſſu è MSS. recenſuit, quæ *Lovanienſia* inde dicuntur: aliaque edidit; è Græco Latinè reddita, quæ in Biblioth. Belgica recenſeo.

ADRIANVS CORNELII, de Brauwershaven, Zelandus, Canonicus ad D. Petrum Lovanij & S. Th. Prof. receptus ad Conc. Vniverſitatis an. CIↃ. IↃ. XLVII. prid. Kal. Martij, obijt an. CIↃ. IↃ. LVI. prid. Idus Auguſti.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LV. *die* III. *Maij.*

ADRIANVS OOSTERWICANVS, Ord. Prædicat. Prior Provincialis, & Eccleſiaſtes celeberrimi nominis.

CORNELIVS DE ROMERSWALIA, S. Theol. Prof. Ordinarius & Decanus Verienſis.

Promotio an. CIↃ IↃ LVI *die* XIX *Maij.*

MARTINVS BALDVINI, cognomento VALCK, patriâ Rythovius. Hic unà cum *Ioanne Heſſelio* an. CIↃ. IↃ. LV prid. Kal. Sept. ad gradum Magiſterij admiſſus fuit, præviâ tamen, ob cauſſas Facultatem tunc moventes, admonitione, *ut caverent in ſuis Lectionibus, aut publicis diſputationibus, & ubique, docere aut urgere aliquid contra antiquam Facultatis doctrinam, unde putari poſſent ab alijs Magiſtris diſſentire; potiſſimùm in articulis vel dogmatibus apud hæreticos nunc controverſis, in quibus recedendum eſſet ab illorum doctrina, quàm longiſſimè fieri poſſet, ſalvâ veritate.* Rythovius Colloquio Dilingæ apud Suevos ſacras litteras interpretatus fuit: Colloquio Vuormatienſi, unà cum *Franc. Sonnio* & *Iudoco Raveſteyn*, Doctoribus Lovanienſibus, an. CIↃ. IↃ. LVII. interfuit; electuſque an. CIↃ. IↃ. LIX. XIII. Kal. Octob. in Decanum Eccleſiæ D. Petri, Tridentum ad Concilium miſſus an. CIↃ. IↃ. LXII. cum *Franc. Richardoto* & *Ant. Havetio*, Eccleſiarum Atrebatenſis & Namurcenſis Epiſcopis, finem ejus ſpectavit. *In Belgium reverſus* primus Iprenſibus Epiſcopus datur, & poſt

P

post varios pro Ecclesia Dei susceptos labores, post toleratos Gan-
vi in Ordinum secessione carceres, demùm peste extinguitur Au-
maropoli, corporisque exuviæ Ipris in Ecclesia Cathedrali depo-
suntur, hoc addito Epitaphio:

Sicut in Adam omnes moriuntur,
ita & in Christo omnes vivificabuntur.
Ero mors tua, ô Mors; morsus tuus, ô Inferne.
MARTINO RYTHOVIO,
Iprensium Episcopo,
Qui Tridentino Concilio interfuit,
Gandavi pro Fide carceres tulit:
Audomaropoli obiit IX. *Octob.* CIↃ. IↃ. LXXXIII.
Seminarium Iprense hæres P. CIↃ. IↃC. VII.

Præter *Commentarium* brevem *in libb.* IV. *Sententiarum* reliquit Trac-
de *Controversiis Fidei*, quem Religiosis Parcensibus dictavit.

IOANNES HESSELS, à Lovanio, primus in Schola Artium an. CI
IↃ. XLI. in Parcensi Abbatia Theologiam annos octo docuit. Supre-
mâ sacri studij donatus laureâ, non multò pòst ad Tridentinam Syno-
dum missus fuit; reversusque *Martino Rythovio* in Professione Theolo-
giæ Scholasticæ suffectus, refertissimo auditorio Petri Lombardi Sen-
tentias explanavit. Erat quippe vir ille incomparabilis, & præter exi-
miam quamdam pietatem præclaris animi dotibus à Deo exornatus,
ingenio in primis perspicaci & propè divino; quippe ad comprehen-
dendum celerrimus, ad excogitandum acutissimus, ad indagandum
sagacissimus: ad hæc memoriâ tenacissimâ, fidelissimaque. Accedebat
ardens & indefessum inquirendæ veritatis studium, ut latiùs præfantur
ad ejus Catecheses Henr. Gravius & Ioan. Soteallus. Quæ ille scripsit
in Biblioth. Belgicam refero. Legitur autem Epitaphium, laminæ
æneæ insculptum, ad S. Petrum, juxta sacrarium SS. Eucharistiæ:

Hic è regione sepultus est
D. IOANNES HESSELS, *à Lovanio,*
Sacerdos, huius Ecclesiæ Canonicus,
& Regius S. Theologiæ Professor:
Vir celeberrimus, & pietate ac eruditione
incomparabilis.
Qui hæreses suo tempore grassantes tum vivâ voce
tum editis libris strenuè profligavit,
& moriens Lovanij VII. *Idus Novemb.*
anno incarnati Verbi CIↃ. IↃ. LXI. *ætatis*

viii

verò suæ XLIV. pijs doctisq; omnibus,
& Scholæ Theologicæ in primis,
maximum sui desiderium reliquit.

Promotio ejusdem anni die XIV. Septemb.

GVILIELMVS LINDANVS, Damasi Fil. Dordracenus, decurso Lovanij S. Theologiæ stadio, an. CIↃ. IↃ. LIV. ad Dilinganam Suevorum Academiam, recens erectam, vocatus, ut Theologicam Professionem susciperet, biennium ibidem substitit. Lovanij deinde supremâ Theologiæ laureâ insignitus, mox Dilingam repetijt, ac triennio ferè exacto, Archidiaconus Ecclesiæ Vltrajectinæ, & per Frisiam Vicarius à dicti loci Episcopo constituitur; à Philippo II. Rege Catholico Decanus in Haga-Comitis nominatur; ab eodemque an. CIↃ. IↃ. LXII. Ruræmundensis Ecclesiæ Episcopus designatur. Qua in functione qualem se præstiterit, quæ & quanta passus fuerit, fusè prosequitur Arn. Havensius lib. 2. De erectione novorum in Belgio Episcopatuum; eoque nomine insigne elogium Illustriss. & doctissimi Cæs. Card. Baronij meruit, in Notat. ad Martyrol. Romanum 23. Septemb. qui virum vocat *non tantùm omnis generis litterarum eruditione clarissimum, verùm etiam egregij Confessoris Fidei nobilitatum insignibus: quippe qui exilia, proscriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcusso robore Fidei caussâ sustinuerit.* Denique an. CIↃ. IↃ. LXXXVIII. translatus ad cathedram Gandavensem, vix trimestre supervixit. Epitaphium ibi commune habet cum *Corn. Iansenio*, prædecessore suo:

Vnicus est Phoenix, cineres hac tumba duorum
Phoenicum vera Relligionis habet.

D. O. M.
Reverendissimis in Christo Patribus, S. Th. DD.
CORN. IANSENIO ET WILHELMO DAMASI LINDANO,
primo & secundo huius Vrbis Episcopo,
ob multos in scrutandis & interpretandis
sacris Scripturis exantlatos labores,
& merita in Dei Ecclesiam & Rempubl.
Christianam, positum.
Obijt hic II. Novemb. CIↃ. IↃ. LXXXVIII.
ille verò XI. *April.* CIↃ. IↃ. LXXVI.
Quomodo in vita sua dilexerunt se,
ita & in morte non sunt separati.

plurima scripsit *Lindanus*, quorum indicem in Bibliotheca Belgica exhibeo.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LVIII. XX. *Iunij.*

LAVRENTIVS DE VILLA-VICENTIO, Xerezanus, Hispan Ord. Eremitarum S. Augustini, vir stirpe & eruditione nobilis. Vi magnam partem Brugis Flandrorum, gentis ibidem suæ celebris facundus Ecclesiastes: deinde Vicarius, ut aiunt, aut saltem Comm farius Ordinis sui in Belgio Generalis; donec sub initium tumultu Belgicorum in Hispaniam secessit, Regio ibidem, ut refert Crusenii frequenter adhibitus Concilio. Scripsit & edidit in Belgio *De rectè fo rmando studio Theologico* libb. IV. *De formandis sacris Concionibus* libb. II *Phrases S. Scripturæ: De œconomia sacra circa pauperum curam, & Concion* varias.

AVGVSTINVS HVNNÆVS, vulgò *Huens*, Machliniensis, Philosophia in Castrensi Pædagogio per annos plures professus, recipitur ad Con Univers. ex Facultate Artium an. CIↃ. IↃ. XLVII. III. Id. Novem Vir, præter Latinam, eamque puriorem ac castiorem, linguarui Græcæ atque Hebraicæ in paucis peritus; quas & publicè in Collegi Trilingui professus est, eoque nomine & Biblijs Regijs censendis a recensendis, auctoritate Regiâ ac Pontificiâ, operam dedit. Fuit pri mùm Ordinarius, deinde Regius S. Theol. Professor, datus successo *Ioan. Hesselio.* Decessit an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. VII. Idus Septemb. Scripsit *Dialecticam, & Prodidagmata Logices*, sæpiùs excusa: *Catechismum Catholicum: De Sacramentis Ecclesia Axiomata.*

Promotio an. CIↃ. IↃ. LX. *die* XII. *Nov.*

THOMAS GOZAEVS, Bellomontanus, Canonicus & Prof. secundæ fundationis an. CIↃ. IↃ. LX. surrogatus *Martino Hessels* S. Th. L. Vivere desijt an. CIↃ. IↃ. LXXI. die VIII. Martij, in Abbatia Parcensi, ubi die VI. Martij adsidens mensæ tactus fuerat apoplexiâ: sepultus in Sacello Collegij Sabaudici, cujus primus Præsidens fuit.

CVNERVS PETRI, à Brauwershaven, Zelandus, tunc in Abbatia Parcensi S. Theol. Lector. Inde ad S. Petrum Plebanus & Professor Ordinarius, voce ac stylo publicè profuit, hæresesque insectatus fuit. Anno CIↃ. IↃ. LXIX. primus Leovardiensium apud Frisios Antistes constitutus, ipsis Kalen. Febr. anni insequentis solemniter in possessio-

possessionem introductus fuit, & quamdiu licuit, nihil prætermisit quod boni est Episcopi, opponens se murum pro domo Dei, quamdiu vixit. Moritur Coloniæ in exilio an. CIↃ. IↃ. LXXX. die XV. Febr. anno ætatis XLIX, sepultus in Aede Metropolitana ad Altare SS. Magorum. Scriptorum nomenclaturam Biblioth. Belgica suppeditat.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXII.

CORNELIVS IANSENIVS, Hulstensis. Fuerat antea toto octennio in celebri Tungerloënsi Ordinis Præmonstratensis Abbatia S. Theol. Lector, ibidemque *Concordiæ Evangelicæ* prima lineamenta duxit, & *Commentarium in eamdem*. item *Paraphrasin & Comment. in Psalmos Davidicos* prælegit; quę postea limata publici juris fecit, semper duratura ingenij monumenta. Lovanium reversus Canonicus & Prof. novæ fundationis an. CIↃ. IↃ. LXI. ac Magisterij honore auctus, cum *Mich. Baio* & *Ioanne Hesselio* à Philippo II. Tridentum missus fuit; ac redux in Belgium ad D. Iacobum Lovanij Decanus, & primus Gandavensium Episcopus an. CIↃ. IↃ. LXVIII. ibidem in Collegio Sabaudico consecratus. Desijt vivere an. CIↃ. IↃ. LXXVI. III. Id. Aprilis. Epitaphium commune habet cum *Guil. Lindano*, ejusdem urbis Episcopo.

GEORGIVS BLAVOIS, Ord. Prædicat.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXIV. *die* XX. *Iunij.*

IOANNES STRAETMANNVS, Bruxellensis, Ord. Prædicat. ibidem rofessus. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXX. die XXIII. Aprilis.

PAVLVS COYANVS, vulgò *Coye*, Aldenardensis, Ord. Prædicat. rior Brugensis, & sui Ordinis Provincialis per Belgium an. Dom. Ↄ. IↃ. LXXI. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXXIII.

'romotio an. ejusdem, die XXIX. Augusti.

BVCHO à MONTZIMA, Frisius, Præpositus & Archidiaconus ad oannem Vltrajecti, de quo lubet hîc appendere, quæ ex tabella fili ad S. Ioannem Vltrajecti descripta transmisit V. CL. *Gisbertus* *)ius à VVaveren* I. C.

Reverendus in Christo Pater ac Dom.
BVCHO A MONTZIMA, *Artium & S. Theol. Doctor eximius,*
præcipuarum Linguarum egregiè peritus, *ex qui-*

ex quibus Hebraicam in Lovaniensi Academia publicè professus est.
Cuius Doctoratus celebritas magnificentissima fuit,
nec talis à condita Universitate similis visa.
Nam decorarunt illam suâ præsentiâ Episcopi IV.
Principes duo, Aurangiæ & Chimay, Comites &
Barones multi, inter quos doctissimus Comes Meursiæ;
Equites & Nobiles ac studiosi omnium facultatum quamplurimi.
Missi ab Ecclesia Ultraiectensi Præpositus & Decanus
Maioris & S. Salvatoris,
Renesse & Vander-Burchius ex S. Ioanne.
Aderat & Legatus Gubernatricis Parmensis Ducis,
cum toto Privato Concilio, viris prudentibus,
& rarâ eruditione præclaris.
Fuit & huius D. Ioannis Bapt. Præpositus & Archidiaconus;
Metropolitanus & S. Salvatoris & S. Ioannis Canonicus.
Liber Dominus in Mydrecht, VVilnes, Cudelsteert, Zevenhoven,
Tamen; Dom. in Achtienhoven, Blocklant, Nuythoorn,
Cl.mi I. C. D. VIGLII ZWICHEMI in Frisia ex sorore nepos.
Ioannes à Renesse S. Ioannis Decanus,
quinque Ecclesiarum Traiectensium senior Canonicus,
dicti D. Præpositi in Eccles. & temp. Vicarius & Officialis,
atque eius munificentia Præpositurâ Goedelandiæ donatus,
& ultimæ voluntatis Executor,
D. ac patrono suo B. Mem. pos. & gratitudinis ergò
ad memoriam & ornatum PP. C.
Inter precandum vir piissimus apoplexiâ tactus
subitò spiritum Deo reddidit, maximo amicorum,
Collegarum, egenorum, omniumq; bonorum
luctu & desiderio, VI. Febr. CIↃ. IↃ. XCIV.
Vixit annos LVIII. Menses XI.

IACOBVS COMANVS, vulgò COEMANS, ab Horst. Fuit primùm Canonicus ad S. Gereonem Coloniæ; deinde Canonicus & Scholasticus ad S. Ioannem Gandavi, à Viglio Zuichemo eò evocatus Scripsit Coloniæ Defensionem pro Communione sub una specie, adversus Hamelmanum, 1563.

Promotio an. CIↃ. LXVIII. Kal. Iunij.

CORNELIVS REYNERI, Gaudanus, Canonicus & Prof. novæ fundationis

dationis an. CIƆ. IƆ. LXVIII. deinde surrogatus in præbenda majori *Iudoco à Ravesteyn*, demùm Decanus Ecclesiæ S. Petri, in cujus Choro monumentum sepulcrale habet.

Hoc sui monumentum poni curavit
D. CORNELIVS REYNERI, *Gaudanus*,
Artium & S. Theologiæ Doctor,
& almæ Vniversitatis Cancellarius in absentia Præpositi.
Migravit ex hoc sæculo anno CIƆ. IƆC. IX. *die* XVI. *Decemb.*
Aetatis verò suæ LXXXIV.
Cui Deus donet, ut misericordiam consequatur
& gratiam inveniat in illa die. Amen.

ROBERTVS MALCOTIVS, Lovaniensis, Plebanus ad S. Petrum & S. Th. Professor. Obijt an. CIƆ. IƆ. LXXVIII. VI. Non. Iulij, cum magno parochiæ suæ & Scholæ luctu; sepultus ante Altare S. Crucis. Reliquit Tract. *De Ecclesia*, & *De veneratione SS.* manuscr. in Parco.

Promotio an. ejusdem, die XII. *Octob.*

BALTHASAR TEXTOR, Audomarensis, Ord. Prædicat. Vir fuit ingenio profundus ac mirâ in dicendo pollens gratiâ, Regens & Studij generalis Ord. sui primarius, & Facultatis S. Theol. ordinarius. Frequentibus disputationibus & concionibus, varijs in locis per annos XIII. continuos egregiè habitis, hæreticos lacessivit, obijtque an. CIƆ. IƆ. LXXVII. die XII. Aprilis, secundùm Prior.

PETRVS BACHERIVS, Gandavensis, Ord. Prædicat. & Regens Studij generalis sui Ordinis ac Facultatis S. Theol. Lovanij, Poëta non inelegans, Orator & Ecclesiastes adversus hæreses vehemens, variis sui Ordinis Conventibus præfectus fuit, Hagæ-Comitis, Calcariæ Clivorum, Gandavi & alibi; ac varia scripsit, quorum catalogum in Biblioth. Belgica exhibeo. Decessit senio gravis, anno ætatis LXXXIV. *Dom.* CIƆ. IƆC. I. *prid.* Idus Februarij.

Promotio an. CIƆ. IƆ. LXIX. *die* VI. *Febr.*

PETRVS LVPVS, vulgò *VVolffs*, Goedsenhovius, agri Thenensis, Ord. Carmelit. Conventus Machliniensis professus ac Prior, & per Germaniam Inferiorem Prior Provincialis, invasâ à rebellibus atque hæreticis Machliniâ, dum sese omnibus ejusdem civitatis incolis pro Deo

Deo & Rege suo exhibet antesignanum, trucidatur; eo ferè loci, vetus hodie palatium visitur, an. CIↃ. IↃ. LXXX. prid. Non. Apri Fuit & *Lupus*, ut ex Petro Nannio didici Orat. De obsidione Lovai ensi, dum Lovanium à Martino Rossemio tentaretur, Studiosoru ductor, unà cum *Severino Feyta*, Frisio, alijsque. De eodem vide Pe Lucij Biblioth. Carmelitanam, Thuanum lib. LXXI. Historiar. s temporis ad an. 1588.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXX. *die* XXX. *Maij.*

HENRICVS GRAVIVS, Lovaniensis, Barthol. typographi Fil. magni nominis Theologus, primus Catecheseos Prof. Regius. Romam evocatus, ut Bibliothecæ & Typographeio Vaticano præesset, diu vitalis non fuit. Epitaphium defuncto scripsit & posuit Cæsar Card. Baronius, quod in Basilica Germanorum legitur:

HENRICO GRAVIO, *eximiæ pietatis,*
spectatæq; eruditionis viro:
quem post quattuor lustrorum, in florentissima
Lovaniensi Academia, S. Theologiæ publicam Professionem,
Sixtus V. *Pont. Max. insignis eruditionis ergò,*
Romam evocavit,
Gregorius XIV. *in Pontificiam aulam excepit,*
sed amplioribus dignum honoribus
Christus in cœlum evexit,
die II. *Aprilis, anno* CIↃ. IↃ. XCI.

Exstant ejus *Notationes* eruditæ in Tomum VII. Operum D. *Augustini*, qui est contra Hæreses. Item *Oratio* anno CIↃ. IↃ. LXXXVI. Lovanij habita, quâ expenditur illud Christi, Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Censura* quoque *Facultatis S. Theol. super Assertionibus quibusdam de S. Scriptura, Gratia & Prædestinatione*, eodem anno Lovanij scripto traditis, ex commissione ejusdem Facultatis à *Gravio* conscripta est.

GREGORIVS FABRI, Avesnensis, Hanno, Ord. Carmelit.

Promotio an. ejusdem die XII. *Septemb.*

IOANNES MOLANVS, *Henrici Ver-meulen*, de Schoonhovia, Fil. civis Lovaniensis, Regij Theologorum Seminarij Præses, admissus ad Conc.

ad Conc. Univers. an. CIↃ.IↃ.LXIX. prid. Kal. Martij ex Facult. Artium. Vir fuit in Ecclesiastica antiquitate plurimùm versatus, & de Ecclesia Sanctisque Dei, ac veritate Catholica optimè meritus: *cuius proinde nec brevem schedulam deperire aequanimiter patior*, inquit Card. Baronius in Praefat. ad Martyrol. Rom. cap. 9. *cui* (sic pergit ille) *dicam ingenuè, isthaec omnia hac ex parte accepta fero, quòd in densissimam silvam primus ipse ingressus, mihi alijsq; aditum patefecit. Quo etiam nomine cùm ego, tum eruditi omnes, plurimùm nos ei debere lubenter agnoscimus & confitemur*. Lucullentum ejus rei testimonium praebent, *Usuardi Martyrologium*, Annotationibus auctum, *Natales Sanctorum Belgij*, *De Picturis & Imaginibus sacris*, & alia ejus generis, de quibus in Biblioth. Belgica. Anno CIↃ. IↃ. LXXXV. subito catharri defluxu extinctus est, supellectili omni & Bibliothecâ relictâ pauperibus Seminarij Regij. Inscriptio sepulcralis in lamina aenea legitur in D. Petri ad Altare S. Agnetis:

Conditus hìc iacet D. IOANNES MOLANUS,
S. Theologiae Professor,
Apostolicus ac Regius Librorum Censor,
Ecclesiaeq; huius Canonicus.
Qui editis libris clarus, ac insigni condito
testamento, quo pauperibus studiosis,
ad curam Pastoralem seriò se praeparantibus,
annuos trecentos florenos legavit.
Obijt Lovanij, magno sui relicto desiderio,
an. CIↃ. IↃ. LXXXV. *Septemb.* XVIII.

IOANNES LENSAEUS, vulgò *de Lens*, Belliolanus, ex agro Athensi, *Ioannis Briarti*, similiter S. Th. Doct. & Prof. ex Elisabetha sorore nepos. Philosophiam in Falconensi Gymnasio, Theologiam in Par[...]censi Abbatia, Fidei controversa in Regio Lovanii Seminario explanavit, non minùs Latinè & eleganter, quàm solidè; Regiusque [...]. Theol. Professor *Augustino Hunnaeo* eo in munere successit. Multa [...]ripsit, Fidei controversias concernentia, *De una Christi in terris Ecclesia*: *De Libertate Christiana*: *De unica Religione*: *De Verbo Dei non scripto*: *De Purgatorio*; aliaque, quorum catalogum Biblioth. Belgica suppe[...]tat. Sed & *Iustificatio seu Defensio Censurae Facult. S. Theol. Academiae Lovan. adversus Apologiam Professorum Societ.* IESU, *de Scriptura sacra, Praedestinatione & Gratia Christi*, anno CIↃ. IↃ. LXXXVIII. ex com[...]issione eiusdem Facult. conscripta, ferè Lensaeum [...] unà cum Henrico

Hic è regione situs est
IOANNES LENSAEVS, Belliolanus,
huius Ecclesiæ Canonicus,
Regius S. Theol. Professor celeberrimus:
qui hæreses suo tempore grassantes
tum vivâ voce tum editis libris
strenuè profligavit,
& moriens 11. Iulij, an. CIↃ. IↃ. XCIII.
doctis omnibus summum sui reliquit
desiderium.

Promotio an. CIↃ.IↃ.LXXI. die XXV. Iunij.

ANTONIVS DE CONCEPTIONE SENENSIS, Lusitanus, patriâ Vimanarensis, diœcesis Bracarensis, Ord. Prædicat. sacras litteras Vlyssipone apud suos professus, Lovanij Lauream Doctoralem accepit, ibidemque in sui Ordinis Conventu & Facult. Theol. Legens & Regens Studij fuit. *Summam D. Thomæ Aquinatis* citationibus illustravit; ejusdemque *Expositionem in Genesin* primus in lucem protulit: ut & alia, quæ ipse in Bibliotheca Ord. Prædicat. Lutetiæ an. 1585. edita, enumerat.

IOACHIMVS AB OPRODE, Antverpiensis, ad Conc. Vniversitatis recipitur ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. XLII. V. Kal. Aprilis. Hinc an. CIↃ. IↃ. LII. Pastorem egit ad S. Andream in patria: pòst Vltrajectum evocatus eodem munere functus est in Ecclesia B. Mariæ Minoris, nactusque Canonicatum in Ecclesia metropolitana adsumitur in Suffraganeum, sub titulo Episcopi Ebronensis, an. CIↃ. IↃ. LXXI. VIII. Idus Septemb. Epitaphium hodieque legitur in eadem Ecclesia laminæ cupreæ incisum: *Anno Dom.* CIↃ. IↃ. LXXVI. *die secundo Iuly decessit*

Reverendus Dom. D. IOACHIMVS AB OPRODE,
S. Th. Doctor, huius Ecclesiæ Canonicus,
cuius memoria in benedictione sit.

VIRTVTEM NVMMIS PRÆPONITO.

Titulus Episcopatus omissus fuit, propter nascentes hæreses, quarum sectatores *Oprodæum* infestè oderant, virum à zelo religionis, à munditia vitæ, honestate ac gravitate morum, necnon doctrina apprimè commendatum.

Promotio

Promotio eiusdem anni, die XXVIII. Aug.

Lau... Walteri, de Vuesterhoven, Facult. Theol. Le... ...inarius. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. XII. Kal. De...

... De Campo, Ordinis Prædicat. professus in civitate ...ud Belgas, ipse alioqui natione Hispanus, patriâ ... Excelluit in primis gratiâ sermonis seu prædicationis, ...gnates plurimùm valuit. Eoque factum est, ut, cùm in Ordine suo profuisset, præfuissetque Prior Con... ...rensi, fuerit deinde promotus in Abbatem Cœnobij ... D. Benedicti, juxta Brugas, ac postea in Abbatem ...usdem Ordinis, in Hannonia. Quas dignitates insigni ...ne ac morum suavitate in summa vitæ regularis ob... ...ercuit, ac tandem in senectute bona obijt Bru... CIↃ. IↃC. XVIII. sepultus in Sacello Hispanorum, ... vide Arn. Raissium in *Historia Monasterij Crispi-*...

Prom... eiusdem, mense Octobri.

... Ord. Eremitarum S. Augustini, domo & ... celeberrimi nominis Ecclesiastes. Fuit hic ... Brugensis Prior, dum ab hæretico Magistratu an... iussi sunt Religiosi omnes exulare: sed cui *Veldius* ... quàm idem Magistratus scripto testaretur, se non ... improbitatem aut sinistrum rumorem, sed quia præsentis ... non pateretur illos ibi commorari, eosdem jubere urbe ... igitur obtemperandum ratus, Audomaropolim secess... S. Bertini, ubi, dum sacras litteras interpretatur, vi... ...finivit an. CIↃ. IↃ. LXXXIII. Scripsit & edidit *Commenta-* ...*Prophetam*, pro concione explicatum: *Tabulas in Evange-* ...quæ per Quadragesimam populo in Ecclesia proponi ... &c.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXXIII. die XIV. April.

an. CIϽ. IϽ. LXXXI. III. Kal. Octob. sepultus in Cœnobio Cruciferorum.

GVALTERVS ROTARIVS, vulgò *de Reymaecker*, Ardenburgensis Ord. Eremit. S. Augustini professus Brugis, Conventus Lovaniensis tunc secundùm Prior, Facult. Theol. Legens & Regens. Præfuit & Iprensi ac Brugensi Cœnobijs; saturque laborum, atque utramque fortunam expertus, impetratâ ab officio missione, Brugis an. CIϽ.IϽ. LXXVIII. eamdem cum ceteris Fratribus exilij legem subire jussus, post restitutam Regi ac Fidei orthodoxæ civitatem, Concionibus ad populum habitis clarus, ibidem an. CIϽ. IϽ. XC. morte subitariâ exspiravit.

Quid mirum, humana vitæ si vertitur ordo,
Succeduntq; bonis tot mala? Vita rota est.

Promotio an. ejusdem VI. Octob.

FVLGENTIVS DE BRAGANTIA, Lusitanus, Iacobi Ducis Bragantiæ Fil. De cujus promotione lubet hîc subijcere litteras, quas nomine Vniversitatis ad PHILIPPVM II. Hispan. Regem Catholicum tunc dictavit Cl. V. *Ioannes VVamesius*. IMMENSA Dei Opt. Max. benignitate effectum est, *Serenissime Rex*, ut in medijs etiam turbis & Reipublicæ tempestatibus, quas excitavit in Vestræ Majestatis Belgio hæreticorum, sectariorumque furor atque improbitas, litterarum præsertim sacrarum studia in hac Serenissimæ V. M. Lovaniensi Vniversitate progressum suum habuerint, quæ alioqui inter armorum strepitus facilè conquiescere vel turbari solent. Qua ex re plurimùm nobis gratulamur, Deoque O. M. & M. V. sub cujus auspicijs stat hæc nostra litteraria Respublica, immensas gratias agimus. Cujus rei significationem non ob id solùm facimus, quòd nihil dubitemus, Sereniss. M. V. id perquàm gratum futurum, sed quòd nostra quoque plurimùm interesse credamus, ea de re eamdem V. M. certiorem fieri. Quippe cùm extent illius in hanc Vniversitatem collata plurima beneficia, nec quisquam nostrum sit, qui in exspectatione majorum adhuc non sit, ob innatam Pietatem, Clementiam & Liberalitatem M. V. nostri officij esse putavimus, de hoc studiorum felici progressu Clementiam V. certiorem facere, & intentionis, propensionisque M. V. fructum, simul & exspectationis nostræ probabilitatem, demonstrare. Quod propensiùs facimus, nacti amplissimam occasionem ab illustri promotione D. FVLGENTII, filij D. *Iacobi*, Ducis de Bragantiæ,

gantia, qui acceptâ in Vniversitate Conimbricensi promotione Magi-
sterij in Artib. Baccalaureatus in sacra Theologia (ut per paten-
tes Con... Academiæ litteras didicimus) amore hujus Vni-
... sedem huc transtulit, ac post continui biennij
... anno septuagesimo tertio apud nos, primùm quidem
... deinde gradatim Theologiæ Magistrorum atque
...sio adscribi instanter petijt ac postulavit. Fuit autem
...n ac votum nobis universis gratissimum. Nam præ-
...plo, & sacræ Theologiæ candidatos ad progres-
... idem studij amorem non parum incendit & inflam-
... quòd viderent, hominem, illustri familiâ natum, plu-
... literariam, & gradus eruditionis, quàm præclaras alias
... beneficio, imò divinitus sibi collatas. Itaque præfatum
FVLGENTIVM, rigoroso examine prævio, servatisque actibus uni-
... observatis, ad S. Theologiæ Magisterium (non abs-
... Philosophorum, & aliorum, ad celeberrimum Doctoratus
... concurrentium, favore & applausu) unanimi
... admisimus. Qui ad hunc gradum evectus,
... mavit, ijs fungi, inque ijs versari assiduè, quæ
... professorem, & alios ad similia extimulare
... Disputationes, & Actus, cæteraque Scholæ nostræ
... quàm diligentissimè, & magnâ humanitate ac
... nobiscum vivens, gratissimum cùm pietatis, tum erudi-
... diffundit & spirat odorem: ut non immeritò hoc nostrum
... Serenissimæ M. V. mereatur. Quod ut eadem V. Sereniss.
Majestas clementer admittere, dictumque D. FVLGEN-
... totam hanc Vniversitatem, eidem suæ Majestati devotis-
... favore complecti dignetur, humilibus ardentissimis-
... gratia & ...bus rogamus, Deum O. M. ut præpotenti suâ manu Serenita-
... protegat, & conservet incolumem, obnixè orantes. Lo-
... Decemb. CIↃ. IↃ. LXXIII.

...tio an. CIↃ. IↃ. LXXVI. die XXIII. Iun.
...VS QVEMERFORD, Vuaterfordiensis, Hibernus, venit
... in. CIↃ. IↃ. LXV.
...DVS XERQVIES, Barcinonensis, Hispanus. Hic Lovanij
... commendatione Ducis Albani, ejusque Con-

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXXX. XXII. Novem

IOANNES LOAEVS, aliàs GRIMBERCHS, Bruxellensis, Eccle. Metropolitanae Machliniensis Paenitentiarius.

GVILIELMVS ESTIVS, Gorcomius, Philosophiam in Colleg. Falconis docuit, adsumptus ad Concil. Univers. ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. LXXIV. prid. Id. Iunij. A sumpta verò Doctorali laurea accitus Duacum, pluribus ibidem annis Scripturam sacram & Theologiam Scholasticam interpretatus fuit. Scripta illius, pleraque à morte vulgata, in Biblioth. Belgica recenseo: è quibus eximiè probantur, *Commentarij* absolutissimi *in omnes B. Pauli Epistolas: in libb. IV. Petri Lombardi*, vulgò *Magistri Sententiarum: Annotationes in praecipua ac difficiliora S. Scripturae loca.* Vivere desijt an. CIↃ. IↃC. XIII. XII. Kal. Octob. non sine sanctitatis opinione, sepultus in D. Petri ad Altare sancti Sepulcri, cum hoc Epitaphio laminae aereae insculpto:

DEO SACRVM.
GVILIELMVS ESTIVS, *ex Gorichemio, Hollandus,*
S. Theol. Lovanij Doctor, & Duaci Professor,
simulq; Regij Seminarij Praeses annis XXXI.
ac huius Ecclesiae Praepositus, eoq; Universitatis
Cancellarius annis XVIII.
Pietatis, Doctrinae, Modestiae, Beneficentiae,
speculum hic sepultus est.
Decessit XX. *Septembris* CIↃ. IↃC. XIII. *aetatis suae* LXXI.
Gratulare, Spectator, & piè precare.

Promotio an. CIↃ IↃ. LXXXI. die IX. Maij.

ÆGIDIVS WALLIVS, Brugensis, Canonicus in D. Petri & S. Theol. Prof. Ordinarius, admissus, cum collega suo, ad Legentiam & Regentiam in Facult. S. Theol. an. CIↃ. IↃ. LXXXII. prid. Kal. Octob. Scripsit *Paraenesin Antiquitatis*, ad novos Fidei sectarios: item Orat. *De vera Ecclesiae posteritate.* Vivere desijt an. CIↃ. IↃC. III. die XXVIII. mensis Octob. peculio universo in alimentationem Studiosorum S. Theol. relicto.

IOANNES EGMONDANVS, Antverpiensis, Plebanus ad D. Petrum Lovanij, & S. Theol. Prof. moritur an. D. CIↃ. IↃ LXXXV. III. Id. Aug. aetatis XXXV. Tam in pauperes fuit liberalis, ut se ad inopiam ipse redigeret.

Promotio

Promotio an. CIƆ.IƆ.LXXXIV. die XXIX. Aug.

EMBER... RAERTS, Arendoncanus, Plebanus ad S. Petrum ... & facundus, & S. Theol. Professor. Vivere desijt ... x. Kal. Augusti.

... VYCKIVS, Culenburgensis, an. CIƆ.IƆ.LXVI. Lo... gio Lilij inter Artium Magistros primum locum ob... annos novem S. Theologiæ navatâ operâ, (quam & ... ud Martinianos Ord. S. Augustini Canonicos Re... gulares Pro... t) publicus Ethices Professor designatur, in eaque ... xiv. exegit, translatusque in Facultatem Theologi... lxxxv. veluti in schola quadam S. Augustini versari ... & Vicarius Generalis Archiepiscopi Machliniensis ... n ditione sive districtu Lovaniensi, deinde Officialis, ... n D. Petri & Apostolicus Regiusque Librorum Cen... ex Decano ejusdem Ecclesiæ an. CIƆ.IƆ.XCVI. Ru... est Episcopus, postquam Sedes illa toto ... functione laudabiliter & magno zelo pro... Religionis orthodoxæ vixit, varijs scri... bus Catholicos in vetere & vera Fide firma... que Mauritium Nassoviæ Comitem, ad eam... fuit. Plura vide apud Arn. Havensium De Episcopat. lib. 3. cap. 1. & seqq. Decessit ... IƆC. IX. conditus in Aede Cathedrali, additâ ... inscriptione.

Hic ante Sepulcrum Domini positus est
Reverendiss. in Christo Dominus,
D. HENRICVS CVYCKIVS,
Ruremundensis Ecclesiæ Episcopus,
atque Præpositus dignißimus,
erectionis Confraternitatis, dictæ
Romanescorum, ad honorem SS. Petri
& Pauli, confirmator, eiusdemq;
patronus spiritualis electus:
quam Confraternitatem & indulgentijs
decoravit.
Obijt anno Dom. Salvatoris CIƆ.IƆC. IX.
II. Idus Octob. qui pro Domino (quem
pij dolent) climactericus erat.

Cuius

Cuius anima fruatur vitâ æternâ.
Confraternitas Romanescorum
pietatis ergò posuit.
QVOD EST, NOS ERIMVS.

IACOBVS IOANNIS, sive IANSSONIVS, Amstelodamensis, S. Th. Professor, primùm Ordinarius & Canonicus secundæ fundationis an. CIↃ. IↃ. LXXX. inde an. CIↃ. IↃ. XCVIII. Regius S. Scripturæ Interpres & majoris præbendæ Canonicus, *Thomæ Stapletono* surrogatus, atque ejusdem Ecclesiæ Decanus an. CIↃ. IↃC. XIV. *Iacobo Baio* vivis exempto. Scripsit Enarrationes paraphrasticas in *Canticum Canticorum*, in *Psalterium*, in *Passionem Dominicam*, in *Prophetam Iobum*, aliaque. A morte verò prodijt *Expositio in Evangelium S. Ioannis*. Vivere autem desijt an. CIↃ. IↃC. XXV. die XXX. Iulij. anno ætatis LXXVIII. in Sacello Collegij Pontificij ad latus *Michaëlis Bay* depositus, ut, quos par pietatis & doctrinæ præsertim Augustinianæ zelus rapuerat, tumulus non separaret. Plura vide in Biblioth. Belgica.

IOANNES CLARIVS, Tungrensis. Hic primus, relicto Magistro Sententiarum an. CIↃ IↃ. XCVI. Summam Theologicam D. Thomæ Aquinatis prælegere cœpit, teruntur que manibus legentium, quæ in 3. Partem *de Ecclesiæ Sacramentis* dictavit. Sepulcrum habet in Choro D. Petri.

Eximius D. ac M. Noster
IOANNES CLARIVS, *Tungrensis,*
Huius Ædis Canonicus,
H. S. E.
Qui Scholasticam Theologiam
non minori cum laude quàm fructu
annos prope XX. professus,
pauperibus ex asse scriptis hæredibus,
in se constanter parcus,
ut in eos esset profusus,
verè CLARVS *decessit.*
Vixit anno. LXIII. *Obijt an.* CIↃ. IↃC. XI.
Mensis Augusti die XXII.

Promotio an. CIↃ.IↃ.LXXXVI. *die* 20. *Maij.*

IACOBVS DV BAY, ab Atho, oriundus è Melinensi vico agri Athensis, *Michaëlis Bay* è fratre nepos, patrui exemplo ad summos in Theolo-

Theologia atque Academia pervenit gradus, admissus ad Legendum
& Regendum ... Facult. S. Theol, eodem anno, prid. Kal. Octob.
cum coll... ...uele Loyaerts. Scripsit Institutionum Christianæ Reli-
... De venerabili Eucharistiæ Sacramento libb. III. Mori-
... IV. VII. Idus Octob. in Ecclesiæ suæ Choro deposi-
...um Fundatori suo sacrophagum posuit, cum hac

Iacobo du Bay, Athensi,
S. Theologiæ Doctori & Professori,
huius Ecclesiæ Canonico & Decano,
D. Michaelis du Bay,
eiusdem patriæ, studij, Aedis,
Doctoris, Professoris, Canonici & Decani,
ex fratre nepoti,
Pio Fundatori suo
Collegium Bayanum P. C.

Sacræ ... Attenhovius (qui ditionis Leodicensis vi-
... S. Trudon... inter & Landam Brabantiæ opidulum) Cano-
... Capitul... fundationis in D. Petri & Prof. S. Theol. Or-
...narius, atq... Michaëlem Pastor, ubi sepulturam & monu-
...mentum hab...

... Loyaerts, Attenhovius,
hic in spe resurrectionis quiescit,
qui vixit annos LXVIII. dies XIII.
Pastor Ecclesiam & plebem hanc rexit ann. XXXVI.
Doctor S. Theologiæ Scholam ann. XXVII.
vitâ probissimus, doctrinâ eximius,
de hac Ecclesiâ optimè meritus.
Aeternum ut vivat ei, Lector, apprecare.

Obijt an. CIↃ. IↃC. XIV. Mensis Septemb. die XIII.
... Concionum sacrarum Tomos VI. typis Gerardi Rivij in 8.
...rtus Parkinsonus, Lincolniensis, Anglus.
...motio an. CIↃ.IↃ. XC. prid. Kal. Aug.
...phanus Ionas, Ord. Prædicat. Conventus Bruxellensis,
...orapud Duacenates. Fuit & Regens Studij Lovaniensis, ad-
...ibidem ad Facultatem Theologicam anno CIↃ. IↃC. IV. obijt-
...em anno, Kalen. April. sed corpus Bruxellas fuit delatum,
...ue in ambitu sui Conventus depositum.

Iacobvs Faber, Ord. Præd. Conventus Insul
fuit Prior, & Capituli provincialis Definitor, a
Lovaniensis. De eodem in actis Capituli Generalis c
anno cIↃ. IↃ. XCI. sub Rev.mo P. F. Hyppolito Mari
dem Religionis Magistro Generali, leguntur ista: *In*
ma inferioris anno cIↃ. IↃ. XCI. *in vigilia S. Catharinæ M*
Iacobus Faber S. Th. Doctor, & in Academia Lovaniensi R
ageret, quo verbum Dei in proximè futuro Adventu populis annu
reticis varijs prædo, immanibusq; tormentis afflictus per tri
tandem interemptus fuit, mira patientia & invictæ fidei testim
relinquens.

Promotio an. cIↃ. IↃ. XCIV. II. Ka

Petrvs Lombardvs, Hibernus, primus in Schola A
cIↃ. IↃ. LXXV. pôst Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Cam
& Archiepisc. Armachanus, totiusque Hiberniæ Primas, Rom
IↃC. I. electus & in virtute obedientiæ munus illud suscipere
moritur ibidem circa an. cIↃ. IↃC. XXIV. Scripsit de *Regno I*
Sanctorum Insula, Commentarium, à morte auctoris evu
Lovanij an. 1632. 4.

Ioannes Van Hamme, Lovaniensis, patriciæ stirpis, Pa
S. Iacobum, admittitur ad Conc. Vnivers. an. cIↃ. IↃ. LXXXVII.
Kal. Iunij. Decessit an. cIↃ. IↃC. XX. die XVI. mensis Octob.

Iacobvs Bosivs, aliàs à Castro, Amstelodamensis, rec
ad Conc. Vnivers. an. cIↃ. IↃC. I. 22. Octob. postea Episc. Ru
mundensis, laudatissimæ memoriæ: cujus virtutes Epitaphium cic
in templo Cathedrali positum eloquitur.

Iacobi A Castro,
quem Amstelodamum terris dedit,
Lovanium S. Theol. Doctorem coluit,
Ruremunda Episcopum tertium habuit,
quod mortale fuit hîc situm est.
Virtutem viri immortalem, Innocentiam,
Prudentiam, Submißionem, Auctoritatem,
Caritatem bonorum, sed & vita subinde
pro ovibus prodigam, quæ maximè
eum prisci ævi Præsulibus æquavit,
à qua plus lucis accepit Infula, quàm contulit,
breve marmor non capit.

…llum annis emeritum, non animis,
…ex insidijs aggressa, non improvidum,
…antem, ac eodem die sacris operatum,
…abito catarrho penè stantem oppressit,
M. DC. XXXIX. Febr. XXIV. ætatis LXXIX.
Sacerdotij LIV. Episcopatus XXIX.

…LDERVS, Leeuwis S. Petri, territorij Bruxellensis …us anno CIↃ. IↃ. XCVI. S. Theol. Regius Professor …n, quam nactus fuit, docendique provinciam totis …giè ornavit, ut Prælectiones ejus testantur Lovanij …am partem D. Thomæ De SS. Trinitate, Creatione in … Angelis: item in Primam Secundæ De Legibus, Gratia &c. …ecundæ De Fide, Spe, &c. De Iure & Iustitia, cæterisq; …tiis. Quibus postmodum & alia, ab eodem Antverpi… cesserunt, ut Anti-Synodica, sive Animadversiones in …us Dordraceni: De abusu Restrictionum mentalium: De …alis: Commentarius in Canticum Canticorum: & Theologica, universæ Theologiæ Summam com… edita Plantinianis. Monumentum sepulcrale Cathedrali, & supernè sequens inscriptio:

DEO S. & memoriæ posteritatis.
IOANNIS MALDERI, Episcopi Antverpiensis V.
Cui viro
… Petri lucem, Bruxella litteras, Duacum Philosophiæ,
omnes studior. gradus Doctoralem Theologiæ Lauream,
Prærogativa Lectionem publ. Prudentia Seminarij Regij curam,
virtutis eximia insignis huius Cathedræ dignitatem,
nihil ambienti, nihil exspectanti ex merito contulere.
In qua
… regendo, providendo, docendo, scribendo, vivendo,
dignus, pervigil, bonus, fidelis, carus omnibus ac venerabilis,
…ter, Pastor, Præsul, præfuisset, profuisset, præluxisset,
Annis XXII. mensibus II. dieb. XIV.
ad mercedem laboris consequendam evocatus discessit,
ætatis suæ anno LXXXI. Mensis tertij die IX.
Christi Domini M. DC. XXXIII. XII. Kal. Novembr.

…IVS FABRICIVS, Noviomagus, Philosophiam in Ca…sio professus, Doctorque Theologus, admittitur ad … an. CIↃ. IↃC. I. die XXII. Decemb. Edidit D. Leona…

R 2 Magni

Magni Enarrationem in Paßionem Dominicam, è varijs ... monibus collectam, cum Isagoge *in eamdem*. Morit... 1ɔc. XXVIII. die VII. Martij D. Thomæ Aquinati ſa... plexiâ tactus. Ejus Elogium, quod vice Epitaphij ſit, ... *dus*, ad S. Petrum Canonicus, his verbis eleganter ex...

GVILIELMI FABRICII
Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Divi Petri
Decani *Pacifici*.
Privilegiorum Almæ Vniverſitatis Lovanienſis
Conſervatoris *Integerrimi*,
Librorum auctoritate Apoſtolicâ & Regiâ
Cenſoris *Exactißimi*,
maioris Theologorum Collegij
Præſidis *Vigilantißimi*,
Doctrinæ, *Pietatis*, *Innocentiæ*,
Theologis, *Canonicis*, *Eccleſiaſticis*,
ad imitationem veri Exemplaris,

Poſthuma denati Vox.

O Hi me! quàm verè velut aqua delabimur omnes! Non ſic ... Vnda, ut Mors Vitam, propellit. Exemplum quæris Viator ... ſumas licet. Sanus ſoſpeſque eodem penè momento & Vivo & M... nullâ Vivæ actionis, præter placidos Mortis ſingultus, intercap... An non potui meritò tam feſtinâ & inopinâ morte infelix videri... potui & debui; niſi Doctrinæ & Virtutis currum aurigante ... dore, me ſub Cenſoria meorum conſtanter actuum pluſquam L... rum virgula, in ſuavi optimæ conſcientiæ puluillo confidentem, ... ſor ille ſupremus, qui ſcrutatus renes & corda, ex miſerrimo Temp... ad beatiſſimam Æternitatem tranſvexiſſet. Abi jam, Viator, mei ... memor ac tui, ſic Vitam inſtrue, ut quocumque te loco Mors occ... paverit, neque novum tibi ſit, neque ſubitum vel in momento Mor... Etenim qui ſic vixit, etiam mortuus, numquam vivere deſijt.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XCV. XXI. *Novemb.*

GVILIELMVS HVLSELMANS, Bladelenſis, Brabantus, S. Theol. Lector in Monaſterio Parcenſi. Vivere deſijt in Werda-*Cæſaris*, dum lue contagioſâ laborantibus adſiſtit & ſe totum impedit.

IACOBVS

IACOBVS GHEELIVS, Leeuwensis, Ord. Præd. Conventus Lo-
vaniensis, eiusdemque tertiùm Prior. Summo applausu Philosophiam
& Theologiam ad suos docuit, etiam Regentis Studij aliisque in
... laudabiliter functus. Tandemque per universum
...tum Machliniensem hæreticæ pravitatis Inquisitor
... in Domino an. CIↃ. IↃC. II. die VIII. Augusti.

...YTSIVS, Gandavensis, Religionem Ord. Prædicat.
... patria circa annum CIↃ. IↃ. LXXVIII. quando hæreti-
quoque ... ntibus, omniaque sursum deorsum vertentibus, ipse
... on evasit, & cum reliquis sui cœnobij exulare co-
... ter Studij in Conventu Lovaniensi an. CIↃ. IↃC. II.
... rij ad Concilium Vniuers. admittitur; annoque CIↃ.
... o Bruxellam ad Processionem Ven. Sacramenti pro-
...perans, ibidem ... n morbum letalem incidit, & vitæ finem imposuit.

... REYNERI, Bolsvuardiensis, Frisius. Monumentum
In Choro Ecclesiæ S. Quintini:

Hic sepultus est Eximius Dom.
...cus Reineri, Bolsvuardiensis,
Sacerdos, sacræ Theologiæ Doctor,
Seminarij Regis Catholici secundus Præsidens:
Qui præmaturè moriens IV. Kalen. Iunij,
anno incarnati Verbi CIↃ. IↃ. XCVIII.
Ætatis verò suæ XXXVII. magnum apud suos
sui reliquit desiderium.

...omotio an. CIↃ. IↃ. XCVIII. XXII. *Sept.*

TR... DE AMORE, Leodiensis, ibidem Ord. Prædicat. pro-
... linguarum totius quasi Europæ callentissimus, Philoso-
& Theologiam pluribus annis docuit. Et quia ad regendum
idoneus habebatur, varijs locis Priorem egit, bis totius provinciæ Fran-
... Provincialis, & in comitijs sui Ordinis habitis Romæ De-
... Generalis, totiusque Religionis Dominicanæ in Curia Apo-
... Paulo V. Pont. denominatus fuit Procurator. Moritur Leo-
... IↃC. XXVII, ætatis LXXVI. die VIII. Ianuarij, sepultus in
... templi, è regione Altaris majoris, sub marmoreo sarcophago.

...INICVS ANSELMI, Valencenensis, ibidem Religionem Præd.
... bis Conventus sui Valencenensis Prior: & tandem Inqui-
... Came-

racensem constitutus, multis pro domo Dei exantla
obijt an. CIↃ. IↃC. VIII. die v. Maij.

Promotio an. CIↃ. IↃC. II. *die* XX

IOANNES PALVDANVS, vulgò *Vanden Broeck*, Ma
Conc. Vnivers. admittitur an. CIↃ. IↃC. V. die XXVI. A
tiam & Regentiam in Facult. S. Theol. eodem ann
Octob. Fuerat antè Pastor ad S. Gertrudem Lovanij, a
gradu Magisterij ad S. Petrum Machliniæ, iterumque L
nus ad S. Petrum, celeberrimi nominis Ecclesiastes, Pr
cræ Scripturæ, primùm Ordinarius, ac postea Regius, *Ja*
datus successor. Edidit *Vindicias Theologicas*, *adversus Verbi*
las, juxta Biblicorum librorum ordinem: *Apologeticum Ma*
Officinam sacram. In templo majoris Xenodochij hoc ejus le
taphium sarcophago insculptum:

D. O. M. S. *& Memoriæ*
Eximij D. M. N. IOANNIS PALVDANI,
vulgò VANDEN BROECK, *Machliniensis*,
S. Theol. Doct. & Profess. Regij.
Qui postquam totos XX. *annos ad* D. PETRUM
hac in Vrbe Plebanus ac Canonicus
optimè de Ecclesia Scholaq; meritus fuisset,
Ecclesiastes voce facundus ac stylo disertus,
moriens in Xenodochio,
cujus etiam loci præfecturam gesserat,
sepulturam suam elegit.
Obijt anno CIↃ. IↃC. XXX. X. *Kal. Martij*,
Vixit annos LXIV. *Menses* VIII. *Dies* X.

IACOBVS CLAVSIVS, Antverpiensis.

Promotio an. CIↃ. IↃC. IV. *die* III. *Febr.*

PETRVS à FINE, Liropius, Brabantus, Pastor ad S. Quintinum & Canonicus secundæ fundationis in D. Petri, Professorque S. Theol. Ordinarius, admissus ad Conc. Vnivers. ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. LXXVII. ult. Febr.

FRANCISCVS DOMPSIVS, Insulensis, Ord. Prædicat.

Promotio an. ejusdem, die ... Octob.

PETRVS DE RVT, Insulensis, Ord. Prædicatorum.

GEORGIVS

Georgius Maigretius, Ord. Eremit. S. Augustini, Bullonij natus, & ... ibidem filius primogenitus. Agebat tum Priorem ... decim continuis annis Leodiense Cœnobium re- ... ut vocant, Provincialis, & quartùm nomine ac vice ... Comitijs provincialibus præsedit. Moritur an. cIↃ. ... Maij. Scripsit *Martyrographiam Augustinianam*, plu- ... ferè idiomate, quæ in Biblioth. Belgica recenseo.

... de Revx, Atrebatensis, Ord. Prædicat. Prior In- ... s Conventui præfuit, electusque anno cIↃ. IↃC. x. ... dinis celebratis Bruxellæ totius Belgij Provincialis, ... anno nondum expleto, desijt esse in humanis.

... de Rovcovrt, natus Henniaci, vulgò *Hennin Lietard*, ... aco lapidem, Atrebati Religionem S. Dominici pro- ... ice illius Conventus Priorem egit, ac Lovanij apud ... iam & Theologiam docuit. Obijt peste an. cIↃ.IↃC.

Promo... Aprilis.

CIↃ. IↃC. V. *die* XIII. *Sept.*

Gviliel... Mercerus, vulgò *Merchier*, natus Athi Hannoniæ ... v. Kal. Febr. litterisque politioribus ibi- ... Græcis, Lovanij Philosophos inter an. cIↃ. IↃ. ... obtinuit, Philosophiamque in Pædagogijs Porci & ... hic primarius, plures annos professus est, ad- ... ex Facult. Art. an. cIↃ.IↃc. die XIV. Iunij. ... primò in Nob. Abbatia S. Gertrudis annis octo, ... Regius in Scholis publicis totos XXVIII. annos præle- ... Prælectionum suarum, laudatum atque utile ... summæ D. Thomæ à Quæst. LX. *De Sacramentis, Irregu-* ... *Purgatorio & Extremo Iudicio*. Fuit & Decanus ... Indulgentijs, collegiatæ D. Petri, & Collegij Adriani VI. Præses, mori- ... an. cIↃ.IↃC. XXXIX. ætatis LXVII. die VI. Augusti. conditus ... templi. plura de eo vide in Biblioth. Belgica.

... Dvs Du Bay, Athensis, *Iacobi* è fratre nepos, Canonicus ad ... & S. Theol. Professor Ordinarius, ad Conc. Univers. ... ex Facult. Art. cIↃ. IↃC. III. ult. Febr. Vivere desit an. ... XXXIII. XII. Nonas Decemb. annos LVII. natus, primus ... benefactor Collegij Bayani, à patruo *Iacobo* fundati.

Promotio

Promotio an. ejusdem, die XXVI

CLAVDIUS DU RAPOY, Nivellensis, Ord. Præc. Conventus Leodiensis. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXVI. æ die XVIII. Septemb. Leodij, dum illius sui cœnobij Priorem.

ANDREAS GAVDANUS, Insulensis, professus & Pri

Promotio an. CIↃ. IↃC. VII.

IOANNES WIGGERS, Diestemiensis, natus an. CIↃ. I XXVII. Decemb. S. Ioanni Evangelistæ sacro, Lovanij inte phiæ candidatos an. CIↃ. IↃ. XC. Collegij sui primus, t promotionis quartus, quinquennio exinde studijs Theol penso, docuit Philosophiam in Pædagogio Lilij, Theologia na Leodij; reversusque S. Theol. Prof. Regius & Can S. Petrum, absoluto ibidem cursu Studij ac stadij Theolog ad calamum antea dictaverat, limatiora absolutioraqu de subijcere prælo cœpit: ut in primis in Primam Secundæ mæ: in Secundam Secundæ à Quæst. I. usque ad Quæst. XLI. D tibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, à Quæst. XLVII. De Iure tia, ceterisque Virtutibus Cardinalibus, cum suis item annexis. In T primæ partis usque ad Quæst. XXVI. De Verbo Incarnato: quibus te reliqua accesserunt. Moritur autem an. CIↃ. IↃC. XXXIX. LXVII. IV. Kal. Aprilis. Vide Biblioth. Belgicam.

HENRICUS RAMPEN, Huensis, Eburo. Docuit hic in Lilienf dagogio Linguam Græcam, Philosophiamque; in Parcensi Cœn Theologiam Scholasticam, & per decennium in Scholis publicis cram Scripturam explanavit, cùm Ex, D. Iacobus Ianssonius, ætate vis, corporisque molestijs fractus, ei vices prælegendi demandal quæ omnia postea prælo adornavit, & publici juris fecit. Vitâ defu gitur an. CIↃ. IↃC. XLI. IV. Non. Martij, conditus ad D. Petrum Sacello S. Caroli Borromæi.

Promotio an. ejusdem die ...

THOMAS DE TORRES, natione Hispanus, patriâ Madritensis, Religionem S. Dominici in patria professus est. Scientijs cùm Philosophicis tum Theologicis in celeberrimis sui Ordinis Collegijs Complutensi & Vallisoletano plenè imbutus, easdem ipse summa cum laude

laude aliis tradere & explicare vixdum cœperat, quando mandato Eminentiss. Card. … P. F. Hieronymi Xavierre, tum Ordinis M. Genera… titur, ut in Studio Lovaniensi Regentis primarij … r. Lovanium ubi venit, mox gradatim, secundùm … emiæ, Baccalaureatus, Licentiæ & Magisterij hono… gnitus fuit, & non ita multò pòst ad Collegium stri… ltatis tamquam Legens & Regens adsumptus, stipen… ra ordinem à Sereniss. Principe Alberto, Archiduce … ratus: docuitque annos ipsos XIII. magno audito… rum concursu … ubtiliores totius Theologiæ Scholasticæ partes est … ir ob vitæ integritatem omnibus, summis, imis ex … de Universitate optimè meritus, quam in ardius & … otijs contra suos æmulos non semel & sedulò juvit. In … sus ad cathedram Episcopalem Paragujensem in Indiis occidentali … promotus fuit, & ex illa translatus ad Tecumanensem.

… IS FABRI, ex eodem Ord. Prædicat. Conventus Lovan… docuit Lovanij apud suos Theologiam, bisque Prior … marensem, in quo & diem clausit extremum.

CIↃ. IↃC. IX. die XVII. Nov.

… LANTIUS, Alostanus, tunc Regens Pædagogij … ad Conc. Univers. admissus ex Facult. Art. an. CIↃ. IↃC. … obijt an. CIↃ. IↃC. X. VIII. Idus Decembris.

… RAMAYA, Carmelita Coloniensis.

CIↃ. IↃC. XII. die XXV. Sept.

… SCHINCKELIUS, Lovaniensis, an. CIↃ. IↃ. XCVII. se… Scholis Artium, Philosophiam in Pædagogio Porci annos … docuit, receptus ad Conc. Univers. ex Facult. Art. an. CIↃ. IↃC. … XIV. Octob. Hinc S. Theol. Professor Ordinarius an. CIↃ. IↃC. … Kal. Octob. in Canonicatu & præbenda novæ fundationis … Samueli Loyaerts. Obijt an. D. CIↃ. IↃC. XLVI. ætatis LXV. … Martij, conditur apud Prædicat. in Choro templi.

… ISTIANUS BEUSECUM, Amorsfortius, Canonicus in D. Pe… techesios Prof. Regius. Moritur an. CIↃ. IↃC. XLIV. prid. Id. … riptâ hærede universali B. M. Virgine Dei-parâ, pro extru… vi Sacelli, in vico vulgò *Flamingh-strata*.

Promotio an. CIↃ.IↃC. XVI. *die*

Gvilielmvs ab Angelis, Silvæ-ducensis, ad. Vniverſ. an. CIↃ.IↃC.XX.XV. Kal. Febr. *Primò* in C Philoſophiam, inde in ſuburbana Parcenſi Abbatia, à Lovanienſi S. Theologiam profeſſus fuit, ac demùm XLVIII. Eccleſiæ Ruræmundenſis nominatus Epiſco, confirmatus à Sede Apoſtolica moritur anno D. CIↃ. I: Non. Febr. laudatus pro funere ab Ex. V. *Antonio Dave*, Scripſit adverſus Miniſtros, qui in civitatem Silvæducen ab Ordinibus Fœderatis captam, irrepſerant, idiomat

Martinvs Deckerivs, Noviomagus, ad S. Qui rochus. Obijt an. CIↃ. IↃC. XVIII.

*Promotio an.*CIↃ.IↃC.XVII.*die* XXIV.

II. *Quòd non acceptet aliquem graduatum in quacumque Vniversitat in ea vel alia tanto tempore studuerit, quantum in hac Vniversitate pro ade consimilis gradus de rigore requiritur; idq́; propter promotos per saltum.*

III. *Quòd non acceptet aliquem graduatum in quacumque Vniversitate ad minùs per annum studuerit in eadem Vniversitate; idq́; propter discurre*

Cæterùm Professores Ordinarij ijdemq́ue Legentes & Rege Facult. I. V. hactenus S.P.Q. Lovaniensis suffragijs eligi atque ac mi ad hoc munus solent; ideo fortassis, quia eidem Magistratui prima Academiæ institutione incumberet, unà cum ipso Duce B bantiæ, *Magistris & Doctoribus legentibus de salario competenti, vel aliàs beneficijs Ecclesiasticis., providere*, ut in Bulla Erectionis legitur. Vn primis Professoribus salarium conventum persolvi ac numerari ex bis ærario solet: eodemque Magistratu procurante, Decretorum Pr fessor Ordinarius, qui Dominicis Festisq́ue diebus legere consuevi an. CIↃ. CCCC. XLIII. Canonicatum ac Præbendam in D. Petri obt tinuit, cùm EVGENIVS IV. Pont. M. similes præbendas tres Pro fessionibus Academicis deputasset.

Eodem anno III. Kal. Maij RASO DE GRAVIA, Heverleæ a Malaviæ Toparcha, Consiliarius & Camerarius hæreditarius Duci Brabantiæ, Capellam SS. Trinitatis seu jus patronatus duorum Al tarium, Canonicè unitorum, in vico Overloënsi, juxta Lovanium, dedit, cessit, transtulit in Burgimagistros, Scabinos, cæterosq́ue *Re* ctores opidi Lovaniensis, cum potestate *dicta duo Altaria, seu dictam Capellam, conferendi, & ad ea vel eam aliquem idoneum Doctorem, Licentia tum, Baccalaureum, in una quattuor Facultatum, videlicet S. Theologia, Iuris Canonici, civilis, vel Medicina, aut Magistrum in Artibus præsentandi &c.* Ac Rectore prædictæ Capellæ D. *Guilielmo* Oliverio an. CIↃ. CCCC. LXXI. die XVII. Maij, jus omne suum dimittente ac resignante, idem beneficium ctum, ut præmittitur, ipse Magistratus Lovaniensis ad usum & commo incorporavit sive univit Facultatibus I. V. Et inven io ad illud ... præsen...

præsentatum Vulmarum Bernaerts, I. V. L. Legentem Ordinarium in dictis Facultatibus, eâ conditione, ut, præter onera ei incumbentia, institueret singulis hebdomadibus publicam Disputationem aut extraordinariam aliquam Lectionem, prout è re Scholarium fore videretur.

Cùm verò postea iidem Doctores ordinariè legentes conquererentur atque instarent apud PHILIPPUM Ducem, de eo, quòd stipendia ac salaria, sibi ab opido Lovaniensi debita & præstari solita, à multis retrò annis non exsolverentur; adeò ut ipsius Principis Commissarij onus solvendi hujusmodi stipendia reijcerent in ipsam Vniversitatem, nisi hæc opido in suis ferendis oneribus succurrere vellet, prout de eo fidem faciunt Acta anni CIƆ. CCCC. XCVI. die XXII. Decemb. statuit atque ordinavit idem Princeps, ut deinceps cuilibet Doctorum ac Professorum hebdomadatim ex assisijs sive vectigalibus macelli Lovaniensis, Principi debitis, deque emolumentis inde provenientibus (quæ iisdem Doctoribus eo nomine in manus tradita esse voluit) per Quæstores suos solutio stipendiorum fieret, non obstantibus alijs quibuscumque assignationibus in contrarium, super præfatum macellum factis aut faciendis: datis ac signatis in eam rem litteris Bruxellæ anno Dom. CIƆ. CCCC. XCIX. die XIX. Septembris.

Nec est hîc silentio prætereunda insignis munificentia & liberalitas in Vniversitatem, & præsertim Facultates I. V. ac Medicinæ, Reverendi admodum P. & D. FRANCISCI D'HELFAULT, ad D. Petri in Monte Blandinio juxta Gandavum Abbatis, qui anno CIƆ. IƆ. LVII. donavit & cessit Vniversitati, ad usum Professorum Academicorum, & nominatim in Facultatibus I. V. reditum annuum mille florenorum, ex majori summa, quam ab ejus prædecessore CAROLUS V. gloriosæ memoriæ Imp. & Belgarum Princeps, mutuo acceperat, super Domanijs Regiæ Majestatis in suo Brabantiæ Ducatu hypothecatum, idque agente potissimùm & *procurante Viglio ab Ayta Zuichemo*, Concilij sanctioris Præside. *Et in gratiarum actionem* Vniversitas dicto Abbati, ejusque successo[illegible]ibus, concessit primam sessionem in publicis & solemnibus Actibus post Rectorem, Cancellarium, Conservatorem & Episcopos; atque à morte ejusdem Abbatis placuit quotannis illius memoriam recoli in commemoratione Benefactorum Vniversitatis. Obijt autem an. CIƆ. IƆ. LXVII. ipso Natali Virginis Deiparæ.

Quia verò Magistratui Lovaniensi non tantùm in Iure utroque, sed & *in Theologia* & Medicina, quarumdam Lectionum competit collatio, *statuerunt* & ordinarunt Sereniss. Principes ALBERTUS & ISABELLA

ISABELLA an. CIↃ. IↃC. XVII. ut idem Magistratus, *omni favo* *vato affectu seclusis, ad dictas Lectiones maximè idoneos aptosq; promov* *tam personis quàm schola & Reipubl. benè providendo; & ut num* *aliquam Lectionem conferendam procedat, nisi priùs* (quod & *ipsi* ol rent) *petito & habito de qualitatibus promovendorum iudicio eius Fa* *ad cuius Lectionem sunt promovendi.* Quod ipsum, Facultate S. instante, PHILIPPVS IV. Rex Catholicus in suo sanctiori Co locum habere declaravit quoad Lectiones in qualibet Facultate augmentum stipendij illæ habeant, sive non: nec posse eligi aut mi personam aliquam ad hujusmodi munus, quam eadem Facult dicaverit ad id minùs idoneam. Et sanè tales in Magistros studi Professoresque eligendos esse, qui sint apti ad docendum, & exce primùm moribus, deinde doctrinâ, rescripserunt quoque Theod Valent. AA. in *l. unica* C. *De Profess.* *Constant.* & Iulianus *Imp.* C. *De Profess. & Med. Iubeo*, inquit, *quisquis docere vult, non rep* *nec temerè prosiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus decretum C* *alium mereatur, optimorum conspirante consensu.*

Sed & Vniversitas ipsa ab ipsa sui origine adlaboravit semper, qu tum quidem in se fuit, ut, quandocumque Lectionem aliquam O dinariam vacare contingeret, ei de viro probato, maximeque idon & non probando, provideretur: atque eum in finem etiam ex pa ipsius opidi aliquando interpellata & requisita fuit, ut cooperari ve let circa electionem personæ alicujus idoneæ ad Lectionem, nomin tim in Facultate S. Theol. anno CIↃ. CCCC. LIII. per mortem *Andr de Capella* vacantem. Imò aliter factam provisionem Vniversitas no semel improbavit & suspectam habuit; & nominatim illam, quan Magistratus Lovaniensis anno CIↃ. CCCC. LXXX. fecit *Simoni de la Vall* de Lectione matutinali & principali in Iure Canonico, & iterum eidem *Simoni* an. CCCC. LXXXIV. de simili Lectione in Iure civili: *Vni*versitate contendente cognitionem alicujus præsentandi ad Lectionem ordinariam spectare debere ad Dominos de Vniversitate; Magi*stratu* verò è contrà, provisionem hujusmodi ad se pertinere, seque pluribus etiam tunc vicibus, & quidem magnis suis sumptibus atque expen*sis*, providisse, Vniversitatemque provisionibus ejusmodi acquievisse, qua de re latiùs infrà, ubi de eodem *Simone de la Valle* agendum erit. Sic & cùm anno CIↃ. IↃ. LXXXIX. die XIV. Aprilis *Andreas Kemmerius* popularium suorum suffragijs electus esset Pandectarum Professor, *Petro Gu-delino* viro consummatissimæ doctrinæ postposito, cui vota saniora Patriciorum suffragabantur, ægrè id habuit Vniversitatem, nimirum quia

quia suffragia non ponderentur, sed numerentur, & qui
non tam recto judicio moveri, quàm favoribus flecti so
tiâque provisionali in favorem dicti D. Kemmerij in Conc
tiæ latâ, visa eadem admodum præjudicialis non solùm
bus I. V. & Universitati, sed & toti Reipubl. Cui tamen
acquievit, factâ à Magistratu D. Gudelino spe certissimâ primù
ræ Lectionis prout & paulò pòst eidem provisum fuit de simi
ne an. CIↃ. IↃ. xc. die XXVII. Iulij. Motâque nuper lite in eoc
bantiæ Concilio inter Universitatem & opidum Lovaniense sup
visione facta Hugoni Brady, Hiberno, tunc I. V. L. non habito
Collegij Doctorum I. V. itemque inter Procuratorem Genera
idem opidum super jure nominandi & præsentandi ad certos Ca
catus & præbendas Lectionibus Academicis deputatas & incorpor
num illud solis Consulibus sive Burgimagistris, an verò toti Magi
tui competeret, dicta Curia Brab. posteriorē hanc litem decidendo,
licet jus illud, juxta Bullam Eugenianam, solis competere Consulib
priorem indecisam reliquit; sic satis insinuando, electionem seu nom
nationem aliter factam, non concurrentibus in personam electi suffra
gijs Consulum, fuisse nullam: prout & dictus D. Brady postmodum
præhabito judicio Collegij Doctorum I. V. in vim ejusmodi senten-
tiæ, iteratò à solis Consulibus (qui tum erant Fridericus van Dilbeeck,
Dom. de Attenhoven, & Ioannes Meys) nominatus & præsentatus fuit.
Quin & idem opidum ut admittendi & constituendi, ita & dimit-
tendi seu destituendi Professores jus sibi vindicare solet. Ita factum in
Facultate Medica anno CIↃ. IↃ. XLIII. quando jussi sunt dimittere
Lectionem suam ordinariam Arnoldus Noot, Hallensis, & Leonardus
...aers, Lovaniensis, qua de re infrà latiùs. Ita tentatum in Facul-
tatibus I. V. quoad personam præclarissimi Legum Doct. Ioannis de
Gronsselt, quem idem opidum, postquam xxx. annis, & quod excurrit,
Lectione ordinariâ, tum pomeridianâ, tum etiam antemeridianâ ca-
...principali, in Iure civili laudabiliter functus fuisset, voluit dimit-
...& privare istâ suâ Lectione, eo prætextu, quòd conventio inita
...dictum D. de Gronsselt & Magistratum ejusdem opidi brevi ex-
...tura esset, quodque alium evocassent, Raymundum scil. de Marliano,
...hujusmodi Lectionem occupandam; porrecto etiam ad eum finem
...Illustriss. D. Duci, in suo magno Concilio, libello supplice, quem is
...in litteris clausis Rectori & Universitati communicavit. Valde
...em displicuit conatus iste toti Universitati, maximè attento, quòd
...opidum (quamvis aliàs illi competeret jus statuendi & ordinandi

circa

circa provisionem Doctorum & Magistrorum adsumendorum curas, vel etiam dimittendorum) nec Vniversitas haberet caussam querelæ de persona dicti D. *de Gronsselt*, aut non benè munere in Lectionibus aut alijs Actibus habendis & obeundis: que placuit Vniversitati, ex unanimi voto quinque Facultatum sistere & succurrere in jure suo. *Ex Actis Vnivers. ad an. 1473. 6 Martij, 9. Apr. & 9. Maij.*

Porrò profitendi ac docendi ab antiquo ordo hic fuit. Ordi ac Primarius Canonum Legens ac Regens exponebat & præle *Decretales Epistolas Gregorij* IX. idque horis matutinis à VII. ad. I

Ordinarius ac Primarius Legum *Digestum Vetus*, vel *Codicem Ius. neum*, ijsdem horis.

Ordinarius Canonum *Decretales Epistolas Bonifacij* VIII. item *Clementinas* atque *Extravagantes*, horâ post meridiem secundâ.

Ordinarius Decretorum *Decretum Gratiani*, Dominicis ac Fe ceterisque feriatis Scholæ diebus, horâ octavâ.

Ordinarius Legum horis pomeridianis *Digestum*, ut vocant, *In tiatum* ac *Novum* prælegebat, horâ secundâ.

Ordinarius in Iure Civili horis matutinis *Institutiones Imperia* explanabat, idque cum Apparatu, ut loquuntur, horâ decimâ.

Nuperâ verò Visitatione præscriptus fuit ordo talis. Et primò qu dem, cùm in Iure Canonico bini essent Professores Decreti, Ordin rius unus & alter Regius, qui solus sufficeret huic Professioni, ordina tum fuit, ut Ordinarius doceat deinceps *Iuris Canonici Institutiones*, sin gulis annis absolvendas: ut verò Regius Decreta exactiùs prælegat.

Quòd ad *Decretales* attinet *Epistolas*, sancitum fuit, ut duo Canonum Professores inter se partiantur Ius illud in quinque partes, pro numero quinque librorum, & cursu absoluto (quod est biennium cum trimestri spatio) mutent Prælectionum vices, nempe ut Primarius tres priores libros explicandos suscipiat, horis matutinis, à medio VIII. ad IX. alter verò Ordinarius reliquos duos, applicatis ubique ad libros & Titulos Decretalium Constitutionibus omnibus cùm veteris tum novi Iuris, quæ in Sexto & Clementinis continentur.

Pari modo tres Ordinarij Iuris Civilis Professores trifariam Ius illud partiri jubentur, in *Digestum Vetus, Infortiatum & Novum*; ut triennio singulas singuli, novennio verò tres partes Pandectarũ absolvant, eoq; reducant leges Cod. ac Novellas Constitutiones seu jus novissimum.

Regij Professores, ordinariè & quotidie legentes, sunt tres, à Philippo II. Rege Catholico ac Belgarum Principe anno CIↃ. IↃ. LVII. consti-

constituti. Pri[...]mus Decreti unum Gratiani prælegit, horâ de[...] Professioni de[...]putata est præbenda & Canonicatus in Ecc[...] alter Paratitla [...] Digestorum vel Codicis, sive Titulorum Exposi[...] annis absolvit, estque huic Lectioni deputata hora tertia [...]na: tertius h[...]â IX. Institutiones Iuris Civilis similiter anno [...] hi hodie alter[...]is annis materiam horasque permutare soler[...] priùs Institu[ti]ones docuit horâ IX. postea Titulos Pandect[...] Codicis exp[...]licet, horâ post meridiem tertiâ.

Professor[...]es denique Extraordinarij, qui scilicet feriarum [...] extra ordin[...]em docent, sunt quattuor; bini Canonum, qui ex D[...] libus Titul[...]um aliquem seligunt atque interpretantur: totidem [...] sive Iuris Civilis, quorum alter Institutiones Imperiales summar[...] stringit, alter ex Cod. Titulum seligit ac prælegit. Sunt hi Can[...] novi Collegij, seu novæ fundationis, auctoritate Eugenij IV. P[...] anno Dom. CIↃ. CCCC. XLIII. in Ecclesia D. Petri constituti, [...] in qualibet Facultate. Quorum omnium ordo ac series est hæc, qu[...] cum quidem indagando adsequi licuit.

I. Doctores & Professores SS. Canonum Ordinarij & Primar[...] seu horis matutinis. *Nicolaus de Prumtea* annis X. *Ludovicus de Garsiis* suc[...]cessit anno 1435. *Conradus de Mera* an. 1440. *Gulielmus Bontius* 144[...] *Ioannes de Lyzura* 1456. eoque absente *Henricus Balduini, de Zierixea*, an[...] 1459. & 1460. item *Raimundus de Marliano* an. 1461. & 1462. Succes[...]sit autem *Robertus de Lacu* an. 1465. *Arnoldus de Beka* 1481. *Ioannes* *Gousset* 1487. *Henricus Deulin de Minorivilla* 1490. *Petrus de Thenis* 1496. *Gabriel de Mera* 1523. *Dominicus Cakaert* 1529. *Vulmarus Bernaerts* 1548. *Ioannes Vuamesius* 1569. *Gerardus Caverson* 1590. *Nicolaus Goblet* 1595. *Cornel[...]us Silvius* 1596. *Iacobus van Haecht* 1620. *Iacobus Santvoort* 1621.

II. Doctores & Profess. Legum Ordinarij & Primarij, seu horis matu[t]inis. *Ioannes de Groesbeeck* annis XIX. *Ioannes de Groesselt* successit anno 1444. *Ioannes Papenhoven* 1473. *Stephanus de Liguana* 1477. *Io[...]annes Noyens, de Turnhout*, 1484. *Petrus l'Apostole* 1492. *Gualte[...]rus de Beka* 1502. *Ioannes Stephani, de Nivella*, 1517. *Nicolaus Heems, de* [...], 1520. *Ioannes Hazius* 1532. *Gabriel Mudaeus* 1547. *Elbertus Leo[...]nin[...]* 1560. *Philippus Zuerius* 1580. *Gerardus Corselius* 1606. *Stephanus* [...]us 1617. *Diodorus Tuldenus* 1633. *Michael vanden Perre* 1645.

III. Profess. SS. Canonum Ordinarij, horis pomeridianis. *Henricus* [...]era 1427. *Ioannes Rysen* circa an. 1439. *Gulielmus Bont* 1440. *Ioannes* [...]lphi, *de Aldenardo*, circa an. 1449. *Henricus Balduini, de Zierixea*, 1459. [...]elmus *Arnoldi, de Delfft*, circa an. 1467. *Ioannes Godefridi, de Vueme-*

V 2 linghen,

lingben, 1487. Dominicus Cakaert 1525. Hermes de Vuinghe 1530. Driutius, eod. anno, Adrianus de Gravia, I. V. L. 1531. voca dem anno ad supremum Concil. Brab. Ioannes Lobellius, 1532. Ioannis, de Enchusia, Vulmarus Bernaerts 1538. Elbertus Leoninu Ioannes Venduillius 1560. Petrus Peckius 1562. Nicolaus Goblet 158 phanus Vueyms 1595. Augustinus de Rycke 1617. Iacobus Santvoert Michael vanden Perre 1621. Carolus de Vuignacourt 1645.

IV. Profess. Legum Ordinarij, horis pomeridianis. Ioannes selt circa an. 1437. Gerlacus Bont circa an. 1445. Theodoricus Persin Ludovicus Roelants 1480. Petrus de Thenis 1486. Gualterus de Beka Ludovicus de Schore 1520. Iudocus de Vroye 1524. Petrus Amicus Ioannes Vuamesius 1556. Michael Herenbaut 1569. Philippus Zuerius Ioannes Gevaerts 1580. Andreas Kemmerius 1589. Cornelius de Paep 1 Guilielmus Masius 1627. Antonius Perezius 1628.

V. Profess. Ordinarij Decret. (hodie Institutionum Iuris C nici) diebus Dominicis, Festisque. Arnoldus de Reysenaelde, circ. 1430. Radulphus de Beringhen, circa an. 1440. Raymundus de Mar 1461. Theodoricus de Viridi-Valle 1481. Dionysius Vischaven 1501. chael Driutius 1530. Michael Herenbaut 1550. Ioannes Bievene 1561. I bus van Haecht 1597. Petrus Vermy 1601. Andreas del Vaulx 1621. Co lius de Paep, Corn. Fil. 1636. Hugo Brady, Hibernus, 1645.

VI. Profess. Ordinarij Institutionum Imperial. cum appar. hodie est, Pandectarum, horis matutinis. Henricus Brunonis de Piro 14 Henricus Retberi ab Tsterenboost 1431. Antonius Laeman circa an. 14 Nicolaus Blyen 1460. Ioannes Noyens, de Turnhout, 1482. Guiliel Pottey, Silvæduc. I. V. L. 1492. Gabriel de Mera 1493. Nicolaus Hee de Capella 1506. Ioannes Hazius 1520. Hermes de Vuinghe 1530. Gabr Mudaeus 1537. Regnerus Tegnagel 1547. Gerardus Cavertson 1565. Petr. Gudelinus 1590. Henricus Zoesius 1619. Cornelius de Paep 1627. Guilielmus Masius 1628.

VII. Professores Decretorum Regij, ordinariè & continuè do centes, Ioan. Molinaeus 1557. Ioan. Verhaghen 1572. Suffridus Petrus, Frisius I. V. L. 1586. Ludovicus Carrion 1588. Ioannes Vuiringus 1595. Andreas del Vaulx 1607. Ioannes van t'Sestich 1621. Cornelius de Paep 1636. Henricus Loyens 1637.

VIII. Profess. Regij Titulorum D. aut Cod. Petrus Peckius 1557. Gerardus Cavertson 1562. Michael Herenbaut 1565. Franciscus Goethalsius 1569. Petrus Gudelinus 1582. Ioannes Garry 1591. Diodorus Tuldenus 1620. Petrus Stockmans 1633. Henricus vanden Creeff 1644. IX. Pro-

IX. Profo[illegible] I. Regij Institutionum Imperial. Ioannes
1557. Ioannes [illegible] amus 1560 .. Idem an. 1562. Ordinum Brab.
fuit Prof. Pan[illegible]ectarum solus & unicus usque ad an. 1578. Pe[illegible]
deranus 1562. Philippus Zuerius 1566. Nicolaus van Hove, Gra[illegible]
I. V. L. 1578. Ludovicus Carrion 1586. Andreas Kemmerius 158[illegible]
phanns Vueyms 1589. Cornelius Silvius 1595. Gerardus Corselius
Henricus Zoesius 1606. Antonius Perezius 1619 Valerius Andreas 162[illegible]

X. Professores extraordinarij SS. Canonum, ijdemque Cano[illegible]
novæ fundationis, Radulphus de Beringhen, Rector Ecclesiæ in E[illegible]
Obijt CIↃ. CCCC. LIX. Henricus de Minorivilla, Ludovicus Roelan[illegible]
Petrus de Ti[illegible]enis, I. V. L. 1485. Ludovicus de Schore 1519. Dominic[illegible]
Cakaert. 1523. Hermes de VVinghe 1526. Iudocus Vroye, de Gavere, eod. an[illegible]
Ioannes Boisecquer, I. V. L. 1532. prid. Non. Febr. Severus vander Hoeven
I. V. L. 1540. IV. Kal. Iulij. Vivebat adhuc an. 1578. Adrianus
Baeckx 1607. VIII. Kal. Decemb. Adrianus de Proeß 1611. Lancelotus
van Gindertalen, Bruxellensis, I. V. L. 1620 Kalen. Iulij, pòst Deca-
nus Ecclesiæ collegiatæ in Anderlecht, Alexander van Gindertalen, Hen-
ricus Loyens 1636. Idib. Iulij, Franciscus de Ballencourt, 1639. Kal.
Decemb.

XI. Professores ejusdem juris, & Canonici novæ fundationis, Bal-
duinus Henrici, de Zierixea, Decret. Licent. 1444. Robertus de Lacu, Io-
annes Godefridi de Vuemelinghen. Obijt an. CIↃ.IↃ.XXVI. Ioannes de Myrica.
Obijt an. CIↃ. IↃ. XXVII. Ioannes Corvilan, de Insulis, I. V. L. 1527.
XIV. Kal. Octob. Ioannes Lobel, Iuris Can. Licent. 1531. V. Kal. Aug.
Vulmarus Bernaerts 1538. VI. Idus Novemb. Balthasar Bontius I. V. L.
1569. prid. Kal. Aug. Admissus ad docendum à Collegio Doct. I. V.
cū le[illegible]ge, quòd teneretur docere etiam extra ferias messium, diebus om-
nibus, quibus non legitur ordinariè, prout dies illi in Calendario
Bed[illegible]elli designantur. Fuit postea an. 1572. Canonicus & Sigillifer Sil-
væ[illegible]uc. Ioannes de Abiete I. V. L. 1570. Guilielmus vanden Velde, Bruxell.
I. V. L. 1629. X. Kal. Aug. pòst Canonicus Cameracensis: Guilielmus
ab [illegible]ldinga, Lovan. I. V. L. 1639. XIII. Kal. Iulij.

[illegible]II. Profess. extraordinarij Cod. ijdemque Canonici novæ fun-
[illegible]onis, Ioannes van Gronsselt Legum D. 1444. Ioannes de Papenhoven,
[illegible]um Licent. 1457. Stephanus de Lignana, 1477. Ioannes de Loemel,
[illegible]V. L. Obijt Antver. an. CIↃ.IↃ. XXXIII. Ei successit an. 1505.
[illegible]nnes de Nivella, LL. Licent. Syndicus opidi Lovan. Gabriel de Mera
[illegible]o. Michael Driutius 1530. XII. Kal. April. Adrianus de Gravia, Lo-
[illegible]n. 1530. XV. Kal. Iulij Ioannes Poller, I. V. L. 1532. VIII. Kal. Febr.

Petrus

Petrus Damme, de Tamisia, 1535. x. Kal. Aug. *Petrus Pin* Strafelius, agri Casletani, I. V. L. 1540. x. Kal. Febr. pòst D indeque Episcopus Ecclesiæ Tornac. *Robertus Martini, sive Mas* de Valencenis, I. V. L. 1542. v. Id. Decemb. *Ludovicus de Pory* ensis, 1545. vii. Kal. Ianuarij: *Nicolaus Dervilleers*, Montensis, iii. Kal. Aug. *Leonardus de Garbeeck*, Aëriensis, I. V. L. 15 Id. Iulij, eod. anno die 22. Decemb. à consilijs Univers. pòst nus & Canonicus Ecclesiæ collegiatæ Lensensis: *Ioannes de B* Montensis: *Matthias Ruckenbossche*, Casletanus, I. V. L. 156 Decanus Ecclesiæ metropol. Cameracensis: *Ioannes de Longa* - Hilvaribecanus, 1566. pòst Præpositus Casletanus: *Ioannes Kemn* Lovan. 1560. *Ioannes Peelmans*, Silvæduc. Obijt an. CIƆ. IƆC. x *Iacobus du Bay*, I. V. L. 1616. v. Non. Martij, *Ioannes vanden Be* Bruxell. I. V. L. 1635. xii. Kal. Decemb. *Hugo Brady*, Hiber 1639. *Martinus Bredael*, Alostanus, I. V. L. 1648.

XIII. Profess. Institutionum Iuris civilis, qui & Canonici sec dæ fundationis. *Antonius Laecman*, Legum Licent. 1444. *Gulie Arnoldi*, de Delfft, tunc Leg. L. rogatus an. 1459. ab opido accept Lectionem in Iure Canonico per mortem Radulphi de Beringh vacantem. Successit *Nicolaus Blyen*, tunc LL. Licent. an. 1460. & hac, ut puto, & in Ordinaria Institut. Professione: longoque hinc i tervallo *Hermes de Vuinghe* 1527. & huic deinceps ferè ordine, *Guber Loyden*, Silvæduc. 1537. Kalen. Martij, admissus ad docendum à Co legio Doct. I. V. ea lege, ut legeret diebus non legibilibus ordinari idque declarando textum & Glossam juridicè; non Grammaticaliter Græcè, aut alijs novis modis: *Remigius Driutius*, Casletanus, 1544 Idib. Iunij, pòst in magno Senatu Belgico Consiliarius & Episcopu Brugensis: *Christophorus Gent*, 1549. ix. Kal. Febr. *Franciscus Bollaert*, I. V. L. Secretarius & Pensionarius urbis Lovan. 1569. *Petrus de Catonble*, de Insulis, 1570. pòst Canonicus & Officialis Tornac. *Ludovicus Leunis*, Lovan. I. V. L. 1577. Nonis Martij. Obijt an. CIƆ. IƆ. LXXVIII. *Nicolaus Goubille*, I. V. L. pòst Decanus Ecclesiæ metropolitanæ Camerac. *Ludovicus Carrion*, *Ioannes Vuiringus*, Campensis, 1587. xvii. Kal. Octob. *Gabriel Huenart*, Bruxell. *Iacobus Santvoert* 1617. xi. Kal. Febr. *Michael Fortius* 1622. prid. Id. Aug. *Henricus Haulthomme* 1634 prid. Kal. Septemb.

Postremò, ut illud quoque obiter adijciam, tempus Iuri Civili addiscendo olim definitum fuit quadriennium: Iustinianus Imp. præscripsit quinquennium. Hodie verò etiam longius tempus requiri videtur,

videtur; maximè cùm juri civili ea pars, quæ est de Fe
jusque Canonico cum deinde insecutum fuerit: ut tempus
præstitutum quoad utrumque hoc jus quadriennio aut
coarctari non debeat. Certè in alijs alibi Academijs aliud
tempus, quinquennij, sexennij aut longius statuta postula
que Gomesius ad L. 2. Tauri nu. 7. Constitutionibus & sta
demiæ Salmanticensis requiri quinquennium, ut possit quis c
calaureus, & insuper aliud quinquennium, ut possit quis c
tionem faciat, ut possit creari Licentiatus: quo legat publicè
cit, circa hoc dispensari possit, hodieque generaliter dispensat
censeatur quoad omnes, sufficiatque studuisse ordinariè quinque
in utroque Iure, vel majorem partem eorum post gradum Bacc
reatus. In Academia hac nostra Lovaniensi tempus studij in utr
Iuris Facultate solet esse quinquiennium, hodie ex Visitatione a
CIↃ.IↃC.XVII. est quadriennium continuum; in Iure verò Cano
co tantùm, vel civili tantùm, triennium: & gradui Baccalaureatus
utroque vel alterutro Iure præscriptus est sesquiannus. Decurso ver
quadriennio vel triennio respectivè, non aliter aut aliàs quis ad Li
centiæ gradum admitti potest, quàm si de auditis Professorum suorum
Lectionibus docuerit, ejusque rei fidem fecerit, & ante Repetitionem
semel publicè responderit: nisi ex singulari dispensatione & ardua
caussa toti Collegio approbata aliquando aliter visum fuerit. Aliter-
que aut alibi extra Academias Belgicas, Lovaniensem vel Duacensem,
promotos noluerunt Sereniss. Principes ALBERTUS & ISABELLA ad
Palatia sua aut Concilia tamquam Advocatos admitti. Quod ipsum
& CAROLUS V. Imp. instantibus Consulib. & S. P. Q. Lovan. anno
CIↃ. IↃ.XLII. XVI. Kal. Decemb. decreverat & observari mandave-
rat in qualibet Facultate superiori, S. Theol. Iuris V. & Med. Quòd
scil. nullus, cujuscumque qualitatis aut conditionis, posset deinceps recipi vel
admitti ad exercitium alicujus status vel officij, requirentis certum gradum, aut
obtinere beneficium dignitatemve Ecclesiasticam, quæ similiter ex fundatione
vel aliàs requirat certum gradum, nisi promotus in Universitate Lovaniensi,
vel à Principi subjectâ, vel certè non nisi de expresso consensu ipsius Prin-
cipis ejusve successorum.

DOCTO-

DOCTORES ET PROFESSORE

Aliunde LOVANIVM acciti.

NIcolaus De Prumea, I. V. Doctor, nascente Lovaniensi Canonum Antecessor horis matutinis, ii publicè dixit, magno Procerum conventu, an. CIↃ. CCCC. XXV Natalem Virg. Dei-paræ.

Ioannes De Groesbeeck, ex illustri Groesbequiorun apud Eburones, Canonicus S. Servatij Traiecti ad Mosam, Doctor, & Professor horis matutinis, adfuit quoque in au natali novelli Studij. Obijt an. CIↃ. CCCC. XLV.

Henricus De Mera, vulgò vander Meeren, Herentalensi cretorum Doctor & Professor, accessit an. CIↃ. CCCC. XXVII Canonicus Leodiensis, & Lovanij in D. Petri Decanus, morit anno CIↃ. CCCC. XL. Fratrem habuit Petrum de Mera, I. V. D. & i canatu successorem, qui obijt an. CIↃ. CCCC. LVIII.

Henricus Brunonis De Piro, Legum Doctor & Prof Coloniâ accitus, venit Lovanium & Collegio adscribitur an. CCCC. XXVIII. die X. Novemb. Deseruit verò provinciam illa Lovanium an. CIↃ. CCCC. XXXII. die XVIII. Iulij, gratijs tum a ipsi Universitati, quæ & omnia per eum acta & facta in hoc Stu Lovaniensi habuit rata & grata. Scripsit ac vulgavit *Commentaria libb. IV. Institutionum Iuris Civilis: ejusdemque Quæstiones III. De e ptione redituum* vidi an. 1514. 4. Oppenheimij excusas. Interfuit Constantiensi Concilio, in cujus Actis frequens ejus mentio habetu tandemque fessus laborum & pertæsus sæculi Religionem Cartusian instituti amplexus est. Vide Theod. Petreium in Biblioth Cartusiana Petro Impens

Henricus De Montenaken memoratur à Chronici Bethleemitici lib. 5. art. 4. §. 1. his verbis: *F. Henricus de Puteo, Trudonensis, decimus octavus professus, qui Artium Magister Coloniensis* ... *Philosopho, & V. I. Do-* ... *rum* M. Henrico de Montenaken, *avunculo suo, summo*

V. I. Doctore, [illegible] & universali in omni scientia, venit ex Colonia Le[illegible]
Lectionem Iuri[illegible] ordinariam M. Henricus suscepit. Ab eodem
tur ÆGIDIV[illegible] BOVCHEROELS, Leodiensis, Artium Magister
ensis, & Canonicus ad S. Dionysium Leodij: quem scribit C[illegible]
Anglia I. V. Lauream adeptum, ibidem annos aliquot Ius C[illegible]
cum publicè docuisse. Fundatâ autem Vniversitate Lovanien[illegible]
ctionem ordinariam in Decretis à Coss. ejusdem opidi obtinuisse
lataque anno cIↄ. cccc. XXIX. Lectione in Legibus (quòd do[illegible]
esset Legum quàm Decretorum Interpres) gratijs actis, omni Pro[illegible]
fessioni valedixisse, & ad Regulares in Bethleem commigrasse: int[illegible]
fuisseque ex parte Ordinis Concilio Basileensi, ubi, inquit, ob em[illegible]
nentiam doctrinæ à Cardinalibus & alijs magni fuit habitus, & fre[illegible]
quenter Definitor in reformatione morum Ecclesiasticorum deputa-
tus. Obijt Prior Conventus B. Mariæ juxta Romerswael, in Zelan-
dia, an. cIↄ. cccc. LXV. Plura de eo idem Impens d. lib. 5. art. 6. §. 1.
2. & seqq.

IACOBVS DE HORST, Decanus ad D. Gudulam Bruxellis, Legum Doctor, eodem anno cIↄ. cccc. XXIX. accessit, solutis juribus, ut suprà; salvo, quòd non participaret de emolumentis Collegij, ijs exceptis, quæ sunt honoris, donec juxta Statutorum ordinationem publicè repetijsset.

ARNOLDVS DE REYSENAELDE, Bredanus, Decanus Ecclesiæ D. Gudulæ Bruxellis, Decretorum Doctor, supervenit an. cIↄ. cccc. XXIX. die x. Iulij, & solvit cuilibet Doctori de Collegio existenti unum florenum Bavariæ, pro Birreto, ipsique Collegio sua jura, atque ita admissus fuit ad Collegium. Fuerat antea promotus Lovanij Baccalaureus in Iure Canonico an. cIↄ. cccc. XXVII. die XXIV. Martij.

[illegible]ENRICVS RETHERI, dictus YSERENHOOFT, de Colonia, Legum [illegible]ctor, & Institutionum Prof. an. cIↄ. cccc. XXXI. die XXV. Ianua[illegible] [illegible]ecipitur ad Collegium, præmissâ de more publicâ Repetitione. [illegible]m an. cIↄ. cccc. XXXIII. VII. Kal. Aug. nominatus atque electus [illegible] ab Vniversitate ad Canonicatum & præbendam in Ecclesia S. Pe-[illegible] per mortem *Gerardi de Bruyn*, Decani & Canonici ejusdem Eccle-[illegible] eodem anno VIII. Kal. Aug. defuncti, vacantem. Interfuit & [illegible]ncilio Basileensi, unà cum *Ioanne Rodolphi de Aldenardo*, I. V. Doct. *Nicolao de Midy*, Doct. Theologo, nomine Vniversitatis.

LVDOVICVS DE GARSIIS, I. V. Doctor Bononiensis, Canoni-[illegible] [illegible]sibidem, & Clericus Cameræ Apostolicæ, an. cIↄ. cccc. XXXV. VI.

Non.

Non. Octob. matriculæ Vniverſ. inſcribitur, admiſſu præmiſsâ, Repetitionis loco, publicâ Diſputatione. ctione matutina Canonum *Nicolao Prumio*.

IOANNES SNAVEL, de Swollis, Transiſalanus, Dec Patavini, acceſſit ad Collegium an. CIↃ. CCCC. XXXIX. liter Repetitione, ſimulque in Baccalaureum Iuris Civ fuit. Hunc anno CIↃ. CCCC. XXXVI. v. Non. Octob. in I Licentiatum, Vniverſitas deputavit & elegit in Advocat Vniverſitatis, ad quem Promotor haberet recurſum.

CONRADVS DE MERA, filius *Ioannis*, dicti *van Saver* tis, & *Catharinæ vanden Biſdomme*, I. V. D. ſimiliter Miles Dominus de Woluwe S. Lamberti & de Graſen, inſcrib culæ Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. XXXIII. tunc Iuri civili da recipiturque ad Collegium an. CIↃ. CCCC. XLI die XIII Feb juribus conſuetis. Anteceſſor Canonum Primarius ſucceſſ *de Garſiis*. Fuit & Conſul urbis Bruxellenſis an. CIↃ. CCCC Carolo Duci Burgundiæ Brabantiæque à Conſilijs. Deceſſit corpuſque tranſlatum fuit Bruxellas, & depoſitum in templ nicanorum, juxta ædiculam Ven. Sacramenti, poſito ibiden ſarcophago, qui familiæ inſignia, ſtatuamque conjugis utriuſq *radi de Mera* & *Mariæ van Moſmale*, pridie repræſentare ſolet, (ho rei memoria aut veſtigium nullum apparet) cum hac inſcripti

Et pariter vixere pij, pariterq; quieſcunt,
Sit animus cœlo, ſit modò mente quies.
Miles Conradus de Mera, *in utroque peritus*
Doctor Iure, bonis artibus atque ſimul.
Inde Ducis Caroli *prudens charuſq; Senator;*
De Graſen *Dominus, de* Woluwe *atque fuit.*
Nobilis. . . . .
Obijt D. CONRADVS DE MERA, *Miles, & utriuſque Iuris Doctor, octavâ die Auguſti.*

ÆGIDIVS DE WISSEKERCKE, Legum D. inſcribitur matricu Vniverſitatis an. CIↃ. CCCC. XL. VIII. Kal. Octobris.

RADVLPHVS DE BERINGHEN, Rector Eccleſiæ parochialis Erps, Decret. D. & Profeſſor, admiſſus ad Collegium an. CIↃ. CCC XLI. VI. Id. Octob. Fuit & Canonicus Eccleſiæ collegiatæ D. Petr poſt incorporationem præbendarum Profeſſionibus Academicis an CIↃ. CCCC. XLIII. factam, ibidemque ſepultus eſt, ad Altare S. Andreæ, inſcriptumque ſarcophago: *Hic*

ADVLPHVS DE BERINC[...] Decretorum Doctor:
Hic [...]aget Magister Artium an. CIↃ. CCCC. LIX. IV. die Octo[...]
qui obiit anno Domini [...] Omnis utriusque Tit. Decretal.
Reliquit Confessionale ad cap. [...] inscriptio, sive Lecturam ad [...]
remiss. Item Reportata, ut habet [...]
Vidi opus utrumque manusc. Lovanij ad S. Martinum.

GERLACVS DE BONT, Lovaniensis, Leg. Doctor, pr[...]
Artibus an. CIↃ. CCCC. XXXV. prid. Kal. Maij, Legum Baccal. [...]
ve Ticini [...]reatus, recipitur inter Baccalaureos Lovan. an. C[...]
XLIII. VI. Non. Octob. Professorque præsentatur ad Canon[...]
& præbendam novæ fundationis an. CIↃ. CCCC. XLIV. Idib.
receptus ad Collegium Doctorum I. V. eodem anno, XIII. [...]
Septemb. Denique Legum Ordinarius horis pomeridianis an[...]
CCCC. LXXVII. in Canonicatu & Professione Theodoricum Persin[...]
Amsterodamis, successorem nactus est.

GVILIELMVS CVSTODIS, aliàs BONT, Lovaniensis, Legen[...]
Regens in Facultate Artium, Studij Parisiensis, an. CIↃ. CCCC. XXVI[...]
eodem anno die XI. Maij Legum Baccal. Pòst I.V. Doct. & Canon[...]
Professor Primarius, datur successor Conrado de Mera. Fuit & Arch[...]
diaconus Antverpiensis in Ecclesia Cameracensi, Decanus [...]
D. Petrum Lovanij, sanctissimi Domini Capellanus, & sacri Apo[...]
stolici Palatij caussarum Auditor. Obijt an. CIↃ. CCCC. LIV. sepultu[s]
ante Altare D. Andreæ sacrum. Ab ejus obitu Canonicatus & præ-
benda Altaris S. Andreæ, vigore unionis Professionibus Academicis
factæ, eodem anno XI. Kal. Aug. cessit Heimerico de Campo, in Faculta-
te Theol. Legenti & Regenti. Extat Quodlibetum illius De usuris ac re-
ditibus annuis, recitatum Lovanij an. 1450. & Lectura ad libb. II. Decre-
talium primores, MS. apud Martinianos. Habuit avunculum Ioannem
Bont I. V. Doct. quattuor Ducum Consiliarium, & primum Bra-
bantiæ Cancellarium, à Philippo Bono an. CIↃ. CCCC. XXVII. consti-
tutum, Thesaurarium item Cameracensem, & Archidiaconum Famen-
næ in Ecclesia Leodiensi, magnum Vniversitatis patronum.

ADRIANVS LOTTINI, de Haerlem, Legum Doctor, inscribitur
m[...]riculæ Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. XLVI prid. Id. Ianuarij.

IOANNES DE COEVERINGEN, de Bergis supra Zomam, recipitur
a[...] Conc. Vnivers. Legum Licent. an. CIↃ.CCCC. LIV. Doctor verò ad
Collegium Legentium & Regentium an. CIↃ.CCCC.LVI. X. Kal. Febr.
[...]lutis vino & speciebus, cæterisque juribus.

IOANNES DE LYZVRA, Decret. Doctor, eodem anno & mense
admissus

Guilielmo Bontio in Pi
admissus ad Collegium & Concilium Univers. ... Mariæ ad Gradus ap
fessione successit. Fuit Præpositus Ecclesiæ B. ... Cameræ Apostoli
Moguntinos, Cantor & Canonicus Spirensis, ac ... ut constat ex Toi
Auditor. Interfuit quoque Concilio Basileensi, ... tum Card. Ep
IV. Conciliorum. Meminit illius Æneas Silvius, ... multumq; iudicio tuo defe
320. *Notum*, inquit, *est nobis acumen ingenij tui, ... Ecclesia nostris diebus apud G*
mus. Labore tuo, nostroq; quietem consecuta est ... ante promotionem nostra
manos. Et Epist. 349. *Amavimus probitatem tuam ...* contubernalis & benefact
& nunc potißime colimus observamusq;. Fuit ... S. Augustini in Valle Mari
Monasterij Canonicorum Regularium ... an. CIↃ. CCCC. XXX
niana Lovanij, obijtque anno CIↃ. CCCC. LXXI.

IACOBUS DE RENO, promotus in Artibus an. CIↃ. CCCC. ... Doctorque præsentati
Decretorum Baccal. an. CIↃ. CCCC. XXXV. ... CIↃ. CCCC. LVIII. XI. Ka
Universitati à Facultate Iuris Canonici an. CIↃ. CCC
Martij.

RAYMUNDUS DE MARLIANO, Italus, Dolâ evocatus, an. CIↃ. CCC
LXI. VI. Kal. April. inter Academicos nomen profitetur. Idem cau
sam Lud. Borbonij, Principis & Episc. Leodiensis, adversus tumu
tuantem populum (cujus caussam Doctores Colonienses tuebantur
fortiter propugnavit, de quo vide magnum Chronicon Belgicum ad
an. Dom. 1460. Sed & priscæ Galliæ populos ac locorum nomina
C. Iulio Cæs. excerpsit, & recentioribus (quæ in usu hodie) nomi
nibus reddidit. Elatâ uxore D. Ioannâ, filiâ Dom. de S Hilario, Tra
jecti ad Mosam an. CIↃ.CCCC.LXIII. die XII. Iunij, vitam Ecclesiasticam
amplexus fuit. Sarcophargo illius in D. Petri ante Aram D. Ursulæ sa-
cram, hæc inscripta leguntur:

Nobilis, Famosus, & Egregius Vir,
D. RAYMUNDUS DE MARLIANO,
Utriusque Iuris Doctor, Cathedralium Ecclesiarum
Leodiensis & Bisontinensis Canonicus,
Universitatum Lovaniensis & Dolanæ
Facultatum Utriusque Iuris Lector Ordinarius.
Obijt CIↃ. CCCC. LXXXV. XX. *Augusti.*

Legitur in Actis Universitatis ad an. CIↃ. CCCC. XCIV. prid. Kal. Mar-
tij, *Marlianum* fundasse Bursam, ut vocant, pro Lovaniensi studioso in
Academia Patavina, præsentato tunc ad eam per Rectorem & Depu-
tatos, unà cum Decano & Capitulo ac Magistratu opidi Lovaniensis,
Ioanne de N. Medicinæ studioso. Ad eamdem an. CIↃ. IↃ. XIII. III.
Kal. Decemb. præsentatus fuit *Georgius de Zelle*, Petri, Leg. D. Iil.

IOANNES

oannes De Bouchem, Decret. Doctor, an. CIↃ. CCCC. LXII. ſfuit in teſtamento Ioannis Dom. de Wezemale Lovanij condi- Miræus Donat. Belgic. lib. I. c. 139.

Lobertus De Lacu, vulgò *Vanden Poel*, Gandenſis, I. V. D. ionicus & Pænitentiarius Silvanectenſis in Gallia, poſtea Decanus leſiæ B. Mariæ in civitate Trajectenſi ad Rhenum, an. CIↃ. CCCC. .VI. electus; venit Lovanium an. CIↃ. CCCC. LXIII. & Academiæ nen dedit eodem anno XII. Kal. Iulij, adſumptus à Magiſtratu Loienſi ad Lectionem ordinariam Canonum horis matutinis, adſi-.tis eidem ſtipendij loco quadringentis Francis, eâ conditione, quòd .ul Advocatus & Conſiliarius eſſet opidi, quodque teneretur Re- ere publicè & exhibere ſolemne epulum, ac diebus legibilibus ad as horas docere. Deceſſit an. CIↃ. CCCC. LXXXIII. die XXVI. Iunij, nditus in monaſterio Canonicorum Regularium S. Auguſtini ad Martinum, ubi veriſimile eſt verſus hoſce ſepulcrales aliquando ſſe lectos:

Robore virtutum fortis Robertus, *abundans,*
Vt lacus, ingenij fontibus irriguis:
Deq; Lacu cognomen habens, in utroque paratus
Doctor Iure, micans artibus atque ſale:
Publicus Interpres Iuris, florente ſenectâ
Raptus morte gravi, conditur hoc tumulo.
Vt virtutis erat fautor, virtutis amator,
Quiſquis ades ſupplex dic requiſcat. Amen.

nſtitutor primus fuit Collegij, quod vulgò Iuriſtarum vocant, & D. Ivoni ſacrum eſt; auctum deinde ab alijs ejuſdem ſtudij Anteceſſoribus.

Philippus Conradi, vulgò Conrault, de Poligniaco, ex Comitatu Burgundiæ, Abbas Monaſterij S. Petri in Monte Blandinio Gandavi, ordine LIII. Decret. Doctor, receptus ad Conc. Vniverſitatis an. CIↃ. CCCC. LXXIII. VII. Id. Auguſti. Obijt an. CIↃ. CCCC. XC.

Arnoldus De Lalaing, ex illuſtri Lalainiorum familia, I.V.D. Præpoſitus Eccleſiæ B. Mariæ Brugenſis, admiſſus ad Conc. Vniverſ. eodem anno III. Kal. Decemb. Obijt Lovanij an. CIↃ.CCCC.LXXXIII. XII. Kal. April. ſepultus apud Prædicatores in Choro templi.

Stephanus De Browwer, Decanus Haltrenſis, Decret. D. à Conſilijs Vniverſ. eodem anno, XVIII. Kal. Octob.

Thomas Basinus, Caleto oriundus, Magiſter Pariſienſis, receptus ad Facultatem Artium Lovanij an. CIↃ. CCCC. XXXI. prid. Kal. Ianua-

Ianuarij, ibidemque promotus Licentiatus in Iure Canonico an. CIↃ. CCCC. XXXVII. XVI. Kal. Decemb. tunc Legum Licent. deque Concilio Facultatum I.V. & Vniversitatis. Postea Lexoviornm Episcopus in Gallia, ut scribit Rob. Gaguinus lib. x. De orig. & reb. gestis Francorum, & ex eo Iac. Meierus lib. XVII. Annal. Flandriæ, ad an. CIↃ. CCCC. LXXII. in Brabantiam se recipiens, cùm Iuris peritissimus haberetur, ejusdem interpretationem in Schola Lovaniensi professus est. Homo procul dubio magnanimus, & morum *Ludovici* contemptor. In Chronicis Bethleemitici monasterij, extra Lovanium, legitur, Reverendissimum *Thomam Basinum*, Lexoviensem Episcopum, V. I. Doctorem, & maximum Theologum, unum quondam ex præcipuis *Caroli* Francorum Regis Consiliarium, qui à facie *Ludovici* Regis spontaneum agebat exilium anno CIↃ. CCCC. LXVI cum *Roberto de Lacu* Bethleemenses visitasse. Scribit & Guil. Heda, *Basinum*, Episc. & Ducem Lexoviensem in Armorica, *Caroli* VII. Gallorum Regi percarum, & idcirco *Ludovico* ejus filio infensum, exulemque primò Lovanij, deinde Treviris, demum Trajecti ad Rhenum sibi delegisse domicilium, ac postremò coactum renuntiare Ecclesiæ Lexoviensi, à Sixto Pont. fuisse translatum ad Sedem Archi-episcopalem Cæsariensem, reservato annuo censu è Lexoviensi, ac residuum dierum apud Trajectum in pace finijsse, dum à *Carolo* Ludovici fil. revocatus redire nollet, an. CIↃ. CCCC. XCI. die III. Decemb. Sepultus autem est ad S. Ioannem, in medio Chori, sub sarcophago, qui hodieque visitur, evulsâ ab iconoclastis laminâ cuprinâ. Ibidem inter geminos utrimque gradus, quibus in Chorum ascenditur, ad parietem legitur hoc Epitaphium:

Rothomago natus, à stirpe BASIN *nominatus,*
THOMAS, *Ecclesiæ qui pridem Lexoviensis*
Præsul statutus, ac depost sorte minante,
Omnia quæ versat, præclaro Cæsariensi
Præfectus titulo, cogor ab hoc tumulo.
Sarcophagum cernens, & me piâ mente recensens,
Cœli sine mora pro me Dominum precor ora.

Lectum fuit & Vltrajecti in Bibliotheca v. Cl. Gisb. Lappij à VVaveren I.C. Excerptum quoddam seu copia potiùs aliquod Capitum *Historiæ Thomæ Basini*, quibus res Vltrajectinas propiùs tangit, ut multorum motuum ocularis spectator. Præfationis initium est: *Compertum satis & conspicuum* &c. Historiæ verò: *Carolus VII. illustris Francorum Rex, quem ipsi & sæpè vidimus* &c. Meminit hujus Historiæ aliquoties Mejerus in Annalibus Flandriæ.

Theo-

HEODORICVS PERSIN, de Amsterodamis, Legum D. admissus :onc. Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LXXVI. III. Kal. Decemb. recente Magiſtratu opidi Lovanienſis, à quo & an. CIↃ. CCCC. /II. Gerlaco Bont in Canonicatu & Profeſſione Ordinaria ſuffici-

ACOBVS OVERFELT, Legum D. nomen dedit Academiæ anno CC. LXXVIII. VII. Id. Martij.

.VDOVICVS BRVNVS, Italus, diœceſis Aquenſis, I. V. D. & 'ta laureatus inſcribitur albo Academiæ an. CIↃ. CCCC. LXXVII. I. Kal. Aug. Idem CIↃ. CCCC. LXXXV. XI. Kal. Ian. petijt incorpo- Vniverſitati & ad[...]tti ad Concilium ejuſdem, poſt Collationem eum in conſpectu totius Vniverſitatis factam: per quam voluit de- rare, ſibi obſtare non debere Concluſiones, aliàs an. CIↃ. CCCC. II. XIV. Kal. Septemb. per Vniverſitatem captas, de promotis alibi Conc. Vniverſ. admittendis, vel non: verùm ne ſic quidem ad- ſſus fuit. Scripſit de Coronatione Maximiliani Regis Rom. do- im Carmen; item aliud gratulatorium ad eumdem Maximil. ſuper ius ex Germania in Belgium adventu ac felici conjugio, quod ornaci in Biblioth. Eccleſiæ Cathedralis legitur.

STEPHANVS DE LIGNANA diœceſis Vercellenſis, I. V. D. & Or- narius in Iure Civili Prof. admittitur ad Collegium Facult. I. V. Conc. Vniverſ. an. CIↃ. CCCC. LXXVII. III. Kal. Septemb. ſurrogatus ɔdem anno in Canonicatu novæ fundationis *Ioanni de Papenhoven*, eg. Doct. & Prof. Primario.

SIMON DE LA VALLE, Montisferratenſis, diœceſis Caſalenſis, . V. D. albo inſcribitur Academico an. CIↃ. CCCC. LXXX. XIII. Kal. unij. Hic eodem anno, XIV. Kal. Decemb. ad Lectionem matuti- alem & ordinariam in Facultate Iuris Canonici, *Roberto à Lacu* ci- lem renuntiante, à Magiſtratu opidi Lovanienſis præſentatus Rectori x Vniverſitati repulſam paſſus fuit, Vniverſitate excipiente adverſus erſonam proviſi, ut minùs ſufficientis ad Lectionem hujuſmodi ſu- ſtinendam, ob has potiſſimùm rationes: quia non placerent ejus mores; quòd non eſſet Canoniſta; quod, licet Legiſta, non tamen profun- dus, ſed ſuperficialis; quòd Lectio illa eſſet ſolemnis ac famoſum re- quireret Præſidentem, ad quem omnes quarumcumque linguarum homines recurſum habere poſſint; quòd denique juxta Collegij ſtatu- ta recipi non poſſet, quippe nondum anno uno promotus in Doctorem ſive Iuris Profeſſorem. Proceſſumque fuit contra eumdem uti rebel- lem & inobedientem, quòd legere adverſus ſtatuta Vniverſitatis præ- ſumpſiſſet.

sumpsisset &c. Continuante interea, tum ad requisitionem Vniversitatis, tum etiam ex ordinatione Ill.mi principis Maximiliani, Lectionem controversam Roberto à Lacu, ac præsidente Actibus Scholasticis Ioanne Noyens, de Turnhout. Cùm verò, durante hac controversiâ, idem Magistratus dicto Simoni de la Valle anno CIↃ.CCCC.LXXXIV. providisset de simili Lectione matutinali in Iure Civili, huic quoque provisioni, ut de viro probando non probato factæ, se opposuit Vniversitas, ac provisum ægrè tandem & non nisi ad probam, ut loquuntur, admisit, prout hæc omnia latiùs referuntur in Actis Vniversit. ad ann. 1480.1481.& 1484. Sed & in Actis Collegij Doct. & Prof. I. V. ad an. CIↃ.LXXXI. III. Idus. Apr. inveni notatum, eidem Simoni à dicto Collegio concessum fuisse, ut legeret Lectionem extraordinariam in Iure Civili, idque diebus festivis & non legibilibus ordinariè, & non nisi per unam horam, juxta antiquam consuetudinem Collegij, licet aliàs Doctorales Lectiones matutinales fierent per duas horas, ob notabile stipendium, quod eo nomine persolvi solet. Ipse verò de la Valle admissus demùm fuit ad Conc. Vniversit. an. CIↃ.CCCC.LXXXVI. III. Kal. Decemb. Rector an. CIↃ.CCCC.XCI.

JACOBUS DE BERTHOZ, Abbas S. Petri Hasnoniensis, Decret. Doctor, nomen Vniversitati dedit an. CIↃ.CCCC.LXXXI. V. Id. Ianuarij.

IOANNES DE FOSSATIS, Legum D. admissus ad Conc. Vniversitatis an. CIↃ.CCCC.LXXXII. die penult. Decembris.

MARTINUS DE VISSCHER, diœcesis Trajectensis, Legum D. inscribitur matriculæ Vniversit. an. CIↃ.IↃ. prid. Id. Iulij.

ÆGIDIUS L'APOSTOLE, Decret. Doctor, in Concilium Vniversit. recipitur an. CIↃ.CCCC.LXXXII. Obijt an. CIↃ.IↃ.III.

ERASMUS HEEMS, natus in Godsvelda apud Dixmudam, Iuris Doctor, Obijt Lovanij anno CIↃ.IↃ.LVIII.

DOCTO-

DOCTORES I. V.

Qui titulum illum adepti LOVANII.

romotio an. CIↃ. CCCC.XXX. V. *Non. Oct.*

Præsidente & Doctoralia insignia conferente Nic. Prumio, *Canonum Antecessore Ordinario & Primario, in Ecclesia Collegiata S. Petri.*

Ioannes De Reysen, Decretorum Doctor, creatus Licentiatus dicto jure prid. Kal. Febr. eodem anno. Hic anno CIↃ. CCCC. XL. ector Academiæ, Lovanio relicto, Heidelbergam, unde venerat, ncessit. Ejus *Lectura in* 1. 2. 3, & 4. *Decretalium* memoratur à Ioan. Volfango Freymonio in Elencho Scriptorum Iuris utriusque.

Notat verò Ioan. Chapeavillius in Gestis Episc. Leodic. primam omotionem fuisse factam an. CIↃ. CCCC. XXIX. Prid. Conversionis Pauli, *D. Ioanne à Groesbeeck*, Legum Doctore, Facultatis Ordinario, collationem faciente, ac *D. VVilhelmo ab Asca*, Præposito S. Petri ovanien. tamquam Vniversitatis Cancellario, promotionem impenente.

Promotio an. CIↃ. CCCC.XXXVI. *ult. Ian.*

Præsidente Ludovico de Garsijs, *I. V. Doct. & Canonum Prof. in Ecclesia S. Petri.*

Gvilielmvs de Vileers, Abbas S. Theodorici Rhemensis, Decret. Licentiatus an. CIↃ. CCCC. XXXVI. die XIV. Ian. & eodem mense Doctor. Fuit hic an. CIↃ. CCCC. XXXIV. quoad certas caussas Iudex subdelegatus D. Conservatoris Privil. admissus ad Conc. Vnivers. an. CIↃ. CCCC. XXXVI. III. Id. Febr.

Georgivs de Cæsarinis, (quæ est familia Baronum Romanorum) Decret. Licent. an. CIↃ. CCCC. XXXVI. die XXVIII. Ianuarij, & quarto pòst die Doctor, admissus ad Collegium & plenam emolumentorum participationem, idque gratis & sine aliquorum jurium solutione, quia promotus Lovanij. Fuit Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis & Archidiaconus Hasbaniæ, fratremque habuit, ejusdem Ecclesiæ Leod. Canonicum, *Iulianum de Cæsarinis*, in Concilio Basileensi Legatum, cujus Elogium apud Paulum Iovium legitur.

Promotio an. CIↃ. CCCC. XXXVI. V. *Id. Oct.*

Præsidente Ioanne de Groesbeeck, *Legum Prof. Ordinario, in Ecclesia S. Petri.*

IOANNES DE GRONSSELT, Legum Licent. an. CIↃ. CCCC. XXXIII. die XVII. Octob. inde Doctor, tunc Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri in Oorschoto; & Professor Primarius, successit in ea Professione *Ioanni de Groesbeeck*. Vivere desijt Lovanij, an. CIↃ. CCCC. LXIII. die IX. Iunij, in domo habitationis suæ, quæ hodie Collegij est Bayani, sepultus ad S. Michaelem, unà cum *Gertrude* uxore, è nobili familia de *Hodenpyl*. Leguntur sarcophago inscripti hi versus:

Cultor Iustitiæ, Legumq; monarcha IOANNES
DE GRONSSELT, *fama celebris, tumulo iacet isto:*
Nec Comitis caruit titulo: nam lustra ferè sex
Hunc videre vices primas retinere cathedræ
Legum, quâ fuerat annis plus octo potitus.
Iunius hunc Nonis rapuit currentibus, atque
Mille quadringentis decies septem tribus annis
Christi: cuius ovans æternâ pace fruatur
Gertrudisque *sua conjux hoc clausa locello.*

Filium reliquit patri cognominem, qui & Lovanij vixit, an. CIↃ. CCCC. LXI. prid. Kal. Martij ad Concilium Univers. receptus. Item *Gerardum*, in Legibus Baccal. studij Perusini, receptum & admissum inter Baccalaureos Studij Lovan. anno CIↃ. CCCC. LXVIII. die XXV. Apr. & Licent. eod. anno, die V. Maij. Ex eadem familia fuit & *Gerardus de Gronsselt*, Consiliarius Machliniensis, qui an. CIↃ. IↃ. XIV. die VII. Febr. desijt esse in vivis, conditus in D. Mariæ, ante Altare SS. Petri & Pauli, cum conjuge *VVendelmonda de Zyl*, an. CIↃ. IↃ. XVII. defuncta, relicto filio *Ioanne* Consiliario item Machliniensi.

Promotio an. CIↃ. CCCC. XXXIX. III. *Id. Oct.*

Præsidente Ioanne de Groesbeeck, *in Ecclesia S. Petri.*

ANTONIUS LAECMAN, Zonnius, Legum Licent. an. CIↃ. CCCC. XXXV. die XXVI. Novemb. Decret. Baccal. an. CIↃ. CCCC. XXXIX. III. Idus Iunij, eodemque anno Legum Doctor, Professorque Institutionum, ac demùm Decret. Licent. an. CIↃ. CCCC. LI. prid. Non. Febr. Obijt an. CIↃ. CCCC. LX. Sepulchrum ejus visitur in Æde sacra D. Petri ante Altare S. Andreæ, ubi inscriptionis sepulcralis nuper apparebant adhuc

..uc reliquiæ aliquot, diciturque *defensor fidei, lux Ecclesiæ, lilij splendor.*

Promotio an. CIƆ. CCCC. XLII. *prid. Non. Maij.*

Præsidentibus Ioan. de Groesbeeck & Conrado de Mera, *I. V. Doctoribus, in Scholis Theologorum.*

..OANNES RODOLPHI, aliàs FLAMINGI, de Aldenardo, Eques, ..mus Legum Baccal. Lovanij promotus anno CIƆ. CCCC. XXVII. die ..v. Febr. Decret. an. CIƆ. CCCC. XXXII. IV. Novemb. Licent. verò ..cret. an. CIƆ. CCCC. XXXV. die XXI. Febr. Legum CIƆ. CCCC. XLII. .. similiter XXI. ejusdem mensis, denique I. V. Doctor, atque eodem ..no IV. Id. Martij admissus ad Collegium, simulque ad plenam perce..onem jurium inter Doctores distribui solitorum, quia Lovanij pro..otus. *Fuit verò ipse jam inde à prima origine* Vniversitatis Legens *Regens in Facultate Artium*, Procurator sive Decanus ejusdem ..cult. an. CIƆ. CCCC. XXVIII. Fuit & Canonicus Cameracensis, atque ..fficialis Ioannis de Burgundia, ejusdem loci Episcopi, in opido ..ruxellensi, Concilioque Basileensi, nomine Vniversitatis, unà cum *..icolao de Midy*, S. Theol. Doct. interfuit.

..*romotio an.* CIƆ. CCCC. LIII. XVI. *Kal. Dec.*

Præsid. Guilielmo Bont, *I. V. D. in Ecclesia D. Petri.*

BALDVINVS HENRICI, de Zierixea, promotus in Artibus an. CIƆ. CCCC. XXXII. Decret. Baccal. CIƆ. CCCC. XXXVII. Licent. CIƆ. CCCC. ..LIV. XI. Kal. Decemb. ac demùm Doctor. Fuit Canonicus novæ ..undationis & Canonum Prof. horis pomeridianis. Cui in isto mune..re per spontaneam resignationem surrogatus est *Guilielmus Arnoldi*, de Delft, in Canonicatu verò *Robertus de Lacu.*

Promotio an. CIƆ. CCCC. LVI. *pr. Non. Nov.*

Præsid. Ioan. de Lyzura, *Decret. D. in Ecclesia D. Petri.*

LEONARDVS GRIBEVAL, Abbas XXII. Vliederbecensis, ex Reli..giosò S. Bertini, Decretorum Licent. an. CIƆ. CCCC. LVI. prid. Kal. Febr. & eodem anno Doctor. Obijt anno CIƆ. CCCC. LXXXIV. II. Kal. Decemb.

Promotio an. CI Ↄ.CCCC. LVII. XVII. Kal. Dec.

Præsidentibus Ioan. de Lyzura *Decret.* & Ioan. de Gronsselt *LL. Doctoribus, in Ecclesia S. Petri.*

GVILIELMVS ARNOLDI, cognomento TAY, Delphensis, Decret. Licent. anno CIↃ. CCCC. LI. Legum CIↃ. CCCC. LVI. ac demùm I. V. Doctor. Fuit Pastor Begghinagij, Canonicus novæ fundationis & Professor Iuris: primò quidem Civilis, deinde Canonici, mortuo *Radulpho de Beringhen* an. CIↃ. CCCC. LIX. rogatus ab opido acceptare Lectionem sic vacantem: quam & acceptavit eâ conditione, quòd, si contingeret eum eamdem dimittere, posset liberè redire ad pristinam Lecturam in Institutis. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXXVII.

Promotio an. CIↃ.CCCC. LXVI. VI Non. Oct.

Præsidente Ioanne de Gronsselt, *Legum Doct. in Ecclesia D. Petri.*

NICOLAVS BLYEN, de S. Trudone, Legum Licent. an. CIↃ. CCCC. LX. Professorque Ordinarius Institutionum Iuris Civilis, adsumitur ad Concil. Vnivers. eodem anno v. Idus Aprilis. Moritur, ut credo, an. CIↃ. CCCC. LXXXII. XV. Kal. Septemb.

Promotio an. CIↃ.CCCC. LXX. Idib. Octob.

Præsid. Roberto de Lacu I. V. & Ioan. de Gronsselt *LL. Doct. in Ecclesia D. Petri.*

RICHARDVS DE TROVCILLON, diœcesis Senonensis, I. V. Licent. an. CIↃ. CCCC. LXIII. VI. Id. Aug. Canonicus Leodiensis, necnon Reverendiss. & Illmi Principis *Ludovici Borbonij* Episc. Leod. in spiritualibus & temporalibus Vicarius Generalis, à Consilijs Vnivers. jam inde ab anno CIↃ. CCCC. L. prid. Kal. Martij.

IOANNES DE PAPENHOVEN, Legum Baccal. an. CIↃ. CCCC. L. prid. Id. Ianuarij, Licent. CIↃ. CCCC. LIV. III. Kal. Aprilis, ac decimo sexto inde anno Doctor & Professor Ordinarius horis matutinis. Fuit & Decanus ad S. Paulum Leodij, Officialis Episcopi Leodiensis, & Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Vualcuriensis. Obijt anno CIↃ. CCCC. LXXVII. III. Kal. Septemb. sepultus ad S. Michaelem,

Promotio an. CIↃ.CCCC. LXXII. prid. Non. Aug.

Præside Ioan. de Gronsselt *LL. D. in Scholis Iuris civilis.*

ROBERTVS WILSON, Anglus, I. V. Baccal. Studij Oxoniensis, Legum

n Licent. an. CIↃ. CCCC. LXXII. Nonis Iulij, acceptiſque in-
us Doctoralibus ſolemne epulum exhibuit in ædibus Præſiden-
: *Ioannis de Gronſſelt*.

Promotio an CIↃ. CCCC. LXXVII.

ENRICUS DEVLIN, de Minorivilla, Canonicus & Scholaſticus
iacenſis, Decret. Doctor, admittitur ad Conc. Vniverſitatis an.
CCCC. LXXII. die XVIII. Ianuarij Erat tum Rhetoricæ Lector
aarius in Facultate Artium: quam Profeſſionem dimiſit adſum-
an. CIↃ. CCCC. XC. VII. Kal. Iulij in Profeſſorem Canonum pri-
ium, eâ conditione, quòd teneretur diebus omnibus legibilibus
ere per duas horas, juxta Reformationem à N. Cancellario Bur-
diæ & Ioan. Carondeleto item Cancellario factam, & adſiſtere
lo in conſilijs dandis & cauſſis omnibus.

Promotio an. CIↃ. CCCC. LXXXI. *ult. Febr.*

IOANNES DE TIMO, vulgò, *Vanden Heyden*, Lovanienſis, De-
torum Licent. an. CIↃ. CCCC. LXII. IV. Non. Iunij, pòſt Doctor
Profeſſor Ordinarius, Decanus S. Petri Lovanij. Parentes habuit
nricum Vanden Male & *Cathar inam Vander Heyden*, oriundam è Ghier-
ſi vico apud Brabantos, à qua cognomen accepit; ideo credo, ùt
emor eſſet beneficij, ab avunculo ſuo majori *Petro de Thimo*, I. C. &
rum Brabanticarum Scriptore, accepti. Decanus electus fuit an. CIↃ.
CCC. LXXVI. renuntiante ob ſenium *Aegidio Vranxio*, Lovanienſi,
ſeque annis gravis eam dignitatem an. CIↃ. CCCC. XCVII. ceſſit
drıano Florentıj, poſtea Pont. Romano.

IOANNES NOYENS, aliàs NOVTS, de Turnhout, Decret. Licent.
nno CIↃ. CCCC. LXX. VI. Kal. Novemb. Legum an. CIↃ. CCCC. LXXVI.
IIII. Kal. Maij, demùm *I. V.* Doctor & Inſtitutionum Imperialium
Profeſſor Ordinarius an. CIↃ. CCCC. LXXXII. adſumptus. Idem penden-
te lite inter Vniverſitatem & opidum Lovanienſe ſuper proviſione ab
eodem opido an. CIↃ. CCCC. LXXX. factâ M. *Simoni de la Valle*, primò
quidem in Lectione matutinali & principali Iuris Canonici, deinde
an. CIↃ. CCCC. LXXXIV. in ſimili Lectione Iuris civilis, vices ſupplevit
Præſidentis in Actibus Scholaſticis: quamvis contradicerent Docto-
res Collegij I. V. dicerentque eum in Facultate Iuris Canonici Præſi-
dem eſſe non poſſe, cùm Lectionem haberet in Iure civili; nec in Iure
civili, cùm de illius Facultate non eſſet. Edidit *Caſus* breves *ad Corpus*
Iuris

Iuris civilis excusos in Germania, non addito loci aut typographi nomine. Item De dogmatibus Scriptura librum. Testamentum condidi cIↃ. cccc. xcii. die xiv. Septemb. quo & obijt, successorem in I fessione Ordinaria Institutionum nactus Guilielmum de Pottey, Sil ducensem, I. V. Licent.

Lvdovicvs Rollants, Lovaniensis, Ludovici Prætoris Lov Fil. Decret. Baccal. Parisiensis, Legum Lovan. an. cIↃ.cccc. lxxvi viii. Kal. Septemb. Iuriumque Licent. & Professor Ordinarius re pitur ad Concil. Vniversitatis an. cIↃ. cccc. lxxx. prid. Kal. Septem ac demùm in suprema Brabantiæ Curia Consiliarius & Cancellari moritur an. cIↃ. IↃ. iv.

Promotio ejusdem anni, mense Martio.

Hvgo Vanden Hove Van Zyl, Vltrajectinus, Canonicus Ecclesia Dominica, quæ est Cathedralis Vltrajecti, I. V. D. Recto tum Academiæ, à Consilijs ejusdem an. cIↃ. cccc. lxxviii. iii. Nor Novemb. Obijt an. cIↃ. cccc. lxxxv. iii. Kal. Augusti.

Arnoldvs de Wiemersche, de Aldenardo, I. V. Baccal. an cIↃ. cccc. lxxvii. die xvi. Decemb. & Licent. die xix. ejusden mensis & anni.

Ivdocvs Cloet, Bruxellensis, Cantor in D. Gudulæ Bruxellis, Decretorum Licent. an. cIↃ. cccc. lxxvii. xi. Kal. Iulij, à Consilijs Vniversitatis ab anno cIↃ. cccc. lxxiii. xi. Kal. Iunij. Vivebat adhuc Bruxellæ an. cIↃ. IↃ. xxii.

Promotio ejusdem anni, IV. Non. Iulij.

Arnoldvs de Beka, Decret. Doctor & Prof. primarius eodem anno, pòst Consiliarius Ducis in supremo Brabantiæ Senatu. In filiam ejus Guilielmam de Beka (quod nomen sonat rivum linguâ nostrate) ita aliquando cecinit Desid. Eras. Tomo 1. Oper. p. 1025.

Sum Guilielma patre Arnoldo, cognomine Beka: ita
Iuris fons gemini, non modò rivus erat.
Cui gener, Antoni, placuisti ex omnibus unus,
Isbrandum referens ore animoq; patrem. &c.

Lvdovicvs de Viridi-Valle, vulgò van Groenendael, oriundus ex Hilvari-Beca, à consilijs Vniversitatis inde ab anno cIↃ. cccc. lxvi. xi. Kal. Ianuarij, Rector an. cIↃ. cccc. lxxviii. tunc in Decretis Licentiatus, pòst Doctor & Prof. Ordinarius. Legitur de eo ad S. Petrum

n in ambitu Chori dextro ad Altare S. Sebastiani hoc Epi-
:

THEODORICO DE VIRI-VALLE,
Huius Ecclesiæ Presbytero, Canonico,
Artium & Iuris Doctori, subterposito.
Hic annis supra viginti quatuor Decreta docuit,
& quinquagenta Rhenensium florenorum annuum
subsidium binis suæ gentis Scholaribus reliquit,
moriens an. CIↃ. IↃ. I. *Augusti die* XXV.

n habuit *Ludovicum de Viridi-Valle*, in D. Petri Canonicum, I.C. :atorem seu Scribam Vniversitatis, qui anno Dom. CIↃ.IↃ. IX. Kal. Decembris decessit ex hac vita, conditus ante Altare cæ sacrum.

ɔmotio an. CIↃ.CCCC.LXXXV. IX. *Kal. Febr.*

ibus Arnoldo de Beka *Decret*, & Ioanne de Turnhout *LL. Doct. in Ecclesia D. Petri.*

ɔANNES GOVSSET, Burgundio, diœcesis Cabilonensis, Decret. nt. an. CIↃ. CCCC. LXII. Legum an. CCCC. LXXXIV. & anno enti I. V. D. ordinariè & primariè Legens in Facultate Iuris Caici. Obijt Decanus Morinorum, Nonis Maij, an. CIↃ. CCCC. XC.

ETRVS DE THENIS, Lovaniensis, I. V. D. multis annis in Faate Artium legit & rexit, admissus ad Concilium Vnivers. ex ean Facult. an. CIↃ. CCCC. LXXVII. III. Kal. Ianuarij. Idem postea : Canonicus secundæ fundationis & Canonum Professor extraordi:ius, anno CIↃ. CCCC. LXXXV. XIII. Kal. Decemb. surrogatus *Ludo*o *Roelantio*, simulque Legum Ordinarius, in locum ejusdem Roelan, ac denique SS. Canonum Ordinarius & principalis an. CIↃ. IↃ. :VI. Obijt anno CIↃ. IↃ. XXIII. IV. Eid. Decemb. conditus in Æde cra Apostolorum principi, ad Altare S. Matthiæ. Vita ejusdem exrimitur ibidem his versibus:

PETRI THENENSIS *nomine, at non patriâ,*
(Natalis illi nam locus Lovanium)
Sub hoc locello conteguntur pulveres:
Qui & Artium, Iurisq; utriusque insignia
Cum laude consecutus, ornavit Scholam
Legum Professor publicus decennio,
Annisq; his decem explicavit Canones;

Frequentes

Frequenter interim assidens Iudici.
Quin & Retornacensis, Hermeti sacra,
Gaudebat ornata hoc Decano Ecclesia.
At mortuus prodest tamen, nam perpetim
Suis alumnum Iuris opibus educat.
Hic, quisquis es, Deum precare propitium.

In Sarcophago.

Quem vidit multos tradentem Iura per annos
Nobile Gymnasium Lovaniense PETRVM,
Nemine THENENSEM (*solùm inclyta namque*
Ingeniorum altrix patria Lovanium :)
Illius effigies tam parvo expressa metallo,
Quam manus egregij reddidit artificis.
Nec superest aliud nostri, nisi pulvis & ossa,
Ad superos ubi mens ducta, vocante Deo, est.
Non artes nec opes potuerunt sistere fatum,
Sed superat Virtus, cetera victa cadunt.

HVBERTVS DE BOVCHOVT, de Trajecto, Legum D. Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ apud Trajectenses Canonicus, receptus ad Concilium Universi. an. CIↃ.CCCC. LXXXV. XIV. Kal. Martij. Obijt an. CIↃ.CCCC. XC. XI. Kal. Novembris.

Promotio an. CIↃ CCCC XCII. *Idib. Octob.*

PETRVS L'APOSTOLE, I. V. D. Hic eodem anno prid. Idus Iulij à Magistratu opidi Lovaniensis nominatus & præsentatus fuit ad certam Lecturam, sive ordinariam sive extraordinariam, sive quamcumque aliam; sufficiturque deinde *Ioanni à Turnhout* in primaria Iuris civilis Lectione: denique anno CIↃ.IↃ. III. in magni Senatus Belgici (vulgò *Grand Conseil*, primùm à Philippo Austrio, Belgarum Principe, in opido Machliniensi fundati) Consiliarium & Libellorum supplicum Magistrum adsumitur. Annoque CIↃ.IↃ. XXVIII. successorem in ea dignitate nactus *Hieronymum* Fil. vix lapso biennio, turbato mortalitatis ordine, iterum filio pater surrogatur, moriturque an. CIↃ.IↃ. XXXI. Virum hunc fuisse magni nominis, scientiæ, & consilij, Doctoratus eminentiâ & longâ Iuris publicâ prælectione insignem, scribit Franc. Titelmannus in Vita Ioan. de Myrica cap. XI. Meminit ejusdem hospitis sui & Senatoris prudentissimi Ioan. Lud. Vives in Comment.

nment. ad D. August. de Civit. Dei lib. XXI. c. 8. scribens eum s habuisse gemellos tam sibi similes, ut in ijs dignoscendis non lò extranei, sed ipsa sæpè, dum viveret, erraverit mater, sæpè ret pater, sed errore gratissimo, *Petrum* pro *Ioanne* vocando, *Ioan-* pro *Petro*.

Promotio an. CIↃ. CCCC. XCIII. III. *Idus Iunij.*

IOANNES GODEFRIDI, de Vuemelinghen, Zelandus, ex insula ytbevelandia, I. V. D. receptus ad Conc. Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. XXIV. pòst Canonum Licent. & Prof. Ordinarius horis pomeri- nis, surrogatus *Guilielmo Arnoldi*, de Delfft, an. CIↃ. CCCC. LXXXVII. il. Decemb. Epitaphium & Elogium illius legitur apud Minores ovanij, ad Chori introitum, inscriptum sarcophago, verùm litteris ænè fugientibus:

Hîc sepultus est Dominus IOANNES GODEFRIDI,
natus in Vuemelinghen,
Decanus Ecclesiæ S. Gudulæ Bruxellæ,
Conservator Privilegiorum Vniversitatis Lovaniensis,
I. V. D. In quo studio publicè multa cum laude,
& non mediocri Auditorum fructu docuit annos XXXVII.
Vir Aequitatis observantissimus, & tam liberalis,
ut nihil magis suum existimaret,
quàm quod amicis ac verè pauperibus dedisset,
iuxta dictum vetus,
HOC HABEO, QVODCVMQVE DEDI.
Obijt anno CIↃ. IↃ. XXV. *die* XII. *Octobris.*

NICOLAVS EVERARDI, è Vualachria Zelandiæ insula oriundus, I. V. D. admissus ad Conc. Vnivers. an. CIↃ. CCCC. XCI. prid. Kal. Martij, tunc Legum Licent. Fuit Officialis Henrici à Bergis, Episco- pi Cameracensis, in urbe Bruxellensi, & Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Guidonis in Anderlecht. Hinc Senator magni Concilij Belgici apud Machlinienses, deinde Præses, cùm antea annos XVIII. supremo Hol- landiæ Senatui præfuisset. De quo verissimum testimonium, licet do- mesticum & à liberis profectum, perhibetur, eum nihil umquam ad quæstum, nihil ad gloriam, nihil ad amicorum, quantumvis poten- tiam, gratium respondisse: nullius neque legis neque Interpretis verba ad

ad suam sententiam, obtinendæ caussæ studio, detorsisse: nihil eti citasse, quod non penitissimè excussisset. Sepulcrum Machliniæ ha in Æde sacra Virg. Dei — Paræ, cum hac epigraphe:

Clarissimo D. Nicolao Everardo, *Middelburgensi,*
Summi Concilij Præsidi, marito charissimo, patriq; pientissimo,
Vxor liberiq; cum lacrymis poss.
Vixit ann. LXX. *Obijt anno à salute restituta*
CIↃ. IↃ. XXXII. V. *Idus Augusti.*

Reliquit, & libros, scilicet *Topica Legalia*, ac volumen Consiliorum & liberos eruditione claros, *Petrum Hieron. Nicolai*, Canonicum Præmonstratensem, I. V. D. *Everardum Nicolai*, Frisiæ & Concilij Machliniensis, Præsidem: *Nicolaum Nicolaium Grudium*, Equitem, Regis Hispan. à Concilijs, & illustris Ord. aurei Velleris Actuarium: *Hadrianum Nicolai Marium*, Geldriæ Cancellarium: *Ioannem Secundum* Hagiensem, Poëtam, Paulo Pont. & Carolo V. à Litteris. Plura de hac fratrum quadriga in Bibliotheca nostra Belgica.

Florentius Oom de Wingharde, Hagæ-Comitanus I. V. D. in Scholis Artium an. CIↃ. CCCC. LXXXV. secundum locum obtinuit, admissus ad Conc. Vnivers. ex eadem Facultate an. CIↃ. CCCC. XCI. III. Kal. Decemb. Fuit postea Pensionarius seu Syndicus urbis Dordracenæ, ob defensum jus stapulæ, ut vocant, optimè de ea meritus. Vide Ioan. Beverovicium in Descriptione ejusdem Vrbis pag. 327. & seq. ubi multa refert de zelo *Florentij* contra Lutheranos; & p. 329. legitur *Adriani* VI. (quo & in minoribus adhuc agente, & ad Pontificatum evecto familiariter usus est) ad *Flor. Oomium* epistola xv. Febr. CIↃ. IↃ. XXII. ex Victoria, quâ significat stuporem suum super electione Papali.

Iacobus de Rheno, Decret. Doctor, Decanus Zierixeensis & Bergensis ad Zomam, Lovanij ad S. Michaelem Parochus: admissus ad Concilium Vnivers. an. CIↃ. IↃ. IV. prid. Kal. Septemb. ad Collegium Doct. I. V. CIↃ. IↃ. V. Obijt anno CIↃ. IↃ. XIX. *Id. Octob.*

Promotio an. CIↃ. CCCC. XCVIII. VII. *Id. Octob.*

Præsidibus Petro de Thenis *&* Petro l'Apostole, I. V. Doct.

Gvaltervs de Beka, ex Aerle-Beka Brabantiæ, cognomento de Leevwe, I. V. D. & Legum Antecessor horis pomeridianis designatus anno CCCC. XCVI. Iurium adhuc Prolyta: pôst Ordinarius & Primarius in eadem Facultate. Vxor illi fuit *Luitgardis*, filia Generosi viri

rosi viri *Gerardi de Barkel*. Vivere desijt Bruxellis; sepultus Lovanij apud Bogardos, post Vliederbecanos, hodie Patres Congregationis Oratorij, ubi inscriptum sarcophago: *Hîc iacet Venerabilis ac Magister* Gualterus de Beka, *Vtriusque Iuris Doctor, qui obijt anno* CIↃ. IↃ. XVII. *mensis Martij* XVII.

GABRIEL DE MERA, Bredanus, I. V. D. Professor Ordinarius stitutionum Iuris civilis an. CIↃ. CCCC. XCIII. IX. Kal. Iulij rogatur *Guilielmo de Potey*, Silvæducensi, Officiali Episc. Leodiensis pido Diestensi constituto; inde Ordinarius & Primarius Iuris Ca- ci sufficitur *Petro de Thenis* an. CIↃ. IↃ. XIX. XIV. Kal. Decemb. ejus promotione ita scribebat ad Franc. Cranceveldium, tunc opi- Reip. Brugensis Syndicum, Ioannes Lud. Vives, uti ex epistola musc. descripsi: *Hic* Petrus Thenæus *cessit Professione suâ. Ambie- lti, & in primis* Gabriel, *& Licentiati nescio qui. Erat frequens ea io apud Card. Croium, qui mihi traditus est instituendus: nam per ttati illi Senatui huius urbis cupiebant commendari. Quin, inquam tur è Brugis* Neomagius, *homo quibus moribus, dij immortales! quâ Placuit hoc dictum Cardinali: namque is, quantum mihi tunc est quanto etiam familiariùs novit. Aderat fortè* Paludanus, *cùm orandio dicerem. Hic iuvit etiam me sententiâ suâ: sed post festum, micbamus.* Gabriel *iam impetrârat à Senatu Professionem illam. ulatque hoc factum evulgatum est, auditores omnes desponderunt nimi audient, Orestem aliquem aut Athamanta? Omnia sunt t aliâ viâ non ingrederentur, si iurassent se* ταύτην Ἀκαδημίαν sepulchrum visitur in D. Petri, ante Altare S. Crucis, tat, cum hac epigraphe, fugientibus pænè litteris:

rum tegit ossa GABRIELIS
RA, eximij Vtriusque Iuris
moderante quo cathedram
c Schola floruit quaternis.
. XXIX. Martij XVIII.

STEENBERGHE, Decret. Doctor, Decanus S. Gu- *Præpositus* Rotnacensis, receptus ad Conc. Vni- C. XCVI. prid. Kal. Martij ex Facult. Artium.

. CIↃ. IↃ. III. VII. *Idus Febr.*

AVEN, *Machliniensis*, receptus ad Conc. Vni- CCI. prid. Kal. Martij, pòst Decret. Doctor & Prof.

& Prof. suffectus *Theodorico de Viridi-Valle* an. CIↃ. IↃ. I. Non. Septemb. Legitur Epitaphium hujus ad S. Petrum, in am Chori dextro, quà Curiam spectat.

DIONYSIO VISCHAVEN, *Mechliniensi,*
huius templi Presbytero, Canonico,
Artium ac Decretorum Doctori celebertimo,
qui XXVIII. *annis Decreta prælegit,*
summisq; semper laboribus
Christianam Rempubl. adiuvit.
Obiit, magno relicto sui desiderio,
anno Virginei partus CIↃ. IↃ. XXXI.
Mensis Aprilis die VII.

CORNELIVS MELDERT, Bruxellensis, similiter Decre Doctor. Fuit Decanus S. Iacobi per annos LVII. ut ibidem sepulcr lis indigetat inscriptio, ad latus Aræ Ven. Sacramenti,

CORNELIVS MELDERT,
Artium & sacrorum Canonum Doctor,
ac huius Ecclesiæ Collegiatæ Decanus,
iam inde ab anno CIↃ. CCCC. XCIX. *suæ memor sortis,*
vivus hoc sibi monumentum statuit.
Obijt an. D. CIↃ. IↃ. LVI. *Septemb.* XVIII. *die.*

NICOLAVS HEEMS, Bruxellensis, vulgò *Nicolaus de Bruxellis,* vel *Nicolaus de Capella*, an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. inter Artium Magistros secundo loco nominatur, recipiturque ad Conc. Univers. ex eadem Artium Facult. an. CIↃ IↃ. II. prid. Kal. Septemb. Inde Legum Doctor, atque Ordinarius Institutionum Prof. ab an. CIↃ. IↃ. VI. usque ad an. CIↃ. IↃ. XX. diem XXVIII. mensis Octob. quo in primaria Iuris Civilis cathedra successit *Ioanni Stephani*, Nivellensi; scripsitque *Compendium Institutionum Iuris*, editum typis Martini Alostensis, 1513. Obijt anno CIↃ. IↃ. XXXII. die XXII. Iunij, depositus in Æde sacra Augustinianorum, ubi hodieque fenestra vitrea visitur, effigiesque Nicolai, & insignia gentis.

Promotio an. CIↃ. IↃ. X. *postr. Kal. Octob.*

Præsidibus Petro de Thenis & Gualtero de Beka, I.V.D. in Scholis Theol. IOANNES NICOLAI DE PALUDE, vulgò *Vanden Broeck,* Lova-

Lovanienſis, ex opido Herentalenſi oriundus, Decretorum Doctor & S. Theol. Baccalaureus formatus, admittitur ad Conc. Vniverſ. ex Facult. Artium an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. prid. Kal. Septemb. Sepulturam habet apud Vrſulanas Virgines, ante Aram primariam:

Hic iacet ſepultus Venerabilis Vir
D. IOANNES NICOLAI DE PALUDE,
Artium & Decretorum Doctor,
qui obijt an. Chriſti CIↃ. IↃ. XXVII. *Menſis Decembris die* IV.

PETRUS ZELLE, aliàs *VVinckel*, de Herentals, I. V. Baccal. Legum Licent. an. CIↃ. CCCC. LXXXIV. VI. Kal. Novemb. inde vigeſimoquinto pòſt anno Doctor, admiſſus ad Conc. Vniverſ. anno CIↃ. CCCC. LXXXIV. XI. Kal. Ianuarij. Obijt anno CIↃ. IↃ. XXXI. pridie Kalen. Septemb. conditus ante Altare SS. Trinitatis.

FRANCISCUS DE CRANEVELT, *Hermanni* Fil. Noviomagus, ex Facult. Artium receptus ad Conc. Vniverſ. an. CIↃ. IↃ. VI. III. Kal. Iunij, Doctorque I. V. in Syndicum ſeu Penſionarium Reipublicæ Brugenſis adſumptus, demùm an. CIↃ. IↃ. XX. in ſupremum Concilium Belgicum apud Machlinienſes adſciſcitur, Equitis aurati honore & titulo inſignitus; homo (ut de eo ſcribit Ioan. Lud. Vives ad D. Auguſt. de Civit. Dei lib. XIX. c. 21.) incredibili ingenij ac judicij vi, miraque integritate vitæ, & ſuavitate morum tam jucundâ, tam leni, ut nihil umquam, etiamſi multos cum eo egiſſes annos, invenire eſſet vel aſperi vel acerbi, vel quod ulla prorſus ex parte quem offenderet & averteret. Sexagenario major Græcas litteras nec erubuit Conſilia-
:ius, nec deſperavit ſenex diſcere; ádeò ut Latina de Græcis faceret,
& ad amicos Græcè ſcriberet. Teſtantur *Procopij libri* VI. *De ædificijs*
uſtiniani Imp. Latinè redditi, quæque in Bibliotheca Belgica recen-
:o. Quibus & Hebraicas adijciebat litteras, quamvis nec adeò neceſſa-
:as, nec adeò fructuoſas homini præſertim Iuriſconſulto & conjuga-
). Moritur anno CIↃ. IↃ. LXIV. ipſo die S. Franciſci, relicto
doco Fil. Geldriæ Cancellario, ob fidem erga Regem ac Sedem
om. exule: item *Alardo*, à quo *Craneveltiorum* nobilis apud Geldros
milia hodieque Patricijs Lovanienſibus inſerta eſt. Ex filiabus *Leo-*
ra, Monaſterij Millenſis apud S. Trudonem, & *Maria*, Albarum
ominarum in urbe Lovanienſi, fuit Præfecta.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XVII. XV. Kal. Se

Præside Petro de Thenis, I. V. D.

IOANNES STEPHANI, Nivellensis, Legum Doctor. Fuit Sy
cus urbis Lovaniensis, postea Primarius Iuris Civilis Antece
Gualtero de Beka datus successor an. CIↃ. IↃ. XVII. Sepultus a
Cartusianos, ad ingressum ambitus, ubi hi versus leguntur:

Clarus IOANNES *iacet hoc sub marmore Doctor*
M. NIVELLANVS, *qui Pensionarius almi*
Lovanij, inde tenens primas in Iure cathedras
Civilis, florens etiam nunc atque integer ævi,
Morte cadit, magnus quondam, nunc pulvis & umbra.
Sed fruitur Christo pia mens; hoc denique firmum est.

Obijt anno Dom. CIↃ. IↃ. XX. Octobris die XXVII.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XX. XI. Kal. Iunij

Præsidibus Gabr. de Mera I. V. & Ioan. Stephani de Nivella LL. Doc.
PETRVS HIERON. NICOLAI, Middelburgensis, Filius Nicola
Everardi, Præsidis, natu maximus, Religiosus Præmonstratensis, et
Pastor opidi Flissingensis in Zelandia, I. V. Doctor, ad Concilium
Vnivers. recipitur eodem anno, prid. Kal. Iunij.
IVDOCVS VROYE, sive VROEDE, de Gavere, aliàs *Iudocus Latus*
Gaverius: quo præceptore atque amico in Liliensi Gymnasio scribit
usum se Hadrian. Amerotius, præfando ad Grammat. suam Græcam,
ad Conc. Vnivers. admissus ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. IX. Le-
gitur Erasmi ad eumdem Epistola v. libro XXIII. de morte *Ioannis*
Nevij, Gymnasiarchæ Liliensis, quo ille Lovanij hospite utebatur.
Fuit Canonum Prof. extraordinarius, *Hermeti de Vuinghe* an. CIↃ. IↃ.
XXVI. XVII. Kal. Nov. datus successor; Ordinarius Legum designa-
tus an. CIↃ. IↃ. XXIV. *Lud. de Schore* ad Concilium Machliniense vo-
cato. Moritur an. CIↃ. IↃ. XXXIII. IV. Idus Febr.
LVDOVICVS DE SCHORE, Lovaniensis, I. V. Doctor, successit
Petro de Thenis in Canonicatu & præbenda secundæ fundationis, an.
CIↃ. IↃ. XIX. IV. Non. Ianuarij, Legumque Ordinarius an. CIↃ. IↃ.
XX. & à Consilijs Vnivers. eodem anno, X. Kal. Febr. non ita mul-
tò pòst à Carolo V. Cæs. in Concilium Machliniense adscitus fuit, ac
demùm Conciliorum Status Sanctiorisque constitutus Præses. Vivere
desijt Antverpiæ, an. CIↃ. IↃ. XLVIII. die XXV. Februarij, relicto ex
Ioanna vander Noot (quæ marito superstes Leodij decessit anno CIↃ. IↃ.
XC. prid.

Equite, Lovanij sæpiùs Con-
ugustinianos, ubi Vitæ series

ACADE

...xt. prid. Kalen. Iunij) Erardo Fil. I.
...le, conditus Lovanij apud Eremitas
...roponitur his versibus:

Quisquis ades, qui sacra frequens ... *limina templi*
Vise ad hæc dubios per monum... *pedes.*
Summa Ludovicus Schorex ... *stirpis,*
Hac moriens condi viscera iussit ...*o.*
Hunc quia vitales urbs Lovaniensis ...*mas*
Protulit, ereptum nunc sibi mœsta ...*let.*
Sedulus ingenuas vix-dum puer imbz ...*artes,*
Ingenij rarâ dexteritate valens:
Cùm benè lustrasset sinuosa volumina ...*iu,*
Prælegit leges, Iustiniane, tuas.
Cùm ... *Doctoris adeptus hon*... *es,*
...*ceratos vix-dum Rector in urbe fuit* ...*aula,*
Nativa summus Rector in urbe Senator ...*im:*
...*sublimia hinc cœpit clarere Senator* ...
Edens ingenij dona stupenda sui. ...
...*titur idcirco Regem Legatus ad Ang*... *dedit.*
...*is Francum Caroli nomine missus ad* ... *Cæsar,*
reversus ad Hesperios accessit iber...
...*ic decus huic meritò Cæsar equestr*... *s,*
...*s incolumem post tanta pericula* ... *et.*
...*ori dignetur duxit honore viturus* ... *movit,*
Statuum fit ad alta palatia Præf...
...*iq; capit munera Concilij.*
...*n tradit ditionum Cæsar haben*...
...*unc inferior noster hic orbu ba*... *s,*
...*à recto, Proceruma; potentia* ... *d annos,*
...*ropositæ non valuisse opes.*
...*fuit magnas perpessa ruinas*
...*multis hydra coorta locis.* ... *nu!*
...*lo validos ad bella Sycamb*... *secum*
...*imens prælia capta suo.*
...*mmas rerum est moderatus*
...*deret vita soluta febri-*
...*nui pendent mortalia Parca*
dubiâ stamina Parca
...*columen, Deus optime*
...*ios fac habitare polo s*...

Scripsit

Scripsit *Schorus Consilium* amplum *super viribus matrimonij int*
cum VIII. *Anglorum Regem & Catharinam Austriacam* (quæ nu
fuerat Arturo, Henrici fratri) cùm caussa ea Rom. Pontific
canda proponeretur; editum Lovanij CIↃ. IↃ. XXXIV. typis
IOANNES DE HAZE, Torconiæ in agro Insulensi, apud I
natus, recipitur ad Conc. Vniversi. an. CIↃ. IↃ. XVII. IV. Kal. D
ex Facult. Artium, Legumque Doctor, primò Institutionum
rius, an. CIↃ. IↃ. XX. V. Kal. Novemb. pòst, cedente *Nicolao* I
Bruxella, Legum Antecessor Primarius. Obijt anno CIↃ. IↃ. XL
Kalen. Aprilis, ætatis an. LX. conditus in D. Petri, apud
S. Matthiæ. Vxor *Anna Gysbrechts* decessit an. CIↃ. IↃ. LXXIII.
Non. Aprilis. Filium reliquit *Arnoldum Hazium*, I. V. L. Curiæ
servatorialis Actuarium. Filia verò *Barbara de Haze* anno CI
XLVIII. VII. Idus Iunij nupsit *Elberto Leonino*, celebris nominis
consulto.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XXVI. XIV. *Kal. Iu*

Præsidibus Gabr. de Mera I. V. & Nicolao de Capella *LL. Do*
Scholis Theologorum. *Præsentes fuerunt in hoc Actu & Aula Docto*
Petrus l'Apostole, Franciscus de Cranevelt & Ludovicus
Schore, I. V. *Doctores & Consiliarij in Parlamento Machliniensi.*

IOANNES DE MYRICA, vulgò *Vander Heyden*, Lovaniensis, I. V.
ad Conc. Vniversi. admissus ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. XXI. pri
Kal. Martij. Hoc Rectore Academia primum sæculare Iubileum c
lebravit, ipseque publicè Oratione solemni Academiam laudavit. V
tam ejus Franc. Titelmannus per sedecim capita descripsit, Antve
typis editam; cujus etiam de eodem funebris extat Oratio. Obijt au
tem anno Dom. CIↃ. IↃ. XXVII. die XV. Septembris.

DOMINICVS CAKAERT, à Teneramonda, ex Facult. Artium ad-
missus ad Conc. Vniversi. an. CIↃ. IↃ. XXI. IV. Kal. Sept. Fit Canoni-
cus secundæ fundationis & Prof. an. CIↃ. IↃ. XXIII. Kal. Decemb.
Doctorque I. V. primò Canonum Ordinarius horis pomeridianis,
Ioanni de Vuemelinghem, deinde *Gabrieli de Mera* Ordinario & Primario
sufficitur: de quo sepulcralis inscriptio talis est:

Hic iacet sepultus M. DOMINICVS CAKAERT, à Teneramonda,
Vtriusque Iuris Doctor præstantissimus,
Vir pius ac iustus:
qui postquam sacros Canones plurimis annis primus

ACADE
primus Ordinarius i
Obijt anno CIϽ. IϽ. X
Sepultus autem apud Minores, ante
Dimpna Vanden Wyngaerde, quæ obi
Ianuarij. Notatque ex Analectis Dio
Teneræmondanæ urbis David Linda
tis Legatorum; quæ tamen in manus me

Promotio an. CIϽ. IϽ. X
Præsidibus Ioan. de Haze LL. & Domini
terfuisse hac aula Doctorali Nicolaum
l'Apostole, Franc. de Craneveli &
Doctores Lovanienses, & Consiliarios i
limia residente: qui unà cum reliquis D
ad scrutinium, ut vocant, descendentes,
de vita & moribus candidatorum. Solig
eosdem suo suffragio ad insignia Doctorali
EINERVS IOANNIS, de Enchusia,
ensis, I. V. D. ad Conc. Univers. ad
Septemb. Fuit & an. CIϽ. IϽ. XL. Iud
ullas concernentes personas extra pat
onservatoris Privil. Universitatis.
CHAEL DRIVTIVS, vulgò Drieux,
nc. Univers. ex Facult. Artium a
. Professor primò extraordinarius
rius horis pomeridianis, surrogatus
num Lectio obtigerat; denique an
endam & Professionem Decreti D
illius sic habet, ante Aram D. Ivo
Venerabilis & Eximius Iuris
. MICHAEL DRIVTIVS, ortus
territorij Casletensis, Artium
annis XXVIII. Ordinarius Decre
huius Ecclesiæ Presbyter, Canonicus
Academiæ Lovaniensis C
Spiritualis Curiæ R. Episcopi
nec non hæreticæ pravitatis
Fundator Collegij DRI

nuè prælegisset,
III. IX. Iunij.
ram summam, cui uxor adiacet
CIϽ. IϽ. LXX. die XXVIII.
Harduini in sua descriptione
scripsisse quædam De mate-
ón inciderunt hactenus.

X. Idib. Septemb.

Cakaert I. V. DD. Nota in-
verardi, Præsidem, Petrum
udovicum de Schore, I. V.
upremo Senatu Belgico Mach-
oribus & Profess. è cathedra
gati sententiam suam dixere
einde Legentes & Regentes
admiserunt.
ræpositus B. Mariæ Vual-
imptus an. CIϽ. IϽ. X. XIV.
x subdelegatus, quoad cer-
am Leodiensem vocandas,
ijt anno CIϽ. IϽ. XLIX.
asletanus, I. V. D. receptus
. CIϽ. IϽ. XXV. VI. Non.
Codicis; tum Canonum
Hermeti de Vuinghe, cui In-
CIϽ. IϽ. XXX. Kal. April.
Vischavio sufficitur. Epi-
sacram:
Consultus,
Volkerincbove,
. V. Doctor,
um Professor:
s & Decanus,
cellarius:
d. Officialis,
uisitor:
IANI:

Anno Dom. CIↃ. IↃ. XLVI. II. die Mensis Octobris obijt Venerabilis & Egregius Vir D. FRANCISCVS SONCKIVS, I. V. Doctor, Canonicus Traiectensis, Consiliarius Caes. Maiestatis in Haga-Comitis.

IOANNES LOBELLIVS, de Bolonia, Philippo Nigrio I. C. Ordinis aurei Velleris Cancellario, cognatione junctus, Decretorum Doctor, & Professor horis pomeridianis anno CIↃ. IↃ. XXXII. à Magistratu Lovaniensi nominatus. Fuit & Canonicus novae fundationis in D. Petri, eoque nomine Canonum Prof. extraordinarius. Denique è Canonico Gandavensi Ecclesiae S. Ioannis Baptistae (quae hodie est Cathedralis D. Bavoni sacra) eligitur in Decanum an. CIↃ. IↃ. XXXIX. oriturque an. CIↃ. IↃ. XLIV.

romotio an. CIↃ. IↃ. XXXV. VII. Kal. Febr.

NTONIVS DE LALAING, Bruxellensis, Protonotarius Apostol. iptus matriculae Univers. an. CIↃ. IↃ. XXVII. Kal. Novembris.

motio an. CIↃ. IↃ. XXXIX. pr. Non. Maij.

RONYMVS BLYOVL, Bruxellensis, Laurentij (viri in aula tentis, & ad Angliae Regem Legati) Fil. Canonicus ad am Lovanij, ac Decanus Bredanus, qua in dignitate an. CIↃ. decessit.

RIEL MVDAEVS, vulgò Vander Muyden, Brechtanus, ex agro iensi, natus anno Dom. quingentesimo supra millesimum, iam Lovanij in Paedagogio Lilij didicit, in Scholis Artium no CIↃ. IↃ. XXIII. Hinc Iuriutrique navatâ operâ, Hieron. ijs moribusque in Gallijs Praefectus, beneficio ejusdem su- auream adeptus est. Iurium Prolyta an. CIↃ. IↃ. XXXI. re- ost Repetitionem L. Pactum quod dotali C. De collat. plures accepisse dicitur, quàm sunt litterae in Lege. Professor In- Imperialium Ordinarius Hermeti de VVinghe surrogatur XXVI. adsumptus ad Primariam Iuris Civilis cathedram, oanni Hazio, munus Profitendi cedenti, annuente S. P. Q. onis istius auspicium fecit an. CIↃ. IↃ. XLVII. v. Kal. Apr. daeus Lovanij Iurisprudentiae purius tractandae ac do- fuit, ut tamen veterem atque à majoribus acceptam,

 licet

licet corruptam, Legum tractandarum rationem non pl
negligeretque. Quare mediam quamdam viam ingressus
perans orationem, ut Legum primùm sententiam nudè au
poneret, eamque Doctorum Interpretumque aliquot su
firmaret: refutans interim eorum opiniones, qui notâ dign
aut quod non satis faceret ad rem, attulissent; qua de re Iac
tius, I. C. Antverpiensis, gener Mudæi, præfatur ad Oper
ejusdem: quibus consentanea scribit, qui eadem Opera cu
junctis Francof. anno 1586. curavit excudi. Sunt autem ist
morte Auctoris primùm in lucem edita, Commentarij in T
gestor. *Pro Socio: De contrahenda Emptione & Venditione: De*
Empti & Venditi: De Pignoribus & Hypothecis. Quibus in Germ
serunt Commentarij in Tit. D. *De hereditatis petit.* In *Titulo*
restitutionibus in integrum; & in aliquot Tit. *Testamentarios libri*
Denique in Tit. Instit. *De Actionibus.* Pluraque apud Nob. &
V. D. *Iacobum Roelantium*, Iac. Fil. in magno Senatu Belgico
niæ Consiliarium & Libellorum supplicum Magistrum, atq
alios alibi leguntur, digna publica luce, veluti ad Tit. D. *De*
De inofficioso testam. ad Tit. Cod. *De probationib. De testib. De fid*
mentorum &c. Cæterùm de Mudæo Iac. Cujacij, Iurisconf. Pri
apud discipulum quendam suum Belgam, Biturigibus discede
hoc elogium fuit, *Ante illum talem in Belgio non habuistis, nec po*
habituri estis. Obijt anno CIↃ. IↃ. LX. die XXI. Aprilis, sepul
D. Michaëlis, ante Aram Venerab. Sacramenti. Lapidi sepulcr
scripta Fortuna alata, cum scito, NOCVIT DIFFERRE. Filium
quit *Hieronymum*, I. V. Doctorem, ac viduam superstitem *Elizabe*
Staes, quæ an. CIↃ. IↃ. LXIX. die IX. Novembris desijt esse in hu
nis.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XLVII. *pr. Kal. Sep*

REGNERVS TEGNAGEL, Arnhemiensis, Gelder, I. V. D. Gr
carum litterarum peritissimus & Poëta præstans. Cœperat paullò a
tè, eodem scilicet anno, III. Nonas Febr. auspicijs & munificentia
N. & R. admodum Dom. *Petri VVas*, Abbatis S. Gertrudis, docen
ibidem Institutiones Iuris Civilis: verùm destitit mox ab incœpto
surrogatus à S.P.Q. Lovaniensi in Ordinaria earundem Institutionum
Professione *Gabriele Mudæo*; & studiosis aliquam sui reliquit memoriam
Iuris utriusque Methodo, schematibus aliquot expressâ, Lovanij semel
iterumque, nomine auctoris suppresso, editâ. Vidi, eodem auctore, *De*
Geldro-

Geldrensium Principum seu Ducum origine & rebus gestis, usque ad Carolum Quintum Imperatorem. Item Descriptionem Vrbium præcipuarum ac locorum, libris II. manuscriptis. Obiit anno CIↃ. IↃ. LXV. V. Eid. Iunij, conditus in D. Gertrudis. Filium reliquit ex *Margareta*, filia Gregorij Bertolfij, Lovaniensis, in suprema Frisiorum Curia primi Præsidis, Gregorium avo cognominem, Cameræ Imperialis Assessorem. Vnde hodieque celebris Spiræ est *Tegnagelorum* familia.

VVLMARVS BERNAERTS, ab Eecke, Castletanus, I. V. D. Erat tum Canonum Antecessor horis pomeridianis, ac nondum vertente anno à morte *Dominici Cakaert*, horis matutinis Ordinarius & Primarius. Fuit & Canonicus secundæ fundationis, eoque nomine etiam Canonum Prof. extraordinarius, *Ioanni Lobellio* an. CIↃ. IↃ. XXXVIII. I. Eid. Novemb. surrogatus. Eius Elogium inscriptio sepulcralis ante Aram D. Ivonis repræsentat, litteris transeuntium pedibus ac vetustate attritis: item altera ad imaginem ejusdem, in hæc verba:

Clariss. ac Doctiss. Viro Domino
VVLMARO BERNAERTIO, *Eeckensi,*
Artium & I. V. Doctori,
& Primario Professori Iuris Canonici,
ab eo duos & viginti annos explicati,
huius Ecclesiæ Canonico, & Vniversitatis sextùm Rectori:
qui nemine ordinis Ecclesiastici huius regionis
Concilio Tridentino interfuit,
Heredes mœsti posuêre.
Obijt anno CIↃ. IↃ. LXX. X. *Kal. Febr. annos natus* LX.
relicto ad duorum Iuris studiosorum alimentum
reditu sexaginta aureorum.
Et benè precare.

OVICVS PORY, Aëriensis, admissus ad Conc. Vnivers. anno CIↃ. III. Kal. Decemb. inde I. V. D. Decanus ad S. Iacobum, Archidiaconus & Officialis Atrebatensis: adscitus denique n Senatum Machliniensem.

otio an. CIↃ IↃ. L. XIII. *Kal. Iunij.*

AVS DER-VILLEERS, Montensis, I. V. D. ex Facult. Ar- IↃ. IↃ. XLIII. prid. Kal. Martij ad Conc. Vnivers. adsum- : adeptum gradum Doctoralem in utroque Iure à Rev.mo Perenoto, Atrebatium Episcopo, in Curiæ suæ Iudicem sive Officia-

Officialem adsciscitur, moriturque ibidem, nondum lapso se
CIↃ. IↃ. LVIII. die XVI. Maij.

ELBERTVS LEONINVS, vernaculè *de Leeuw*, dictus Longo
cera & heroica statura, Bommelensis, I. V. D. primò Canoi
dinarius, deinde Legum Antecessor Primicerius: qua in fun
annum CIↃ. IↃ. LXXX. perstitit. De eo ferebatur vulgò Lov
dicterium, LEONINO *cantillante saltat* CVIACIVS. Scripta c
ut *Consilia, Emendationes*, sive *Observationes Iuris*, aliaque à morte
ris edita, passim teruntur manibus, de quibus in Biblioth. Belg
gunturque privatim, digna edi in lucem, *Commentaria* sive *Prae*
ejusdem ad varios Digest. & Cod. Titulos, & nominatim ad
De Iurisdictione & seqq. lib. II. Ad *Tit.* D. *De hæreditatis petit.* De
dicat. De *Publiciana in rem act.* De *Vsufructu*, De *Servitutib.* &c. Ite
Tit. Cod. De Transactionib. & aliquot seqq. lib. II. *& ad totum libr*
Cod. Quæ verò ad *lib.* IX. *Cod.* titulo *Processus Criminalis*, ex Præle
nibus *Leonini* edidit Coloniæ an. 1604. Ioannes Philip. Steinha
I. C. plerisque locis sunt mutila, malè truncata & interpolata, a
que indigna, quæ *Leonini* nomen præferant. Obijt Arnhemij anno C
IↃ. XCVIII. Geldriæ Cancellarius, in secessionibus istis Belgicis O
dinum partes secutus, relictâ viduâ *Barbarâ de Haze*, Ioan. Legu
Doctoris & Prof. Fil. quæ Bruxellam ad suos rediens annis trigin
supervixit, decessitque anno CIↃ. IↃC. XXVIII. centenariâ major. I
templo D. Eusebij hoc Epitaphium habet:

ELBERTO LEONINO I. C. *Ampliss.*
in florente quondam Academia Lovaniensi
Primario Iuris Professori,
Consiliario Status, Ducatus Geldriæ
Comitatusq; Zutphaniæ Cancellario.
Obijt an. CIↃ. IↃ. XCVIII. *die* VI. *Decembris, ætatis suæ* LXXIX.
Vixit in primo ac unico matrimonio annos LII.

CHRISTOPHORVS GHENT, Noviomagus, I. V. D. & Professor
extra ordinem, anno CIↃ. IↃ. XLIX. IX. Kal. Decemb. surrogatus *Michae-
li Driutio*. *Methodum Iuris Civilis*, *Conrado Lago* auctore, recensuit, sublatis
ijs, quæ offendere poterant, additisque Summarijs &c. Lovanij 1565.
typis Barth. Gravij. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXIX. mense Martio.

DIONYSIVS SGROOTS, Trudonensis, anno CIↃ. IↃ. XXXIX. inter
Artium Licentiatos principem locum obtinuit. Iurium Licentiatus
quia in Aurelianensi apud Gallos Academia promotus, ante Aulam
Doctoralem repetere & propugnare publicè jussus, est Legem à Priore
Collegij

Collegij adsignandam, absque Præsidente: quod & laudabiliter præstitit. Adsumptus deinde fuit in Consiliarium Machliniensem: qua in urbe ad D. Virginis lapis visitur sepulcralis, in medio Chori, quem uxori posuit.

D. DIONYSIVS SGROOTS,
Artium & Vtriusque Iuris Doctor,
Dominus temporalis de VVommerssom & VVaesberghen,
Regiæ Maiestatis Consiliarius,
religione & pietate insigni Matronæ
D. FRANCISCÆ CHARLES, *uxori carissimæ,*
defunctæ VIII. *Febr. an.* CIƆ. IƆ. LXXII.
cum summo animi dolore sculpi iubebat.

Promotio an. CIƆ. IƆ. LXII. VI. *Kal. Sept.*

IOANNES WAMESIVS, Leodiensis, primò Legum Antecessor Ordinarius, suffectus *Petro Amico*, postea Canonum Ordinarius & Primarius. In D. Petri Basilica hoc monumentum & Elogium habet, I. Lipsij stilo:

Memoriæ Sacrum.
IOANNES WAMESIVS. H. S. E.
quem breviter, Lector, nosce.
Natus est Leodici Eburonum anno CIƆ. IƆ. XXIV.
ad studia litterarum & inde Iuris transijt:
In ijs quoque famam adeptus, etiam Græcis,
Naturâ & Industriâ duce:
Et in Iure ad culmen ipsum ascendit,
Doctor renuntiatus an. CIƆ. IƆ. LIII.
publicè Professor in hac Schola an. CIƆ. IƆ. LV.
denique Primarius Antecessor an. CIƆ. IƆ. LXX.
hoc munus cum laude annos XX. *obijt.*
Primoribus gratus, vulgo venerabilis, omnibus carus,
breviter Doctrinâ, Prudentiâ, Auctoritate,
inter ævi sui primos.
Obijt diutinâ invaletudine an. CIƆ. IƆ. XC. XI. *Kal. Sextil.*
Iste vir fuit, Lector, sed fuit: tu quoque quod es, non eris.
Alius aliàs, sed omnes huc imus.
Cogita, & huic bene precare, ita posteri tibi.
Magne Deus ipsi & nobis miserere.

A morte

Officialem adsciscitur, moriturque ibidem, nondum lapso se
CIↃ. IↃ. LVIII. die XVI. Maij.

ELBERTUS LEONINUS, vernaculè *de Leeuw*, dictus Longo
cera & heroica statura, Bommelensis, I. V. D. primò Cano
dinarius, deinde Legum Antecessor Primicerius: qua in fun
annum CIↃ. IↃ. LXXX. perstitit. De eo ferebatur vulgò Lov
dicterium, LEONINO *cantillante saltat* CUIACIUS. Scripta e
ut *Consilia, Emendationes,* sive *Observationes Iuris*, aliaque à mort
ris edita, passim teruntur manibus, de quibus in Biblioth. Belg
gunturque privatim, digna edi in lucem, *Commentaria* sive *Præ*
ejusdem ad varios Digest. & Cod. Titulos, & nominatim ad
De Iurisdictione & seqq. lib. II. Ad Tit. D. *De hæreditatis petit. De*
dicat. De Publiciana in rem act. De Usufructu, De Servitutib. &c. It
Tit. Cod. De Transactionib. & aliquot seqq. lib. II. *& ad totum libr*
Cod. Quæ verò ad *lib.* IX. *Cod.* titulo *Processus Criminalis*, ex Præl
nibus *Leonini* edidit Coloniæ an. 1604. Ioannes Philip. Steinh
I. C. plerisque locis sunt mutila, malè truncata & interpolata, a
que indigna, quæ *Leonini* nomen præferant. Obijt Arnhemij anno
IↃ. XCVIII. Geldriæ Cancellarius, in secessionibus istis Belgicis
dinum partes secutus, relictâ viduâ *Barbarâ de Haze*, Ioan. Leg
Doctoris & Prof. Fil. quæ Bruxellam ad suos rediens annis trigi
supervixit, decessitque anno CIↃ. IↃC. XXVIII. centenariâ major.
templo D. Eusebij hoc Epitaphium habet:

ELBERTO LEONINO I. C. *Ampliss.*
in florente quondam Academia Lovaniensi
Primario Iuris Professori,
Consiliario Status, Ducatus Geldriæ
Comitatusq; Zutphaniæ Cancellario.
Obijt an. CIↃ. IↃ. XCVIII. *die* VI. *Decembris, ætatis suæ* LXXIX.
Vixit in primo ac unico matrimonio annos LII.

CHRISTOPHORUS GHENT, Noviomagus, I. V. D. & Professor
extra ordinem, anno CIↃ. IↃ. XLIX. IX. Kal. Decemb. surrogatus *Michae-*
li Driutio. Methodum Iuris Civilis, Conrado Lago auctore, recensuit, sublatis
ijs, quæ offendere poterant, additisque Summarijs &c. Lovanij 1565.
typis Barth. Gravij. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXIX. mense Martio.

DIONYSIUS SGROOTS, Trudonensis, anno CIↃ. IↃ. XXXIX. inter
Artium Licentiatos principem locum obtinuit. Iurium Licentiatus
quia in Aurelianensi apud Gallos Academia promotus, ante Aulam
Doctoralem repetere & propugnare publicè jussus est Legem à Priore

Collegij

Collegij adsignandam, absque Præsidente: quod & laudabiliter præfuit. Adsumptus deinde fuit in Consiliarium Machliniensem: qua in urbe ad D. Virginis lapis visitur sepulcralis, in medio Chori, quem uxori posuit.

D. DIONYSIVS SGROOTS,
Artium & Vtriusque Iuris Doctor,
Dominus temporalis de VVommerstom & VVaesberghen,
Regiæ Maiestatis Consiliarius,
D. FRANCISCÆ CHARLES, *uxori carissimæ,*
religione & pietate insigni Matronæ
defunctæ VIII. Febr. an. CIↃ. IↃ. LXXII.
cum summo animi dolore sculpi iubebat.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXII. VI. *Kal. Sept.*

IOANNES WAMESIVS, Leodiensis, primò Legum Antecessor Ordinarius, suffectus *Petro Amico*, postea Canonum Ordinarius & Primarius. In D. Petri Basilica hoc monumentum & Elogium habet, I. Lipsij stilo:

Memoriæ Sacrum.
IOANNES WAMESIVS H. S. E.
quem breviter, Lector, nosce.
Natus est Leodici Eburonum anno CIↃ. IↃ. XXIV.
ad studia litterarum & inde Iuris transijt:
In ijs quoque famam adeptus, etiam Græcis,
Naturâ & Industriâ duce:
Et in Iure ad culmen ipsum ascendit,
Doctor renuntiatus an. CIↃ. IↃ. LIII.
publicè Professor in hac Schola an. CIↃ. IↃ. LV.
denique Primarius Antecessor an. CIↃ. IↃ. LXX.
hoc munus cum laude annos XX. obijt.
Primoribus gratus, vulgo venerabilis, omnibus carus,
breviter Doctrinâ, Prudentiâ, Auctoritate,
inter avi sui primos.
Obijt diutinâ invaletudine an. CIↃ. IↃ. XC. XI. *Kal. Sextil.*
Iste vir fuit, Lector, sed fuit: tu quoque quod es, non eris.
Alius aliàs, sed omnes huc imus.
Cogita, & huic bene precare, ita posteri tibi.
Magne Deus ipsi & nobis miserere.

A morte

A morte auctoris *Tract. de Appellationibus ad Tit.* XXVIII. ... *cretal.* item *Responsa* de Iure cùm Pontificio tum Civili, p... fecit D. *Steph. VVeymsius*, Antecessor Legum Primarius. Pla... ille, & dum viveret, Belgij pænè totius velut oraculum, & t... annis extinctum etiamnum Responsa loquuntur. Ingenium ... ptum, judicium acre, labor indefessus, quibus, quicquid ei ... omnium nationum & ordinum clientibus proponebatur, Co... Responsis suis ad veritatem juris facilè & perspicuè explic... quibus universim hoc *Antonij Fabri*, Viri Ampliss. & præ... Iurisconf. elogium est, *Solitum se in tanta Quæstionum vari... perpetuamq; Responsorum subtilitatem suspicere; exuberantem Iu... id est rerum omnium, divinarum ac humanarum, peritiam admir... sermonis elegantia ac facilitate coniunctam, quam nescio (inquit ... sulentibus, quos ætas nostra & avorum tulit, an (uno except... quisquam fuerit assecutus.* Cetera de Vuamesio in Bibliothe... scripsi fusiùs.

IOACHIMVS HOPPERVS, Frisius, Eques & Dalemij ... Lovanij mox ab adepto Doctoræ gradu à S. P. Q. Lovanie... cus Pandectarum Professor constitutus fuit, ac docendi ... *Hopperus* fecit anno CIↃ. IↃ. LIV. IV. Idus Ianuarij, horâ post ... quartâ, prælegens Paratitla, ut vocant, Digestorum methodo ... facili, triennio aut ad summum quadriennio absolvenda. Ve... nondum elapso Professionem deseruit, vocatus Machliniam ... toriam dignitatem: indeque an. CIↃ. IↃ. LXI. in Secretius Re... cilium cooptatus fuit, ac demùm rerum Status Germaniæ ... & mag... apud Philippum II. Regem Catholicum Consiliarius & ... distincta ... Præfectus. Dedit *Artem Iuris* novam, libris tribus distinctam: *Iurisprudent...* *Dispositionem in libros Pandectarum: Isagogen in veram Iurisprudentiam* ... que Iuri illustrando, quæ in Bibliotheca Belgica recenseo. ... CIↃ. IↃ. LXXVI. ætatis LIII. XVIII. Kalen. Ianuarias, Mant... petanorum, Madritum vocant; conditus in Æde SS. Trinitatis ... ex *Iustina* filia Gregorij Bertolfij Lovaniensis, in suprema Frisi... primi Præsidis, *Gregorio*, avo cognomine, Dalemij Toparch... Catholico in Belgio à secretioribus Consilijs & *Caio Antonio*, ... nij in D. Petri Præposito & Cancellario Vniversitatis. Scito ... bat, *Extra te nihil.* Plura de Vita illius Suffridus Petrus, Decad... Scripsit. Frisiæ.

IOANNES VENDVILLIVS, Insulensis, natus an. CIↃ. IↃ. ... primus Lovanij Professor Institutionum Regius; deinde Ca... Ordin...

Ordinarius, suffectus Elb. Leonino. Postea Duacum (erectâ ibidem Philippi Regis Catholici auspicijs novâ Academiâ, adlaborante etiam Vendvillio) evocatus, sustinuit cathedram Iuris primariam, atque in istis Belgicis secessionibus, tunc temporis etiam Duaci, viciniſque in locis invalescentibus, strenuum pro Rege, proque Religione egit propugnatorem. Elatâque uxore *Anna Roeloffs*, nobilis ac patriciæ stirpis apud Lovanienses (quacum vixerat maritus annis plus minùs XXIV.) in secretius Concilium à *Ioanne Austriaco* adscitus statum amplexus fuit Ecclesiasticum, & demùm à Rege nominatus Tornacensium Episcopus. Decessit Tornaci, non sine sanctitatis opinione, an. Dom. CIↃ. IↃ. XCIII. ætatis LXVI. De Vita illius scripsit librum singularem Nicolaus Zoesius, tunc Officialis Tornac. postea Consiliarius Regius & Episc. Silvæ-Ducensis: de scriptis nos in Bibliotheca Belgica.

PETRVS PECKIVS, Ziricæus, I.V.D. in Professione Paratitlari Pandectarum successit *Ioachimo Hoppero*, anno CIↃ. IↃ. LV. VII. Idus Febr. de instituti ratione præfatus prolixè. Quæ quidem Professio hoc anno facta est Regia, primusque Regijs auspicijs Paratitlorum Pandect. Codicisve Professor fuit *Peckius* usque ad an. CIↃ. IↃ. LXII. quo pomeridianam, eamque Ordinariam, in Iure Canonico Lectionem suffragijs S. P. Q. Lovan. obtinuit. Deseruit verò stationem illam an. CIↃ. IↃ. LXXXVI. vocatus Machliniam ad magnum Senatum Belgicum, anno Professionis plus minùs trigesimo, magno Scholæ Academiæque relicto desiderio: erat enim in Prælectionibus diligens admodum, & gratissimus omnibus, ob vitæ & consiliorum integritatem. Vnde & Scripta illius in foro Scholisque ab omnibus probata, omnium teruntur manibus, *De testamentis Coniugum: De Iure sistendi & Manuum iniectione, quam Arrestationem vocant: De Amortizatione bonorum: De Ecclesiis Catholicis ædificandis & reparandis &c.* Aliaque leguntur apud hæredes, & alibi, à multis jam pridem desiderata, ut *Responsa seu Consilia, & Commentaria absolutissima in Sextum Decretal. Bonifacij VIII. & Clementinas.* Vivere desijt Machliniæ, XVI. Kalen. Augusti, CIↃ. IↃ. LXXXIX. ætatis anno LX. corpusque Lovanium fuit translatum & depositum in D. Michaelis ad latus Aræ summæ: ubi Imago appendet Deo & Memoriæ Peckij dicata, cum inscriptione vernacula. Filium è *Catharina Gillis* uxore, apud Lovanienses patriciæ familiæ, reliquit sibi cognominem, in Senatoria dignitate successorem, pòst ad Galliæ Regem ac Cæsarem Legatum, ac demùm è secretioris Concilij Assessore, Regijque Exercitus supremo Iudice, Brabantiæ Cancellarium, qui anno CIↃ. IↃC. XXV. desijt inter vivos agere; quique in patris Iconem

Iconem ita aliquando lusit:

Hæc tibi frons, PECKI, fuit hæc reverentia formæ,
Agnosco; hæc oculi gratiaq; tui.
Si quidquam è vultu est animi deprendere mores,
Hæc quoque tranquillæ mentis imago tua est.
Hanc facies, hanc vita fuit confessa quietem,
In quam fortunæ nil valuere vices.

Cæterùm annectere hic libet Elogium quadrigæ Clariss. rum, scriptum ab Ampliss. V. Gerardo Corselio I. V. D. & ctiore Senatu Assessore:

Quadriga felix, vecta quâ terras Themis
Revisit, ates & propulsavit mala.
Omnes docendo claruerunt in schola;
Vnus sed isti muneri est immortuus,
Lustro Antecessor septimo WAMESIVS.
Eiusce rexit civitatum res dictio,
Simulq; publicas tametsi publico
Ipse abstinere certus, ad clavum quoque
Pridem vocatus turbida tum Belgicæ.
Aeternitati consecrant nomen viri
Responsa, luce quæ fruuntur, postuma.

præterea in eadem Facultate Medica duæ Ordinariæ Profesuas Præbendatas vocant, quia earum possessores sunt Cano- Collegij seu secundæ fundationis, auctoritate EVGENII . anno Dom. CIↃ. CCCC. XLIII. constituti, qui docere alisibus solent Hippocratem & Galenum, ita ut uno docente . Tales primi fuere *Adamus Bogaert*, de Dordraco, anno CIↃ. . & *Ioannes Stockelpot*, Lovaniensis, an. CIↃ. CCCC. XLV. Acm tertius eodem anno *Ludovicus de Vettere*; verùm is succesla Facultate non habuit.

item *Bogaert* successere, *Ioannes Inchy*, aliàs *de Vallibus*, *annes Spierinck*, *Gaspar Aegidij* de Leodio, 1485. *Iacobus cus Laurentij*, de Romersvualis, Med. Licent. 1520. VI. b. Obijt an. CIↃ. IↃ. XXII. IV. Non. Iunij: *Ioan. Brunus*, à Zoeme-

à Zoemeren, tunc ſimiliter Med. Lic. 1525. *Cornelius Stephani*, de Teneramonda, Med. L. *Paulus Roelſius* 1532. *Carolus Goſvuinus* 1536. *Iacobus Varentius* 1556. *Hermannus à Greſſenroy*, longoque hinc intervallo *Ioannes Sturmius*, Med. D. & Matheſios Prof. Regius, 1634.

Ioannis verò *Stockelpot* (qui obijt anno CIↃ.CCCC.LXV.) ordine ſucceſſerunt, *Ioannes de Vuellis*, cui an 1476. defunctо civitas ſurrogavit *Franconem* N. Med. Doct. Facultate Med. eumdem acceptare recuſante: *Aegidius de Pape*, qui deſeruit Canonicatum & Profeſſionem anno 1523. VIII. Kal. Febr. *Adamus Bogaert*, Iacobi Fil. cui monaſticen profeſſo an. 1525. ſucceſſit *Ioannes Heems*, ab Armenteria; & huic an. 1559. defuncto *Balthaſar Flon*, *Theodoricus Thibault*, Med. Licentiati, item *Ioannes Blondel*, longoque deinde ordine *Vopiſcus Fortunatus Plempius* an. 1634. VI. Idus Apr.

Denique an. CIↃ.IↃC.XVII. Sereniſſ. Principes ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, cùm adverterent *Lectionum paucitate hanc Facultatem nimiùm coarctari, & ne plenè exſurgere atque effulgere poſſit, quodammodò detineri* (ita ipſi in Litteris Viſitationis loquuntur) præter duas Ordinarias, inſtituerunt duas alias Lectiones, eaſque quotidianas, alteram Inſtitutionum, alteram Anatomicam: & quattuor hoſce Profeſſores voluerunt neceſſariò eſſe de ſtricto hujus Facultatis Collegio, ac præeſſe examini & admiſſioni promovendorum, atque in juribus omnibus participare æqualiter, ſalvis ſemper ſalario Præſidis & Prioris Facultatis, item minoribus quibuſdam juribus præſentiæ in examine & Actibus publicis, quæ cedunt alijs Doctoribus non legentibus, ad eum modum, qui in Facultate I. V. obſervatur.

Curſui verò Studij hujus præſcriptum eſt triennij ſpatium, hac methodo abſolvendum: ut Prima Lectio ſit *Inſtitutionum*, quæ eas tradat juxta ſeriem doctrinarum, quas habet Avicenna in ſua prima Fen libri primi, idque ab hora tertia uſque ad IV. vel æſtate à IV. ad V. Secunda *Theorica*, quæ interpretetur *Artem parvam Galeni*, *Aphoriſmos Hippocratis* & *Methodum* tradat *generalem ad Praxin*, præcipuè de *Purgatione* & *Venæ ſectione*, de *Pulſibus & Vrinis*, ab hora X. ad XI. Tertia *Practica*, quæ explicet *Morbos* à capite ad pedes, ſecundùm ordinem, quem Rhaſes habet lib. IX. ad Almanzorem, & præterea de *Febribus* ac *Morbis contagioſis*, ab hora VIII. ad IX. Quarta *Anatomica*, quæ doceat hyeme *Anatomen*, æſtate compendium *Chirurgiæ*, & *Simplicia uſualia*, ab hora ſecunda ad tertiam. Qui Medicinam Theoricam ac Practicam docent, hactenus Ordinarij ac Principales fuere ejus Facultatis Profeſſores. Inſtitutiones verò docuerunt nuper, *Franciſcus Saſſenus*, *Pet. Caſtel-*

Ja. Castellanus, Vopiscus Fortunatus Plempius, Guilielmus Philippi, Hallensis, I. V. & Med. Licent. Philosophiæ Prof. primarius in Pædagogio Lilij; Anatomen, Chirurgiamque *Michael Ophemius*, *Iacobus Romanus*, Med. Licent. *Adriani* Med. Doct. & Mathematici celeberrimi Fil. qui obijt an. CIↃ. IↃC. XXXV. Idib. Novemb. legatâ Vniversitati Bibliothecâ libris potissimùm artis Medicæ instructissimâ. Illi successit *Petrus Dorlicx*, tunc Reip. Diestemiensis Medicus.

Porrò quia huic Facultati ita proprius, peculiaris & quasi essentialis titulus videtur esse Doctoralis, ut in ea promoti Licentiati, aut Baccalaurei tantùm, imò nullo etiam titulo insigniti, cùm ad praxin exercendam sese accingunt, vulgò Doctores appellentur, adeò ut qui Doctor non est, nec habetur pro tali, judicetur praxi exercendæ minùs idoneus aut qualificatus: hinc propositum & deliberatum fuit non semel, & nominatim anno CIↃ. IↃ. LXV. num expediret novum aliquem modum introduci celebrandæ promotionis ad gradum Doctoratus, quò Licentiati Medicinæ digni illo gradu reperti possint & viliori via & minoribus impensis, absque ullo sumptu publico, præstari D. Cancellario, & sic creari ac pronuntiari Doctores. Et initio anno CIↃ. IↃ. LXVII. taliter privatim in Doctorem Medicum motum fuisse *Michaelem Baillet*, Insulensem, verùm Vniversitate m improbante.

erum cùm anno CIↃ. IↃC. III. ad instantiam Doctorum Facult. icæ Cornelius Reyneri Goudanus, Decanus Ecclesiæ collegiatætri, eoque nomine in absentia D. Præpositi Academiæ Cancel-, creasset Doctorem Medicinæ *Ioannem Francum*, ab Eersel, Cam Cameracensem, declaravit Vniversitas, hujusmodi clancupromotiones, sine publicis & consuetis solemnitatibus, sibi disnec tolerandas esse; & ne in posterum ampliùs fierent, Statuedidit tenoris sequentis: *Nulla ex quinque Facultatibus, neque Maumdem, poterunt studiosum suæ Facultatis ad Licentiæ vel Doctoratus romovere, aut ut promoveatur, seu Licentiæ vel Magisterij gradum D. Cancellario sive Vicecancellario præsentare, nisi priùs & ante omatis solemnitatibus hactenus secundùm morem Facultatum in hac re observari solitis. Et si quæ Facultas seu Magistri alicuius Facultatum fecisse reperti fuerint, pœnam trecentorum florenorum Caroliopus ipsius Vniversitatis, luere tenebuntur, & gradus huiusmodi utabitur, atque tamquam nullus tam Lovanij quàm in loco residenromoti publicabitur.*

e anno CIↃ. IↃC. XIV. re delatâ ad Sereniss. Principem, exhibitoque

hibitoque ex parte Studiosorum Facultatis Medicæ libello supplice, quo exponebant illi & concludebant ad duo in effectu.

I. E re fore dictæ Facultatis, si auctoritate Principali concedatur facultas Doctoribus & Professoribus Facultatem Medicinæ constituentibus, sub consuetis & competentibus juribus, absque alijs pompis atque expensis obequitationum, epularumque solemnium, solius doctrinæ ex prævijs Disputationibus ac Repetitionibus publicè habendis, & examine rigorosè obeundo, habitâ ratione, insignia conferendi Doctoralia, exemplo Vniversitatum Galliæ & Italiæ.

II. Similiter fore è re ejusdem Facultatis atque Vniversitatis, si, quemadmodum Iurisconsulto, alibi extra hoc Belgium in Licentiatum aut Doctorem promoto, non permittitur praxin aut officium Advocati exercere in Concilijs supremis aut provincialibus Belgij, saltem non citra dispensationem & veniam singularem: ita neque Medico ulli deinceps liceat frui & gaudere stipendio in aliqua civitatum sub obedientia dicti Principis, nisi pariter promoto in altera Vniversitatum Belgij Lovaniensi aut Duacensi.

Petitioni hujusmodi, quod quidem ad susceptionem gradus pertinet Doctoralis, placuit Vniversitati judicium à se petitum suspendere, nec ei annuere. Quoad promotos alibi decreverunt Sereniss. Principes ALBERTVS & ISABELLA in Visitatione anni CIƆ. IƆC. XVII. hoc modo: *Illud quoque necessarium Reipubl. censemus, ut nemo ad exercitium artis Medicæ admittatur, nisi qui intra Belgium promoti, vel à Doctoribus Belgicarum nostrarum Vniversitatum, vel à Cubicularijs nostris Medicis examinati & approbati fuerint. Sed nemo stipendia à Civitatibus nostris recipiat, nisi qui in nostris Vniversitatibus Belgicis ad Licentiam vel Doctoratum promotus fuerit: nisi tamen cum aliquibus, modo prædicto approbatis, ob eminentem suam medendi scientiam & experientiam, vel ob alias caussas, nos ad hoc moventes, iudicaverimus nonnumquam dispensandum.* Renovatum fuit hoc Decretum an. CIƆ. IƆC. XXVIII. prid. Non. Aprilis.

DO-

DOCTORES MEDICI

Qui titulum illum vel aliunde attulerunt, vel LOVANII *adepti sunt.*

HENRICVS CVSTODIS, ab Oosterwyck, Medicinæ Doctor in ipsis Vniversitatis auspicijs Professor Medicinæ Ordinarius.

IOANNES DE NEELE, Med. Doctor, & Professor, anno CIↃ. CCCC. XXVI. à Magistratu Lovaniensi evocatus ad Lecturam in Medicinis, atque an. CIↃ. CCCC. XXXI. VII. Idus Iunij ab eodem Magistratu datus successor *Henrico Custodis.* Idem primus è Facultate Medica anno CIↃ. CCCC. XXXI. fuit Rector Academiæ.

ARNOLDVS DE BREMIS, Medicinæ D. inscribitur matriculæ Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. XXVI.

IOANNES DE WESALIA, Bruxellensis, Mariæ Burgundæ Physicus seu Medicus Cubicularius, aulæ pertæsus, substituto sibi apud Mariam *Everardo* filio, anno CIↃ. CCCC. XXIX. Lovanium venit, ad Lecturam Medicinæ Ordinariam à Magistratu Lovaniensi adsumptus, Rector Academiæ an. CIↃ. CCCC. XXX. & aliàs.

Promotio an. CIↃ. CCCC. XXXIII.

IOANNES STOCKELPOT, Lovaniensis, ab origine Academiæ Legens & Regens in Facultate Artium, electus in Procuratorem ejusdem Facult. an. CIↃ. CCCC. XXVIII. Migravit ad Facultatem Med. an. CIↃ. CCCC. XXIX. Doctor renuntiatus an. CIↃ. CCCC. XXXIII. die XXVI. April. Eodemque anno VI. Idus Maij petijt recipi ad Collegium Doctorum Med. non obstantibus statutis in contrarium factis aut conditis: primusque è Facultate sua fuit Canonicus novi Collegij seu secundæ fundationis in Ecclesia D. Petri, eoque titulo Facultatis illius Regens ac Legens ordinarius. Idem in D. Iacobi Pastor an. CIↃ. CCCC. LVI. ad eamdem Ecclesiam Capitulum admisit Aycuriense, & tertium Rector Academiæ præfuit. Obijt anno CIↃ. CCCC. LXV. mense Iunio.

Henricvs de Gorichem, Med. Doctor, petijt similiter eodem an. CIↃ. CCCC. XXXIII. & die ab Vniversitate recipi ad Collegium Doct. Medicinæ: prout & recipi eum placuit, præstando juramenta, quæ alij dicti Collegij Doctores præstiterunt.

Everardvs de Wesalia, Ioannis Fil. Eques & Medicinæ Doctor. Obijt præmaturè, nondum XXXVI. natus annos.

Henricvs Scatter, Artium & Med. Doctor Parisiensis, Cor-Episc. Trajectensis, & Decanus Leodiensis, admissus ad Concilium Vniversf. an. CIↃ. CCCC. XXXIII. XIII. Kal. Decemb. Fuit & Syndicus, ac Procurator Vniversitatis in Concilio Basileensi. Meminit Molanus de Canonicis lib. II. cap. XXXII.

Promotio anni CIↃ. CCCC. XXXIV.

Sebertvs de Neele, promotus in Artibus an. CIↃ. CCCC. XXX. Med. Doctor an. CIↃ. CCCC. XXXIV. Rector Academiæ CIↃ. CCCC. XXXVI.

Matthias de Leevwis, Med. Doctor, in Facultate Artium Legens & Regens an. CIↃ. CCCC. XXXV. prid. Kal. Decemb. migrat ad Facultatem Medicinæ.

Gvilielmvs Drayer, Doctor in Chirurgia, memoratur an. CIↃ. CCCC. XXXV.

Promotio anni CIↃ. CCCC. XXXIX.

Nicolavs Lamberti, de Valkenisse, in Artibus promotus an. CIↃ. CCCC. XXIX. in qua Facultate fuit Legens & Regens, Med. Doctor renuntiatus an. CIↃ. CCCC. XXXIX. secundùm Rector, Canonicus Antverpiensis & Cameræ Apostolicæ Collector.

Promotio an. CIↃ. CCCC. XLII.

Adamvs Gvilielmi (fuit is Scultetus sive Prætor urbis Dordracenæ) Fil. cognomento Bogaert, de Dordraco, promotus in Artibus an. CIↃ. CCCC. XXXII. Med. D. an. CIↃ. CCCC. XLII. Canonicus novæ fundationis an. CIↃ. CCCC. XLIV. IV. Kal. Ianuarij sexto loco nominatus & præsentatus, ac septimùm Rector Vniversitatis, moritur an. CIↃ. CCCC. LXXXII. die XVIII. Mensis Martij, depositus ad Altare D. Lucæ sacrum, ubi insculpti sarcophago leguntur hi versus:

Hic

Hîc Adam Bogaert, *celeberrimus ille Magister*
Artibus in cunctis, nunc iacet, astra petens.
Qui septem lustris Medicinæ Interpres & anno
Publicus hîc fuerat, Doctor & egregius.

Fundavit Bursas, ut vocant, sive portiones alimentarias duas, quamlibet florenorum Rhenensium xxv. quæ hodie una: estque provisio penes Collegium Facultatis Medicæ, nominatio & præsentatio penes familiam.

Antonius de Mutellis, diœcesis Herbipolensis, Med. Doctor, inscribitur albo Academiæ an. cIↃ. cccc. xlii.

Ludovicus de Vettere, Diestemiensis, promotus in Scholis Artium an. cIↃ. cccc. xxxi. ix. Kal. Febr. pòst Med. Doctor & Professor Ordinarius, adsumptus ad Lectionem nomine & vice *Ioannis de Vuesalia*: cui ad Vniversitatem redeunti per sententiam Rectoris & Deputatorum jussus est cedere eamdem Lecturam Ordinariam de mane, cum suis dependentijs & connexis, an. cIↃ. cccc. xlvi. iv. Non. Iunij. Ipse verò Canonicus novæ fundationis in Ecclesia D. Petri, eoque nomine Professor, an. cIↃ. cccc. liv. munere & vitâ defungitur. A morte verò *Lud. de Vettere* cùm Magistratus Lovaniensis Canonicatum & præbendam sic vacantem ex Facultate Medicinæ vellet transferre in Facult. Theologicam, dictâ Med. Facultate instante, intercessit pro ea apud opidum Vniversitas eodem anno die xvii. Augusti.

Ioannes Sucquet, diœcesis Rotomagensis, secundùm Rector, an. cIↃ. cccc. xli. Med. Licent. & an. cIↃ: cccc. xlvii. tum Doctor.

Antonius Reineri Fil. Med. Doctor, incorporatur Vniversitati an. cIↃ. cccc. li. prid. Non. Decemb.

Ludovicus de Lapide, Med. Doctor, ante Altare S. Lucæ sepulturam & sarcophagum habet, cum hac inscriptione:

Hîc iacet sepultus D. Ludovicus de Lapide,
Doctor in Medicinis, Canonicus istius Ecclesiæ,
qui obyt an. à Nativitate Dom. cIↃ. cccc. lv.
vi. *die Aprilis.*

Ioannes Spierinck, Physicus seu Medicus Ducis, & Academiæ tertiùm Rector. Fuit in praxi admirandus, rejectisque exoticis ac Turcicis, & plerumque in odium Christianorum corruptis, fucatis, infectisque herbis, maluit uti nostratibus. Domus, quam inhabitare solet, hodie Collegium est *Driutianum*, & platea, quæ eò ducit, etiamnum

num ab hoc *Spiringo* nomen retinet. Legitur Epitaphium ejus in Ecclesia D. Petri, ad Chori introitum, laminæ lapidis sepulcralis inscriptum, litteris pænè fugientibus:

IOANNES SPIERINCK, *huius Ecclesiæ Canonicus,*
Philippi Ducis Burgundiæ & Brabantiæ Physicus,
substantiam suam sacris ædibus,
egenis & fidis famulis reliquit:
mortuus an. CIↃ. CCCC. XCIX. *die* VII. *Octobris.*

Hæredes enim in testamento scripserat ex triente uno Ecclesias Collegiatas quattuor, Lovaniensem, Bruxellensem, Machliniensem & Liranam; ex altero triente pauperes, ex tertio autem utrumque famulum.

IOANNES DE WELLIS, cognomento PEYMANS, Med. Doctor & Professor, ac Canonicus novæ fundationis, tertiùm Rector. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXVI.

IOANNES INCHY, aliàs *de Vallibus*, adsumptus ab opido in locum *Ioannis de VVellis* an. CIↃ. CCCC. LXXVI. Fuit postea Canonicus novæ fundationis & Prof. Ordinarius, surrogatus an. CIↃ. CCCC. LXXX. VIII. Kal. Iunij *Adamo Bogaert*, per liberam ejus resignationem, tunc Medicinæ Licent. post Doctor & secundùm Rector.

BALDVINVS GOETHALS, Med. Doctor, promotus in Scholis Artium an. CIↃ. CCCC. XLII. admittitur ad Concilium Vniversitatis an. CIↃ. CCCC. LXI. prid. Kal. Apr. vir bonæ experientiæ, ut testantur Acta Facultatis Artium ad an. CIↃ. CCCC. LXXXIII.

GASPAR ÆGIDII, Leodiensis, quartùm Rector, in Canonicatu & Professione Ordinaria successit *Ioanni Spierinck* an. CIↃ. CCCC. LXXXV. IV. Kal. Iulij, tunc Med. Licent. Idem in Sacello S. Antonij, vulgò Clericorum, an. CIↃ. IↃ. VII. quo obijt, Sacrum fundavit quotidianum.

IOANNES DE CRVNINGHEN, tunc Medicinæ Licent. ad Conc. Vnivers. admissus ex Facult. Med. annò CIↃ. CCCC. LXXX. die XX. Martij, vivebat adhuc an. CIↃ. CCCC. XCVIII.

MARTINVS VANDER KELEN, de Turnhout, Med. Doctor, vixit Lovanij circa an. CIↃ. CCCC. LXXXIV. & ultrà, ad Concilium Vnivers. admissus jam inde ab an. CIↃ. CCCC. LXXIV. III. Non. Novemb. ex Facult. Artium.

IOANNES CALABER, Lovaniensis, Med. Doctor an. CIↃ. CCCC. LXXXIX. Exstare hoc ejus monumentum solet apud Albas Dominas, ut vocant, ad Altare S. Crucis:

Hoc

Hoc conditus est sepulcro
IOANNES CALABER, *natione Lovaniensis,*
Vir & doctrinâ & pietate in Divos insignis,
Medicæ Professor Artis,
& summo Rectoratus honore ter functus:
in pauperes quoque & egestate pressos
homines, quamdiu vixit, liberalis.
Obijt multum senex anno salutis humanæ
CIƆ. IƆ. XXVII. *die* XIV. *Iulij.*

Hodieque in fenestra vitrea novæ Ecclesiæ legitur ad ejusdem atque uxoris insignia gentilitia, CVNCTA PACE FIVNT. LITE CVNCTA RVVNT. Sacrum quotidianum, quod ibidem cum uxore atque amita fundarat, Leo X. Pont. in beneficium erexit.

IACOBVS BOGAERT, Adami Fil. Lovaniensis, primùm Reip. Antverpiensis Medicus, pòst annos ipsos XXXVI. Medicinam Lovanij docuit. Vidi, eo auctore, *Collectorium* (ut ipse nuncupat) *in Avicennæ Practicam*, opus distinctum quinque voluminibus, MSS. Antverpiæ in Biblioth. publica. Ex Domic. *Adriana Lathouwers*, aliàs, *Van Doesdonck*, filios reliquit *Iacobum*, *Arnoldum* I. C. in supremo Belgico Senatu Machliniæ Consiliarium, *Adamum* Doct. & Prof. Medicinæ; filias *Margaretam* Ioanni Winckelio Doctori Med. & N. Everardo van Winghe nuptas. Epitaphum tabulæ adsculptum legitur Lovanij in D. Petri juxta Altare S. Lucæ:

Abstulit è vivis Iacobum *sera* Bogardum
Mors, sed ab annoso sæpè vocata sene.
Corpore quandoquidem iam fractus, pectore toto
Spirabat Christum, cœlicolûmq; choros,
Sancta maritalis servavit fœdera lecti,
Clarus septenæ prolis honore pater.
Coniuge defunctâ thalamum tædasq; perosus,
Sacra Sacerdotis munia castus obit.
Annis triginta nec-non sex dogmate certo
Hic docuit Medicas Gymnasiarcha Scholas.
Denique tam exactè virtutem percolit omnem,
Momus ut errati postulet ipse nihil.

Obijt anno Dom. CIƆ. IƆ. XX. die XVII. Mensis Iulij. In Canonicatu & Professione successorem habuit eodem anno VI. Id. Novemb. *Iudocum Laurentij*, Medicinæ Licent. qui obijt an. CIƆ. IƆ. XXII. IV. Non. Iunij.

NICOLAVS DE BOVSSVT, Artium & Med. Doctor, an. CIↃ. IↃ. XXVII. senex, uti præfatur, disputavit Lovanij Quæstionem Quodlibeticam, *An plaga terra subiacens media zona cæli habitabilis sit, nec ne*: ubi brevem præmittit Geographiæ, Cosmographiæ ac Chorographiæ Epitomen. Excudit Lovanij Gilbertus Masius in 4.

IOANNES VANDEN EETVELDE, Lovaniensis, patriciæ stirpis, recipitur ad Concilium Vniverſ. ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. III. prid. Kal. Aprilis, Doctorque Medicus ex Italia reversus an. CIↃ. IↃ. VII. prid. Id. Iunij in Professione Ordinaria *Gaspari Aegidij* à Magistratu Lovan. surrogatur, Facultate Medicâ reclamante, Vniversitateque hujus caussam IX. Kal. Decemb. amplexante. Hic primus omnium ausus fuit contemnere matulas atque inspectionem urinæ; contraque veterum quorumdam sententias cœpit magis simplicem medendi viam aperire, investigatis coràm ægrotantis moribus, conditionibus, diætis, crasi, habitudine, & id genus alijs. Decessit an. CIↃ. IↃ. XXXIX. die VIII. Aprilis, conditus in D. Gertrudis, ubi hodieque sarcophaphum ejus videre est: relicto filio, patri cognomine, Canonico Brugensi, qui an. CIↃ. IↃ. LXXI. diem suum obijt, & sui memoriam in Collegio reliquit Vuinckeliano.

Promotio an. CIↃ. IↃ. XII. VIII. *Kal. Iunij.*

IOANNES LOEN, Turnhoutanus.

GASPAR DE LAET, Borchlonius.

ÆGIDIVS DE PAPE, Lovaniensis, admissus ad Conc. Vniverſ. ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. VI. XI. Kal. Ianuarij. Fuit Canonicus & Prof. Med. Ordin. moriturque an. CIↃ. IↃ. XXIII. VI. Non. Martij.

ADAMVS BOGAERT, Iacobi Fil. Lovaniensis: qui elatâ uxore an. CIↃ. IↃ. XXV. IX. Kal. Decemb. monasticen apud Minores amplexus fuit. Legi apud eosdem Elogium solet sepulcrale:

Iacet hic in Choro sepultus
Venerabilis Pater F. ADAM BOGAERT,
Sacerdos, Prædicator & Confessor,
huius loci aliquando Guardianus,
olim Medicinæ Doctor eximius.
Qui vinculo matrimoniali solutus,
contemptis mundi pompis, carnisq; illecebris,
totius Humilitatis, Patientiæ ac Religionis
factus est Speculum;

Amator

Amator sanctæ paupertatis,
Chori & Communitatis sectator indefessus,
pauperum infirmorum ad pœnitentiam
consolator sollicitus.
Qui sicut placidis admodum moribus fuit,
& spiritu fervidus, ita placidißimè
inter verba orationis quievit in Domino
an. CIϽ. IϽ. L. *die* XXIII. *Martij.*

Legi *Consilium* sive *Epistolam* illius ad Petr. Bruhesium inter ea Consilia, quæ de Arthritidis præservatione, ab eodem Bruhesio collecta, edi curavit Henr. Garetius, Lovaniensis.

Promotio an. CIϽ. IϽ. XV.

IOANNES DE WINCKELE, Lovaniensis, primum inter Artium Magistros locum adeptus, annos vix XVI. natus, recipitur ad Conc. Vniversf. an. CIϽ. IϽ. XIV. penult. Nov. Primo Iuri adijcere animum cœperat; pòst Medicinæ studium amplexus, gradu Doctorali solus insignitus fuit, annum ætatis agens XXV. vixitque ad annos quattuor supra sexagesimum, toti Vniversitati, ob præclaras ejus dotes, multùm venerabilis. Exstat monumentum sepulcrale ad S. Petrum ante Altare Ven. Sacramenti, cum hac inscriptione, laminæ cuprinæ insculpta, litteris pænè fugientibus:

Hic iacet Spectabilis Vir
D. IOANNES A WINCKELE, *Civis Lovaniensis,*
Artium & Medicinæ Doctor insignis,
veræ pietatis & publicæ utilitatis
cultor perpetuus.
Obijt an. CIϽ. IϽ. LIV. *die* XXVII. *Martij.*

Ad columnam ibidem appensa est tabula, quæ uxoris meminit *Margareta Bogaert*, quæ patrem *Iacobum*, fratrem verò *Adamum*, Medicinæ Doctores & Professores, habuit, obijtque anno CIϽ. IϽ. XLV. V. Nonas Octobris. Collegium *VVinckelianum* hunc, patremque Fundatores agnoscit.

PAVLVS VANDER-VELT ET DE ZELLENDONCK, Artium & Med. Doctor Coloniensis, inscribitur matriculæ Vniversitatis an. CIϽ. IϽ. XVI. V. Kal. Iulij.

PETRVS VAN SESTICH, Med. Doctor, recipitur ad Conc. Vniversitatis an. CIϽ. IϽ. XXVI. Kal. Octobrib.

Promotio

Promotio an. CIↃ.IↃ. XXVI. VII. *Kal. Maij.*

ARNOLDVS NOOT, Hallensis, Med. Professor Ordinarius. Obijt an. CIↃ. IↃ. LVI. die XXVII. Augusti, sepultus ad S Claram, cum uxore *Gertrude ab Immerseel*, mortua an. CIↃ. IↃ. LIX. die XXIV. Febr.

IOANNES MOONEN, ab Oosterwyck.

IOANNES HEEMS, ab Armenteria, Regens Pædagogij Lilij, Canonicus & Professor Med. Ordinarius an. CIↃ. IↃ. XXV. IX. Kal. Decemb. substitutus *Adamo Bogaert* vitam monasticam professo. Moritur an. CIↃ. IↃ. LIX.

Promotio an. CIↃ.IↃ. XXVII. VIII. *Kal. Oct.*

LEONARDVS WILLEMAERS, Lovaniensis, Prof. Ordinarius. Obijt circa an. CIↃ. IↃ. LVIII. relictâ *Catharina Vincx* uxore.

Promotio an. CIↃ.IↃ. XXX. VI. *Eid. Iulij.*

IOANNES BRVNEN, à Zoemeren, anno CIↃ. IↃ. XXV. IV. Non. Maij Medicinæ Licent. fit Canonicus novæ fundationis & Prof. Ductaque inde uxore filiam reliquit *Fortunam*, nuptam *Carolo Gosvino*, Doctori Medico. *Zomerij* Doct. meminit non sine sale Nic. Clenardus, ex Fesano Africæ opido ad Arn. Streyterum Abbatem Tongerloensem ita scribens: *Quin & Doctor* Zomerius *hîc periclitaretur, etiamsi nosset Avicennam Arabicum, adeò sunt hi homines alieni à Medicis, aut, si velis, Sanicidis; nam sic appellantur in Lusitania.*

IACOBVS DE MOOR, Machliniensis.

IACOBVS LIEZART, Beluacensis.

Promotio an. CIↃ.IↃ. XXXVII. *pr. Non. Maij.*

RVMOLDVS DE MACHLINIA, cognomento BELZERIVS.

HIEREMIAS TRIVERIVS, vulgò *Drivere*, Brachelius, ex agro Gerardimontano in Flandria, ad Concilium Vniversi. receptus an. CIↃ. IↃ. XXXI. III. Non. Novemb. ex Facult. Artium. Fuit hic excellentis eruditionis Medicus & Primarius Professor. Varia scripsit, *Commentarios in Hippocratis Aphorismos*: in *Artem Medicam Galeni*: in *Corn. Celsum De sanitate tuenda*; aliaque, quorum catalogum exhibet Biblioth. Belgica. A morte verò prodijt, eodem auctore, *Methodus Medicinæ universa*, procurante *Dionysio* ejus filio, Lugd Batavor. typis Raphel. 1592. 8. Obijt autem an. CIↃ. IↃ. LIV. sepultus in D. Petri, relictâ viduâ *Annâ VValrant*.

PAVLVS

PAVLVS ROELS, Teneramondanus, ad Conc. Vniversitatis ex Facult. Artium an. CIƆ. IƆ. XXVIII. Kal. Octob. adsumptus. Fuit inde Canonicus novæ fundationis & Prof. ordinarius, surrogatus *Cornelio* de Teneramonda, Med. Licentiato, an. CIƆ. IƆ. XXXII. VI. Idus. *Stephani* Novemb.

ELIGIVS MORELIVS, Aldenardensis.

Promotio an. CIƆ. IƆ. XXXIX. *mense Maio.*

IOANNES FAVELLIVS, Valencenensis.

GISBERTVS ROSÆVS, vulgò *Rooskens*, de Gennep, sive de Sevenhem, ditionis Clivensis opido.

CAROLVS GOSWINVS, vulgò *Gooffens*, Brugensis, Med. Licent. successit in Canonicatu & Professione Ordinaria an. CIƆ. IƆ. XXXVI. IV. Kal. Febr. *Paulo Roelsio.* Decessit anno CIƆ. IƆ. LXXIV. die XXIV. Augusti.

Promotio anni CIƆ. IƆ. XLI.

IVSTVS, sive IVDOCVS VELSIVS, vulgò WELSENS, Hagæ-Comitanus, Batavus, Lovanij, Coloniæ & alibi in Germania vixit. Edidit *Orationem, Verùm in Medico variarum artium & scientiarum cognitio requiratur: Commentarium in Cebetu Thebani Tabulam, & in Aristotelis libellum de Virtutibus.* De ejusdem libro, cui titulus, *Κρίσις vera Christianaq; Philosophia &c.* ad instantiam Rectoris & Vniversitatis Coloniensis (ubi is Philosophiam publicè profitebatur) Facultas S. Theol. Lovaniensis an. CIƆ. IƆ. LIV. tale judicium dedit: *Oblato nobis libello Iusti Velsij, cui titulus,* Veræ Philosophiæ &c. *eoq; lecto & relecto, matureq; discusso, videtur dicta Facultati, eum libellum esse impium, famosum, seditiosum, & de hæresi violenter suspectum, talemq; reddere suum auctorem. Proinde meritò dictum libellum esse prohibendum & abolendum: auctorem verò ad revocationem & reparationem esse compellendum.*

REINERVS GEMMA, vulgò *Gemma Frisius*, Doccomij in Frisia natus. Scripta ejus pleraque Mathesin spectant, in qua scientia plurimùm excelluit. Vide Biblioth. Belgicam. Vivere Lovanij desijt anno CIƆ. IƆ. LV. die XXV. Maij, ætatis anno XLVI. filio relicto *Cornelio Gemma*, doctrinæ paternæ hærede.

REINERVS LANGIVS & TIBERIVS HELIE eodem anno promoti, unà cum *Gemma* Frisio; nec aliud de illis adsequi potui.

Adrianvs Pavonivs sive de Pavonibvs, vulgò *de Paeu*, Med. Doctor, memoratur in Actis ad annum Vnivers. cIↄ. Iↄ. xxxix. Kal. Octob. & aliàs.

Avgvstinvs de Avgvstinis, Venetus, Artium & Med. Doctor, inscribitur matriculæ an. cIↄ. Iↄ. L.

Cornelivs Scvtivs, vulgò *de Schuyte*, Med. Doctor & Mathematicus Brugensis, vixit Lovanij an. cIↄ. Iↄ. LIII. Vide Biblioth. Belgicam.

Promotio anni CIↄ. Iↄ. LVI. *mense Aprili.*

Gabriel Ayala, Medicus Reipubl. Bruxellensis. Lusit *Carmen pro vera Medicina*: *De lue pestilenti Elegiarum* lib. I. & *Popularia Epigrammata Medica.*

Petrvs Beavsardvs, Lovaniensis. Fuit hic primus Mathematum Professor Regius, ediditque *Praxin Arithmetices*, & de *Annulo Astronomico* librum. Obijt an. cIↄ. Iↄ. LXXVIII. prid. Eid. Augusti, sepultus in D. Petri, apud Altare trium Regum.

Promotio anni CIↄ. Iↄ. LXII. *Kal. Sept.*

Adrianvs Rodivs, Gerardimontanus: Ordinum Brab. Lovanij Prof. evocatus Duacum ad novellum Studium primariam Medicinæ cathedram ibidem pluribus annis sustinuit.

Martinvs Descailles, Audomaropolitanus.

Nicolavs Biesivs, Gandavensis, Doctor Medicus Studij Senensis, obtentâ an. cIↄ. Iↄ. LVIII. Regiâ Lovanij Professione, adscribitur ejusdem Facultatis Collegio an. cIↄ. Iↄ. LXII. Prid. Kal. Augusti. Academiæ nomine apud Ferdinandum, Ducem Albanum, Oratoris munus obivit. Pòst à Maxæmiliano II. Imp. in Medicum domesticum adscitus, vivere apud eumdem desijt an. cIↄ. Iↄ. LXXIII. Ingenij monumenta reliquit, *Methodum Medicinæ*: *Theoreticæ Medicinæ* libros duos: *Comment. in Artem Medicam Galeni*; aliaque, Philologiam ac Philosophiam spectantia, de quibus in Biblioth. Belgica.

Petrvs Brvegelivs, Silvæducensis, Med. Doctor, Studij Patavini, & celeberrimi nominis Professor, extra ordinem à Philippo II. Rege Catholico constitutus: cui tamen Professioni vix incumbere licuit,

licuit, quòd plerumque absens ab urbe versari inter Nobiles primarios cogeretur. Moritur an. CIↃ. IↃ. LXXVII. XI. Kal. Iunij, sepultus ad Altare S. Lucæ. Collegium Medicorum hunc habet Fundatorem.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXI.

GVILIELMVS BERNARTIVS, Tiletanus, Flander, Med. Licent. & Prof. Ordinarius receptus fuit ad Conc. Vniversi. an. CIↃ.IↃ.LIX. prid. Kalen. Martij, moriturque anno CIↃ. IↃ. LXXII. Idib. Maij, annos natus duos & quinquaginta, sepultus in D. Gertrudis, ad Altare S. Ioanni Euangelistæ sacrum, ubi hi versus legi solent.

Immemor heu sortis quò prorupis altè gressum,
Nec quid nostra velit parva tabella vides?
Tempus erit, cùm te putris quoque pulvis habebit;
Namque unam, quâ nos, cogeris ire viam.
Hîc ego GVILIELMVS *(dederat cui laurea serta*
Phœbus) in obscuro pulvere membra roto.
Quinquaginta duos Lachesis mihi neverat annos,
Stamina dum vita rupta fuere mea.
Herbis Latoius nequijt succurrere nato,
Parcarum diras vel cohibere manus.
Ergò age, qui legis hæc, meritos persolvere honores
Busto ne pigeat, teque para tumulo.
Mox moriture para tumulo te, flectere falcem
Omnisecam mortis, telaq; non poteris.

IACOBVS VARENTIVS, vulgò VANDER VARENT, Aldenardensis, ex Facultate Artium recipitur ad Concilium Vniversi. an. CIↃ.IↃ. XLIX. Kalen. Octobrib. In Facultate Medicinæ Canonicus novæ fundationis & Prof. an. CIↃ. IↃ. LVI. Kal. Decemb. sufficitur *Carolo Gosvuino*, vitaque defungitur an. CIↃ. IↃ. LXXVII. VII. Kalen. Maij, depositus ad Altare S. Lucæ, ubi fenestra vitrea, cum *Varentij* effigie & insignibus gentilitijs, visitur.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXVI.

PETRVS HAESTRICHT.
IVDOCVS MASIVS.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXVII.

MICHAEL BAILLET, Insulensis.

Promotio an. CIↃ.IↃ.LXX.X. Kal. Iunij.

CORNELIVS GEMMA, Lovanienſis, Reineri Fil. Philoſophus, Medicus & Mathematicus in primis excellens, in Profeſſione Regia *Nicolao Bieſio* an. CIↃ. IↃ. LXIX. à Ferdinando, Duce Albano, Belgij Gubernatore, datus fuit ſucceſſor. Scripſit De *Arte Cyclognomica* Tomos tres, quibus Medicinæ myſteria pandit: item *Coſmocriticum* ſive De *Naturæ divinæ Characteriſmis* libros duos; patriſque *Aſtrolabio* ſupremam manum addidit. Moritur peſte an. CIↃ. IↃ. LXXVII. ætatis XLII.

Promotio an. CIↃ. IↃ. LXXI.

IOANNES WALTERI VIRINGVS, Lovanienſis, fuit primò Medicus opidi Verienſis in Zelandia, & ibidem an. CIↃ. IↃ. LXIX. *Epitomen Theatri Anatomici And. Veſalij* è Latino in vernaculum ſermonem tranſtulit, editam Brugis Flandrorum in 4. Poſtea Lovanij an. CIↃ. IↃ. LXXI *Guilielmo Bernartio* in Ordinaria Profeſſione à Magiſtratu Lovanienſi ſurrogatus fuit, annos tum natus XXXII. annoque Profeſſionis XXIII. deſeruit provinciam illam, nactus ſucceſſorem *Thomam Fienum.* Ipſe verò elatâ uxore ſtatum amplexus Eccleſiaſticum, Sacerdos & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis, ac demùm Sereniſſ. Principibus Alberto & Iſabellæ fuit à Sacris Oratorij: ediditque *De Ieiunio Eccleſiaſtico & Abſtinentia* libros V. Medico-Theologicos.

ROBERTVS FERVACQVIVS, Lovanienſis.

IACOBVS BASTAERTS, Lovanienſis.

Promotio an. CIↃ.IↃ. LXXII. XIII. Kal. Ian.

IOANNES POLYRVS, Inſulenſis.

Promotio an. CIↃ IↃ LXXIV.

ARNOLDVS VAN DYCKE.

Promotio an. CIↃ.IↃ. LXXVIII. XIV. Kal. Nov.

Præſidente & Doctoralia inſignia conferente Ioanne Walteri Viringo.

IOANNES BLONDEL, Inſulenſis. Dedit hic poſtea nomen Religioni Societ. IESV, mortuus Muſſiponti in Lotharingia.

PETRVS RICHARIVS, Machlinienſis, Med. Profeſſor Ordinarius: poſtea Principum Belgij Medicus Cubicularius.

PETRV

Petrvs Pierivs à Smenga, Schotanus, Frisius, Med. Professor Regius, successórque *Cornelij Gemmæ* an. CIↃ. IↃ. LXXIX. Docuit Linguam Hebraicam in Collegio Trilingui Buslidiano annis octo.

Hermannvs à Griffenroy, Lovaniensis, S. Theol. Baccalaureus Formatus, Vice-Comes Palatinus, Eques auratus, patre Geldro, matre Lovaniensi è Schorana familia natus; promotus antè Med. Doctor in Academia Ticinensi, in qua per annum non resederat aut studuerat. Vnde quia admitti Lovanij ad gradum non poterat, obstante statuto Vniversitatis, quod habet, *Neminem graduatum in alia Vniversitate admitti Lovanij vel ad Licentiam, vel ad Doctoratum, nisi ad minus per annum studuerit in eadem Vniversitate*; petijt secum super eo dispensari, prout & dispensavit Vniversitas.

Promotio an. CIↃ.IↃ.XCIII.V·*Id. Novemb.*

Præsidente Petro Pierio à Smenga, *Professore Regio.*

Thomas Fienvs, vulgò *Fyens*, *Ioannis* Doctoris Med. Fil. Antverpianus, Med. Professor Primarius, & Sereniss. Belgij Principum ác Bojorum Ducis Medicus Cubicularius. Scripsit De *Cauterijs*: De *Viribus Imaginationis*: De *Conformatione fœtus in utero materno*: De *Cometa anni* CIↃ. IↃC. XVIII. reliquitque lucubratos in omnes Medicinæ partes Commentarios, qui apud V. N, *Iacobum Edelheer*, S. P. Q. Antverpiensis Syndicum, asservantur. Decessit an. CIↃ. IↃC. XXXI. Idib. Martij, annos natus LXIV. sepultus in D. Petri.

Gerardvs de Vileers, Lovaniensis, Dominus temporalis de *Vileer Perwin*, Med. Professor Ordinarius & principalis, Archiducumque Austriæ Alberti & Isabellæ Medicus Cubicularius, apud varios Principes & Magnates in æstimatione habitus. Moritur an. CIↃ. IↃC. XXXIV. IV. Eid. Maij, annos natus LXVIII. in Ecclesia parocciali Toparchiæ suæ conditus.

Ioannes Stvrmivs, Machliniensis, primùm Philosophiæ in Pædagogio Lilij, postea Mathematum publicus Regiusque Professor, ad Conc. Vnivers. admissus ex Facult. Medicinæ an. CIↃ. IↃ. XCI. VII. Id. Febr. Scripsit de *Rosa Hierachuntina*: & *Physicam Aristotelis*, aliaque carmine complexus est.

Philippvs Gemma, Cornelij Fil. Lovaniensis, ad Conc. Vnivers. an. CIↃ. IↃ. LXXXVIII. admissus. Montibus Hannoniæ, urbis illius Medicus, è vivis excessit.

Petrvs Winandvs, Eerselius, Medicus tum Reipubl. Bruxellensis: qua in urbe an. CIↃ. IↃC. XXXIV. V. Eid. Augusti, plenus dierum, diem suum obijt.

Franciscvs Sassenvs, Lovaniensis, Med. Doctor Studij Patavini, primus Lovanij, auspicijs Sereniss. Principum Alberti & Isabellæ, *Elementa* sive *Institutiones Medicas* professus fuit, adscriptus Collegio an. CIↃ. IↃC. XVIII. Verùm vix biennio provinciam illam sustinuit, mortuus an. CIↃ. IↃC. XX. IV. Eid. Augusti.

Promotio an. CIↃ. IↃC. XVIII X. *Kal. Sept.*

Præsidente Thoma Fieno, *Professore Primario.*

Petrvs Castellanvs, Gerardimontanus, Linguæ Græcæ in Collegio Trilingui Buslidiano publicus Professor. A morte *Francisci Sasseni* Regijs auspicijs simul *Medicas* docuit *Institutiones*, obijtque an. CIↃ. IↃC. XXXII. VII. Kalen. Martij, relictâ viduâ Domic. *Annâ van Exaerde*, nobilis apud Flandros prosapiæ. Scripsit *De claris Medicis*, priscis ac recentibus: item Κρεωφαγίαν sive *De esu carnium* libros IV. aliaque, de quibus in Biblioth. Belgica.

Michael Ophemivs, Lovaniensis, tum *Anatomes* & *Chirurgiæ* Professor Regius: pòst Medicinæ Theoricæ Ordinarius & principalis, *Thomæ Fieno* an. CIↃ. IↃC. XXXI. IV. Eid. Maij à Magistratu Lovaniensi successor datus.

Promotio anni CIↃ. IↃC. XXV.

Præsidente Gerardo de Vileers, *Professore Ordinario.*

Ioannes Paludanvs, vulgò *Vanden Broeck*, Lovaniensis, Medicus & Senator fuit urbis Diestemiensis, designatusque successor in Regia Professione *Petri Castellani*, nondum conscensâ cathedrâ præmaturè obijt an. CIↃ. IↃC. XXXII. XV. Kal. Octobris. Illi successit,

---

Vopiscvs Fortvnatvs Plempivs, Amstelodamensis, Medicinæ Doctor, Studij Bononiensis: qui an. CIↃ. IↃC. XXXIII. III. Nonas Augusti admittitur ad Collegium, prævia Disputatione publicâ, absque Præside, solutisque juribus præstari consuetis: & anno sequenti

ſequenti ad Ordinariam Medicinæ Practicæ Lectionem, per mortem *Gerardi de Vileers* vacantem, adſumitur: nuperque Medicus fuit Illuſtriſſ. atque Excellmi D. *Caſpari de Braccamonte & Guſman*, Comitis de Pennaranda &c. Monaſterium Vueſtphalorum ad Pacem univerſalem pro Rege Catholico Legati. Scripſit *Ophthalmographiam*, ſive *De oculi fabrica, actione & uſu, & Fundamenta Medicinæ*, novamque Operum *Avicennæ* ex Arabico molitur interpretationem & editionem.

Promotio an. CIↃ.IↃC.XXXVIII.*pr. Id. Ian.*

PETRVS DORLICX, Zonhovius, tunc opidi Dieſtemienſis Medicus, pòſt Anatomes ac Chirurgiæ Profeſſor Regius.

XII.

DE FACVLTATE ARTIVM.

Commendatio hujus Facultatis & in ea Prælectiones.

INter ceteras Vniverſitatis LOVANIENSIS Facultates, quæ ſunt quinque numero, Vniverſitatem ipſam conſtituentes, Facultas Artium, quæ per Decanum ſive Procuratorem (ita enim primò appellati fuere uſque ad annum CIↃ. CCCC. XXXIX. quo placuit nomen Procuratoris mutari deinceps in nomen Decani) pro tempore in ſpiritualibus & temporalibus regitur, aliarum fundamentum atque initium eſt Facultatum, quippe *ex qua, velut ex fonte, ceteræ ſcaturiant*, ut in Bulla Privilegij Nominationum, eidem Facultati Artium conceſſi, Leo X. Pont. loquitur, *ac ipſa Theologia, per quam Hæreſes confundun-tur, viris litteratiſſimis, tamquam fulgentibus candelabris, claruerit, & florendo clareat*. Et ſanè ita ferè ſeſe res habet, atque ab ipſa origine Vniverſitatis compertum eſt. Prodijt hinc ADRIANVS VI. Pont. Max. qui in

qui in Facultate Artium à teneris annis tam studendo quàm legendo diutissimè versatus fuit, teste *Clemente* VII. *Adriani* in Pontificatu successore, in Bulla Confirmationis & Extensionis prædicti Privilegij. Noverat quippe idem Pont. *Adrianus*, ex ea Facultate fructum uberrimum Ecclesiæ provenire, quam & propterea speciali affectu prosequebatur. Prodiere hinc Archiepiscopi, Episcopi, alijque Prælati plures, ijdemque vel S. Theol. Doctores, quorum Facultas hæc unicum & fæcundum est seminarium, vel ejusdem Theologiæ Iuriumve Licentiati.

Hujus autem Facultatis Nationes quattuor an. CIↃ.CCCC.XXXV. prid. Kal. Febr. sententiâ quadam arbitrali erectæ fuere, nimirum *Brabantiæ, Galliæ, Flandriæ, Hollandiæ*; ordinatumque, ut sub natione Brabantiæ comprehenderentur omnes patriæ & regiones sub alijs nationibus non contentæ; sub Galliæ totum Regnum Franciæ, & dominia omnia illi subjecta, cum territorio Cameracensi; sub Flandriæ, tota Flandria, Comitatus Hannoniensis, Namurcensis, & opidum Machliniense; sub Hollandiæ, præter ipsam Hollandiam, Zelandia, territorium Trajectense, Frisia, terraque omnis maritima versus Septemtrionem. Nationi verò Galliæ, an. CIↃ. CCCC. XLVIII. mensis Octob. die XXV. sententiâ item arbitrali placuit adijci patriam Leodiensem & Lossensem. Dignitatesque ejusdem Facultatis secundùm ordinem Nationum innovari & mutari solent, ac singulæ Nationes suum habent Procuratorem, cujus officium est convocare Nationem suam, quando & quoties opus fuerit. In deliberationibus tamen tum Academicis, tum ipsius Facultatis, sub vel coram uno Decano omnes unà deliberant: Rectorque ex hac Facultate adsumendus ex tota Facultate & in genere, absque respectu ad Nationem aliquam, eligitur.

Itaque Decanus, per quem dixi regi hanc Facultatem, unà cum Deputatis illius, id est Receptore, (cui proximus à Decano locus datur) Procuratoribus quattuor Nationum, & quattuor Pædagogiorum Regentibus, Senatum quemdam sive minus quoddam Concilium constituit; cui ex Indulto Pontificio data potestas nominandi Magistros suos ad beneficiorum Ecclesiasticorum collationes, iuxta Privilegium Leonis X. P. M. Ipsum verò Concilium majus Facultatis hujus constat celeberrimo virorum lectissimorum consessu, quorum plerique vel S. Theologiæ vel Iuris utriusque sunt Licentiati, ijdemque Artium ac Philosophiæ Doctores; nec ferè alij ad hoc Concilium admittuntur. Ejus cogendi potestatem habet idem Decanus vel

Vice-

Vice-Decanum, cum Deputatis, ad instar Commissariorum seu Deputatorum Ordinariorum ipsius Universitatis, est potestas deliberandi ac decernendi de minoris momenti negotijs, idque in Domo, quam eadem Facultas an. CIↃ.CCCC.XLIV. ad hunc usum & similes actus emit. Solet autē Decani esse quadrimestris dignitas seu regimen, atque eligi quotannis ex quattuor Nationibus, prid. Kalen. Octobris, ipsisque Kalendis Februarij ac Iunij. Hodie singulis eligitur semestribus, eodem, quo Rector Academiæ, tempore, ex ordinatione ac statuto dictæ Facultatis an. CIↃ.IↃC.XXXIX. Dignitas porrò Decani apparet ex eo, quòd, ut & superiùs memini, prærogativâ gaudeat consessus post superiorum Facultatum Doctores, Bedello cum sceptro ad publicos Academiæ suæque Facultatis Actus eum præcedente ac deducente.

Ita enim inter alia aliàs controversa quoad Baccalaureos superiorum Facultatum I. V. ac Medicinæ, in aliqua Facultate non birretatos, quibus à Consilijs Universitatis esse liceret, & quoad prærogativam loci, cognitione ad Conc. Brabantiæ delatâ, anno CIↃ.CCCC.XXX. dictum & pronuntiatum fuit, scil. Procuratorem seu Decanum Facultatis Artium pro tempore omnibus trium Facultatum majorum Licentiatis & Baccalaureis præponendum esse: uti & cuilibet Magistro Artium, etiam unius diei tantùm, ante singulos Baccalaureos dictarum Facultatum non birretatos, quantumcumque diu promotos, in consessu publico præeminentiorem locum deberi.

Quòd verò ad studium stadiumque attinet Philosophicum, tironum ad hoc ex trivialibus Scholis recipiendorum probationem aliquam aut tentamenta alia hîc adhibita fuisse à condita Academia non invenio, quàm quòd in numerum Studiosorum Philosophiæ referendus defungi solet præstando eo nomine exiguam aliquam summam pecuniariam. Qua de re in Actis Facult. Artium ad an. CIↃ.CCCC.XXXIII. inveni Statutum tale: *Item statuimus & ordinamus, quòd nullus præsumat Scholares noviter supervenientes indebitis exactionibus gravare, aut iniurijs seu contumelijs molestare. Sed volumus, propter maiorem conformitatem Pædagogiorum, quòd unusquisque talium pro Beianio suo deponendo solvat dimidium Grifonem in Pædagogio illo, in quo commoratus fuerit, seu Lectiones & exercitia visitaverit.* Cavit scilicet id sedulò semper, & etiamnum seriò invigilat Veneranda hæc Facultas, ne Academiarum Germaniæ, & in primis matris suæ Coloniensis, exemplo tirones ad Academiam Lovaniensem confluentes captiosis & jocularibus quæstionibus exagitati, probari, tentari, aut deponi (ut vulgò loquuntur) modis & instrumentis insolitis cogerentur. Quamvis alioqui & mos

ille deponendi non sine exemplo introductus videatur, eoque veterùm Philosophorum, qui neminem in disciplinam suam recipiebant, nisi benè tentatum & probatum, ut de Pythagora testatur A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 9. & de Aristotele lib. 20. c. 4. item exemplo Atheniensium Academicorum, qui, ut est apud Greg. Nazianzenum in Monodia Basilij Magni, novitios suos non nisi captiosis quastiunculis tentatos, ac deinde per forum magnis clamoribus & insultationibus deductos ad balneum, ibidemque benè lotos in numerum discipulorum cooptabant. Verùm sensim, ut fit, ista virtutis morumque probatio in abusim abijt, & ad lasciviam, ad vindictam, ad symposiorum & conviviorum apparatum deflexit. Vt propterea morem illum prædicta Coloniensis Academia non semel conata fuerit vel prorsus abrogare, vel certè ad statum Christiano homine dignum & studiosis minimè gravem revocare.

Stadium seu cursus studij Philosophici, à Kalendis Octobribus inchoandi, hodie biennij spatio decurritur; idque in ædibus ac Scholis eidem Studio anno CIↃ. CCCC. XLVI. auctoritate Decani & Facultatis Artium deputatis, quæ vulgò *Pædagogia* dicuntur, & nomina sua ab insignibus retinuerunt, videlicet, *Castrum*, *Porcus*, *Lilium*, *Falco*: quæ certum est privatas antè domos fuisse & Scholas particulares. Invenio enim anno CIↃ. CCCC. XXXIII. numerata Pædagogia ejusmodi septem, præterque Legentes ac Regentes talium Pædagogiorum fuisse aliquos Regentes in Vico, ut vocant, sive Scholis Artium: qui omnes & singuli partem aliquam Philosophiæ sibi adsignatam statis & diversis horis interpretabantur.

Tempus autem biennij ita distribui solet, ut primi novem menses in tradenda universa *Aristotelis Logica*, præceptisque *Dialecticis* accuratè explicandis impendantur; ut *Philosophia Naturali*, & libris Aristotelis eamdem tradentibus, octo; *Metaphysica* quattuor, & postremò reliqui tres laboriosis doctrinæ, toto biennio traditæ, *Repetitionibus* adsignentur: habitâ etiam ratione *Ethices* seu scientiæ Moralis, ut ea Dominicis ac Festis diebus vel per Professorem publicum in Schola Artium, vel in Pædagogijs per domesticos doceatur Professores.

Cumque in quolibet Pædagogio quattuor sint Ordinarij Professores, quorum duo Primarij dicuntur, qui horis matutinis docent, duo Secundarij, qui horis pomeridianis profitentur: illi inter se juventutis instituendæ onus ita partiuntur, ut Primarius in *Logica* explicet *Introductionem Porphyrianam*, *Categorias Aristotelis*, & *Analytica* ejusdem, cùm priora tum posteriora; in *Physica* libros VIII. *Physicorum*, tres de *Anima*

ac *Metaphysicam*, idque horis matutinis, primò à VI. usque ad VII. (in Metaphysicis tamen Repetitionibus Lectio ad mediam horam extenditur) deinde à X. usque ad medium duodecimæ: ut verò Secundarius, in *Logica* tradat *Prodidagmata*, ut vocant, libros Aristot. de *Interpretatione*, & *Elenchos* ejusdem; in *Physica Sphæram Ioannis de Sacrobosco*, Aristotelis libros IV. de *Cœlo & Mundo*, de *Generatione & Corruptione* duos, ac *Meteororum* tres, & similiter *Arithmeticam*; idque horis pomeridianis, primò à medio secundæ usque ad medium tertiæ, deinde ab hora quarta usque ad medium sextæ; vel tempore Repetitionum, primò ab hora secunda ad tertiam, deinde à medio quintæ usque ad sextam: præter alia Exercitia ac quadruplicia Disputationum genera, quæ partim in Pædagogijs, partim in Schola Artium haberi solent, prout hæc omnia latiùs in Litteris Visitationis anni CIↃ. IↃC. XVII. præscribuntur, quibus observatus ab antiquo in hac Facultate docendi & disputandi modus (qui omnibus sanè sentientibus placere debet) Principum auctoritate ac mandato absque mutatione continuari jubetur. Vt & ratio Tentaminis, Examinisque in ordine ad Licentiæ gradum, hactenus observari consueta; jure eligendi Tentatores atque Examinatores pro Licentia in Artibus, quod Cancellarius Vniversitatis sibi vindicabat, jam inde ab anno CIↃ.CCCC. XXXVI. translato in ipsam Facultatem: qua de re extant litteræ consensus PHILIPPI Ducis, tenoris sequentis.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ &c. Venerabilibus viris Præposito & Decano Ecclesiæ nostræ S. Petri Lovaniensis, nobis sincerè dilectis, salutem & omne bonum. Cùm inter cetera iura officium Cancellariatus, quod ex indulto Apostolico in Vniversitate Studij nostri Lovaniensis geritis, concernentia, vobis competat, hactenusq́ue competierit, electio quattuor Tentatorum sive Examinatorum pro Licentiandis in Artibus, eorumq́ue Licentiandorum inter se collatio & ordinatio; intelligamusq́ue vos huiusmodi Tentatores eligendi & licentiandi, locandi & ordinandi iura, & alia omnia ad promotionem Scholarium in Artibus pertinentia, in ipsam Artium Facultatem plenè resignare & transferre velle, usque ad Licentiam exclusivè ad vestram iurisdictionem retentam, si tamen priùs vobis de nostro ad hoc constaret assensu: animadvertitis quidem, quòd Facultas ipsa pro maiori & diuturniori suppositorum suorum notitia, & Magistros ipsos ad examinandum idoneos certiùs eligere, etiam Scholares suos iustiùs & magis ex morum uniuscuiusque & meritorum dignitate collocare poterit. Quæ rationes quoniam nobis laudabiles videntur, ad prædictam translationem vobis per has patentes litteras plenum nostrum consensum impartimur. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præ-*

sentibus duximus appendendum. Datum in opido nostro Gandensi, mensis Februarij die XVII. *anno Dom.* CIↃ.CCCC.XXXVI. *secundùm usum & stilum scribendi nostræ Curiæ.*

Denique approbatur & modus promovendi ad Licentiam in Artibus, ut scilicet promotio fiat deinceps, secundùm observatam hucusque consuetudinem, nimirum ut non singulorum Pædagogiorum Baccalaurei seorsim, quemadmodũ alibi fieri solet, sed communi omnium Pædagogiorum concursu omnes simul promveantur, idque eo ordine, quem ex votis Professorum, per scedulas datis, eorumdem Pædagogiorum Regentes colligent. Magno verò honori tribuitur inter promotos in Artibus primum nominari & salutari, ut & in secundis tertijsque consistere. Dabo hîc nomina aliquot eorum, qui postmodum gradu scientiæ dignitatisque eminuere: *Sebertus de Neele*, pòst Med. Doct. anno 1430. *Aegidius Baillioeul*, primus, vel primo proximus, pòst S. Theol. Doctor & Prof. 1441. ut & *Petrus de Rivo* S. Th. D. & Prof. 1442. *Adrianus Florentij*, S. Th. D. & S. R. E. Card. ac demùm Pont. Rom. 1478. *Antonius Crabbe*, S. Th. D. & Prof. 1483. *Iacobus Hooghstratanus*, Ord. Prædicat. S. Th. D. Coloniensis, & Hæreticæ pravitatis Inquisitor, 1485. *Nicolaus de Egmunda*, Ord. Carmelit. S. Th. D. & Prof. 1491. *Ioannes Driedo*, S. Th. D. & Prof. 1499. *Franciscus de Cranevelt*, I. V. D. 1503. *Albertus Pighius*, S. Th. D. Colon. Præpositus Vltraject. 1509. *Ioannes Stannifex*, S. Th. L. auctor Comment. Lovan. in Logicam Aristot. 1512. *Gerardus Moringus*, S. Th. L. scriptis clarus, 1513. *Adrianus Amerotius*, L. Gr. Prof. 1516. *Theodoricus Noppenus*, I. V. D. & Prof. pòst Consiliarius Brab. 1518. *Franciscus Titelmannus*, Ord. Minorit. 1521. *Hieremias Triverius*, Med. D. & Prof. 1522. *Gabriel Mudaus*, I. V. D. & Prof. 1523. *Ioan. Mabusius*, Ord. Minor. nominatus primus Episc. Daventriensis, 1524. *Franciscus Sonnius*, S. Th. D. Episc. Silvæducensis & Antverp. 1527. *Gerardus Veltwyck*, Caroli V. Consiliarius & Thesaurarius Ord. aurei Velleris, 1528. *Petrus Titelmannus*, Franc. frater, S. Th. L. & Hæreticæ pravitatis Inquisitor, 1531. *Andreas Masius*, I. V. D. & Cliviorum Duci à Consilijs, scriptis clarus, 1533. *Ioannes Siriacobs à Beveris*, Philosophiæ Prof. celeberrimi nominis, 1536. *Dionysius Sgroots*, I. V. D. Lovan. & Consiliarius Machliniensis, 1539. *Ioannes Hessels*, S. Th. D. & Prof. 1541. *Hieron. Elenus*, I. V. L. cujus etiam scripta extant, 1542. *Cornelius Reyneri*, Gaudanus, S. Th. D. & Prof. 1549. *Gerardus Cavertson*, I. V. D. & Prof. 1552. *Henricus Crockaert* S. Th. D. 1554. *Laurentius Nagelmaeker* S. Th. L. primus per reductiones votorum locum primum obtinuit an. 1563.

an. 1563. *Henricus Cuyckius*, S. Th. D. Episc. Ruræmundensis, 1566. *Leonardus Lessius*, Societ. IESV, 1572. *Petrus Lombardus*, S. Th. D. Archiepisc. Armachanus, Hiberniæ Primas, 1575. *Philippus du Trieu*, Societ. IESV, S. Th. D. Duacensis, 1599. *Cornelius Iansenius*, S. Th. D. & Prof. Episc. Iprensis, 1604. *Henr. Paridanus*, S. Th. & Prof. 1607. *Laurentius Ghiffene* 1613. *Ioannes Sinnigh*, S. Th. D. 1625. *Petrus Stockmans*, I. V. D. & Prof. pòst in suprema Brab. Curia Consiliarius, 1626.

Vt verò in Fastos hosce referamus omnes & singulos quattuor Pædagogiorum Professores Philosophiæ, id fuerit planè ἀδύνατον: plures enim fuere hactenus, quàm ut in calculum veniant; præsertim cùm neque in Actis Facultatis, neque in ipsis Pædagogijs omnium fuerit habita ratio. Celebrat Erasmus lib. XVII. Epist. ad Bern. Buchonem an. 1521. scriptâ, *Hermannum VVestphalum*, *Adrianum Suessionium* (fortè is *Adrianus* est *Amerotius*, Suessione oriundus) & *Melchiorem Trevirum*; celebresque scriptis inter eos fuere non pauci: ut in primis *Ioannes Stannifex*, de Gosleto, S. Th. L. & Philosophiæ in Gymnasio Porcensi Prof. auctorque, ut dixi, *Commentariorum in Logicam Aristotelis*, qui nomine *Facultatis Artium Lovaniensis* circumferuntur: ut *Ioannes Beverus*, ibidem per annos XXIII. Professor, cujus nomine Lovanij an. 1567. editi sunt *Commentarij in libros Aristot. De Physica Auscultatione*: ut *Ioannes Rubus*, ex eodem Pædagogio Duacum ad nova auspicia Professionis Philosophicæ evocatus, & novâ *Organi Aristotelici* versione clarus: ut *Augustinus Hunnæus*, qui in Gymnasio Castri docuit, & *Dialectices* ac *Prodidagmatum* editione inclaruit; nuperque *Libertus Fromondus* & *Laurentius Ghiffene*, ille in Collegio Falconis *Meteorologicorum* libb. VI. hic in Lilio *Prodidagmata*, id est primam Logicæ partem, vulgando, gustum uterque Philosophiæ dedit Lovaniensis.

Præterea publicè profitentur in hac Facultate atque in Scholis Artium Professores duo, ijdemque Canonici novi Collegij, auctoritate Eugenij IV. Pont. anno CIↃ. CCCC. XLIII. in Ecclesia D. Petri erecti, alter Ethices sive Philosophiæ Moralis, alter Rhetorices Eloquentiæque: ille Dominicis Festisque diebus horâ decimâ, hic Martis ac Iovis. Primique pòst erectionem hujusmodi ex conventione inter opidum Lovaniense & Facultatem docuere, Ethicam *M. Ioan. Hasselt*, Rhetoricam *Ioan. Block*. Ita habent Acta ejusdem Facult. an. CIↃ. CCCC. XLIV. Nonis Octob. Et an. CIↃ. CCCC. XLVI. IV. Non. Martij ordinatum fuit, quòd Lectio Rhetorices deinceps fieret in Scholis Artium, quodque Baccalaurei eam tenerentur audire, & de eo probare per signetum Lectoris Rhetorices. Sed & antè, ab ipsis scilicet Academiæ

incunabulis, Ethicam Rhetoricamque per certos huic muneri deputatos lectam fuisse eadem Acta docent: ut anno CIƆ. CCCC. XXVIII. die XXIV. Sept. quando ad hoc viâ scrutinij dicitur electus *M. Ioannes Flamingi*, ut legeret librum Ethicorum: cujus deinde die X. Novemb. admissa supplicatio, ut per Lecturam Ethicæ censeretur Regens in dicta Facultate. Item anno CIƆ. CCCC. XXX. die XXVIII. Sept. jussus est legere librum Ethicorum *M. Ioannes Block*. Anno CIƆ. CCCC. XXXIV. electus in Ethicum *M. Henricus Loe*. Denique an. CIƆ. CCCC. XLII. die VII. Sept. placuit Lecturam hujusmodi deferri alicui quotannis sub onere Quodlibetarij.

Primus itaque Ethices Professor ordinarius & Canonicus novæ fundationis fuit *Ioannes ab Hasselt*, Licent. in Decretis, & Decanus Hoxsemiensis, prope Hugardiam, cujus *Commentarij sive Prælectiones in Ethicam Aristot.* leguntur Lovanij ad S. Martinum, ab ipso auctore donatæ. Hunc ordine secuti sunt, *Ioannes Moeselaer*, aliàs *Streelinx*, S.Th. Baccal. Obijt anno CIƆ. CCCC. XCIX. prid. Kal. Octob. *Guilielmus de Vianen*, tunc S. Th. Baccal. *Antonius Guilielmi* à Poortvliet, S. Th. B. anno CIƆ. IƆ. V. Moritur an. CIƆ. IƆ. XIV. Kal. Octob. *Nicolaus Coppin*, S. Th. Doctor, eodem anno, IV. Non. Novemb. *Cornelius Sculteti*, de Vueerdt, S. Th. L. CIƆ. IƆ. XX. IX. Kal. Iulij. Obijt an. CIƆ. IƆ. XXXIX. die penult. Martij; *Ioannes de Scarley*, Silvæducensis, S.Th. L. eodem anno. Obijt an. CIƆ. IƆ. XL. IX. Kal. Octob. *Hermes Pyn*, Rotnacensis, cui an. CIƆ. IƆ. XLIV. Religioni Societ. IESV nomen danti successit *VVernherus Aerdius*, à Neomago, S. Th. L. *Henricus Cuyckius*, an. CIƆ. IƆ. LXXII. *Bartholomæus Ingelius*, S.Th.L. an. CIƆ.IƆ. LXXXVII. *Petrus Louwius*, Silvæducensis, an. CIƆ. IƆ. XCII. XI. Kal. Iulij: *Guilielmus Mercerus*, *Ioan. Schinckelius* an. CIƆ. IƆC. XI. *Guil. ab Angelis*, CIƆ. IƆC. XIV. *Antonius Dave*, CIƆ. IƆC. XXV. S. Th. Doctores.

Rhetor primus & Canonicus secundæ fundationis fuit *M. Ioannes Block*, S. Th. L. Plebanus Hoochstratanus. A cujus morte, quæ incidit in annum CIƆ. CCCC. LIII. Facultas Artium, sollicita & satagens pro successore, requisivit ad hoc reliquas Facultates, dignarentur cooperari circa provisionem dictæ Lectionis; eo in primis attento, quòd Lectura Rhetoricæ ordinata esset secundùm formam Bullæ Apostolicæ desuper editæ, ad utilitatem & honestatem nedum Facultatis Artium, sed totius Vniversitatis; ad quam cum honore & fructu obeundam necesse sit eligere & instituere Lectorem seu Professorem Rhetorices variâ scientiâ & insigni eloquentiâ in primis commendabilem,

ad

ad quem studiosi è qualibet Facultate recursum habeant, quique famâ nominis sui impleat exornetque totam Vniversitatem. Verùm cùm opidum, pristini Senatus & Burgimagistrorum auctoritate, ad eamdem Lecturam præsentasset *M. Hugonem de Harlem*, tamquam idoneum, isque à Decano Ecclesiæ S. Petri ad beneficium tali Lecturæ deputatum institui postulasset; jus hoc modo quæsitum putavit sibi non auferendum, mansitque deinceps in pacifica possessione & usu hujus suæ præbendæ ac Professionis. Successitque

Petrus à Rivo, pòst S. Th. D. & Prof. auspicatus hanc suam Lectionem an. CIↃ. CCCC. LX. prid. Non. Iulij.

Henricus Deulin, de Minorivilla, pòst Decret. Doctor & Prof.

Ioannes de Palude, Cassiletensis, cujus ad Pet. Ægidium de Vtopia Thomæ Mori legitur Epistola. Moritur an. CIↃ. IↃ. XXV. X. Kal. Martij. Vixit familiaris Des. Erasmo, Thomæ Moro, Adriano Barlando, qui præceptoris sui meminit alibi his verbis: *De eadem re iuvenis olim annos circiter* XX. *natus in Scholis audivi differentem* Ioannem Paludanum, *virum mehercle magni iudicij & Latinarum litterarum eximiè peritum, cui Lovanij, cùm hominem exuisset, nos in Rhetorica publicâ Professione successimus.*

Barlando verò Historiâ Ducum Brabantiæ, alijsque libris in lucem editis claro, an. CIↃ. IↃ. XXXIX. die XXII. Decemb. successit *Arnoldus Ghinckt*, de Hasselt. S. Th. Baccal. qui anno CIↃ. IↃ. XLIX. Idib. Ianuarij desijt esse in vivis.

Guilielmus Lupus, vulgò *VVolffs*, Godsenhovius, S. Th. B. eodem anno, IV. Kal. Iulij. Vitam S. Trudonis carmine descripsit, excusam cum Gerardo Moringo de Vita ejusdem, Lovanij an. 1540.

Levinus Ghoir, S. Th. L. Collegij Gandensis Præses, an. CIↃ. IↃ. LXXXVII.

Ioannes Baptista Grammaius, Antverpiensis, I. C. Sereniss. Principum & Provinciarum Belgicarum Historiographus, qui varia scripsit, pleraque illustrandis Vrbibus, rebusque Belgicis, quæ in Biblioth. Belgica recenseo.

Nicolaus Vernulæus, ex Ducatu Luxemburgensi oriundus, S. Th. L. Cæsareus Regiusque Historiographus, ab anno CIↃ. IↃC. XI. provinciam illam sustinuit, ac varia quoque scripsit, Poëtica, Oratoria, Politica, Historica: *Tragœdias* XII. varij argumenti; *Orationes*, cùm sacras tum alias varij quoque argumenti; *Institutiones Politicas*, *Ethicas*, *Oeconomicas*, aliaque, de quibus alibi. Occasione autem provisionis de *Vernulæo* factæ orta fuit difficultas inter Magistratum opidi Lovaniensis

vaniensis & Facultatem Artium. Facultate prætendente, neminem ad Lectiones Ethices & Rhetorices, vel earum alteram, posse per Magistratum promoveri, qui non antea triennio in eadem Facultate rexerit aut legerit; idque propter verba Bullæ Eugenianæ, *vel qui per triennium legerunt, vel rexerunt, post susceptionem Magisterij gradus, in Artibus Magistris.* Deinde neminem Magistratui pro aliqua dictarum Lectionum posse supplicare, non obtentâ antea ad hoc à Facultate veniâ; quod hactenus dicebat semper fuisse observatum. Contrà prætendente Magistratu, se liberè & independenter à Facultate Artium dictas Professiones, & præbendas eis adnexas, cuicumque, dummodò idoneo, validè conferre posse; quandoquidem similes altioribus Facultatibus adnexas hactenus semper contulerit, & etiamnum pacificè conferre soleat. Nec obstare verba Bullæ, quæ ad tempus concessionis ejusdem Bullæ restringenda, & non ad futurum extendenda esse ob certas rationes contendebat. Multò minùs statutum aut usum Facultatis: nam per illud ne vel in minimo jus suum diminui vel modificari posse adserebat; per hunc verò, utpote privatum & minimè notorium, non potuisse juri suo ullum præjudicium creari. Verùm placuit tandem negotium hoc amicè componi, his conditionibus.

Quòd nulli deinceps Lectio Ethices aut Rhetorices à Magistratu conferetur, nisi ei, qui per triennium in Facultate rexerit, aut in ea Philosophiam vel etiam Rhetoricam (si de provisione huius Lectionis agatur) in aliquo quattuor Pædagogiorum legerit, ijsq; deficientibus alicui de Concilio eiusdem Facultatis existenti. Poterit tamen Magistratus, etiam ijs deficientibus, easdem Lectiones, aut alteram earum, cum præbendis adnexu, cuicumque idoneo liberè conferre. Ita quòd in posterum nemo tenebitur à Facultate veniam petere, ut Magistratui pro ijsdem Lectionibus supplicet. Vernulæum verò, ratione cujus erat orta hæc difficultas, dicta Facultas admisit, dispensans super omnibus, quæ poterant in eo deesse aut requiri. Moritur is anno Dom. CIↃ. IↃC. XLIX. ætatis LXVI. Professionis XXXVII. Præsidentiæ in Collegio Myliano XXX. VIII. Idus Ianuarij, nactus successorem eodem anno X. Kal. Martij *Iudocum Houbraecken*, Geldropium, S. Th. L. Professorem Philosophiæ in Pædagogio Standonck, vulgò Porci.

Sed & Professio Matheseos hujus ferè est, & ab initio fuit, Facultatis. Invenio enim moris fuisse in hac Facultate, ut quotannis singulis Magistris, Legentibus & Regentibus, certæ partes Philosophiæ seu libri singulares prælegendi adsignarentur, etiam scientiæ Mathematicæ inter septem Artes liberales non postremæ; atque anno CIↃ. CCCC.

XXXI.

XXXI. VIII. Idus Octob placuisse eidem Facultati, rogandum esse *Ioan. de VVesalia*, *Doctorem in Medicinis, & expertum in Astronomia, ut vellet in Scholis Artistarum Mathematicam legere*: verùm, eo se excusante, demandatam fuisse hanc provinciam *M. Ioanni de Helmont*, & sic deinceps alijs atque alijs. Sed & anno CIↃ. CCCC. XLV. die XXV. Octob. decreverat Facultas, ut *Ioannes Block* pro eo anno legeret Mathematicam, ratione præbendæ, quam tunc de novo auctoritate Apostolicâ erectam ab opido obtinuerat: verùm is deinde Rhetorices Professionem sustinuit, cui dictam præbendam deputari placuit.

Extra dictam Facultatem Professio hujusmodi publicè haberi non solet; at neque privatim, nisi quando *Rainerus Gemma*, Frisius, Doctor Med. in hac scientia plurimùm versatus, ejus capessendæ ergò plurimos, & quidem Nobilitatis titulis insignes, Lovanium attraxit, filiumque reliquit in eadem scientia non inferiorem patre *Corn. Gemmam*: quando & *Gerardus Mercator*, Rupelmondanus, primis vitæ suæ annis Cosmographiam Lovanij potissimùm excoluit.

Anno CIↃ. IↃ. LXIII. institutas reperio à S. P. Q. Lovaniensi Lectiones binas, easque publicas, in Dialectica ac Mathematica, verùm Vniversitate, Facultateque tunc repugnante. Accessit deinde & Regia auctoritas, Ordinumque Brabantiæ munificentia, primusque Mathesin publicè professus est *Petrus Beausardus*, Lovaniensis, Medicinæ Doctor: cui an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. humanis exempto post aliquantum intervallum temporis (Regijs an auspicijs nescio) successit *Adrianus Romanus* Lovaniensis, auspicatus Lectionem suam Mathematicam an. CIↃ. IↃ. LXXXVI. *Romanum* in Germaniam evocatum excepit *Ioan. Sturmius*, Machliniensis, Med. Doct. *Sturmio* octogenario majori vicariam aliquamdiu operam præstitit *Gerardus Gutschovius*, Lovaniensis, Med. Licent. idque referto satis auditorio, nec minori cum fructu. Verùm is deinde Antverpiam, Mathesios potissimùm caussâ, evocatus (agente in primis V. N. *Iacobo Edelheer*, Lovaniensi, urbis illius Syndico, artiumque Mathematicarum & scientissimo & admiratore summo) cathedram illam toto ferè quinquennio vacuam reliquit, donec, resignante *Sturmio*, anno CIↃ. IↃC. XLVI. Regijs auspicijs Ordinumque Brab. beneficio successo Professorque designatus est.

Propriæ quoque hujus Facultatis sunt Disputationes Quodlibeticæ, sive de quolibet, ut vulgò loqui, recepto hactenus vocabulo, amant, anno CIↃ. CCCC. XXVII. XVI. Kal. Octob. institutæ, circa Festum S. Luciæ jam inde solemniter in Schola Artium haberi solitæ. In his Magister unus Disputans solet proponere cuilibet Magistrorum

ſtrorum reſpondere volentium Quæſtionem unam cum Argumentis ac duobus Quodlibetis, ipſeque Magiſter Reſpondens ad primam reſpondere per tres Concluſiones & tria Corollaria; ad alia verò duo Quodlibeta ſimpliciter rationem quæſiti adſignando. Et ut hujuſmodi actum Quodlibeticum auditores frequentiores viſitent, permiſſum eſt jocoſa ſerijs miſcere, modò non ſint turpia, diffamatoria, vel ullâ ratione offenſiva. Ita ferè habent Acta & Statuta ejuſdem Facultatis.

Denique ab origine Academiæ etiam litterarum ſive Grammaticæ ſtudium in Pædagogijs viguit: & memini vidiſſe *Exemplum reformatæ rationis Studiorum*, cùm Grammaticæ, tum Philoſophiæ, ſive Formulam Artium tradendarum in Pædagogio Caſtrenſi, anno CIↃ.IↃ.LXI. typis editam, in quam ita luſit *Corn. Valerius*, publicus Linguæ Latinæ in Collegio Trilingui Buſlidiano Profeſſor.

Prima reformati Studij laus veſtra feretur,
Vt res cumque cadat, colitis qui caſtra Minervæ,
Caſtrenſemq́, Scholam regitis, pubemq́, docetis.

Hodie deſierunt litteræ humaniores in Pædagogijs doceri, Porcenſi excepto; ideo fortè, quia paſſim per omnia ferè opida, & quidem plures, ejuſmodi Scholæ uno in loco ſint erectæ, & adhuc eriguntur, à PP. Societatis IESV, Auguſtinianis, alijſque: & Lovanij, præter Porcenſe, eſt Collegium *Vaulxianum*, vulgò *Gandenſe*, de quo inferiùs dicendi locus erit, & *Auguſtinianum*, factâ poteſtate à Rectore & Vniverſitate PP. Auguſtinianis Scholas aperiendi litterarias anno CIↃ.IↃC.XII. VII. Kal. Martij, ſub certis conditionibus per R. P. *Thomam Gratianum* Priorem-Provincialem ejuſdem Ordinis acceptatis & obſervari promiſſis, quarum hæc ſumma. I. Vt Regentes, Præceptores & diſcipuli matriculæ Vniverſitatis inſcribantur. II. Vt ſe intra Profeſſionis litterariæ contineant limites, ſolamque Dialecticam explicent. III. Vt quoad didactra recipienda, vel non, eorumve quantitatem, ſe conforment Collegio Vaulxiano, alijſque Scholis litterarijs Pædagogiorum. IV. Vt ſtudioſis, vel eorum parentibus, omnimodam relinquant libertatem eligendi Pædagogium, quod eis viſum fuerit.

De IV.

De IV. ejusdem Facultatis Artium

PAEDAGOGIIS.

NVnc ad Pædagogia sive Gymnasia, in quibus Philosophia docetur, eorumque primos Institutores Benefactoresque transeamus. Absit enim, ut in Fastis hisce debitus non tribuatur locus ijs, qui hanc Vniversitatem, toto orbe celebrem, in Fide Orthodoxa semper constantem, & florentem omni studiorum genere, Collegijs, alijsque pijs Fundationibus, quas Bursas vulgò nuncupant, auxerunt, promoverunt, stabilierunt; unde inenarrabilis in Ecclesiam Dei fructus promanat. Neque enim gratus & Christianus animus oblivisci umquam eorum potest aut debet, per quorum munificentiam in studio Sapientiæ & Pietatis profecerit. Vnde & piè prudenterque à majoribus nostris anno CIↃ. CCCC. LX. institutum fuit, ut postridie Animarum Fidelium, id est III. Nonas Novemb. anniversaria fiat commemoratio, cum solemni Missæ officio, pro Academiæ Fundatoribus ac Benefactoribus: prout & singulæ Facultates, singula item Colllegia, & pleræque Fundationes sua habent Anniversaria, variasque pro Benefactorum suorum salute commemorationes & preces.

Cùm verò duplicis generis sint Collegia; alia, in quibus docetur & exercetur juventus, quæ PÆDAGOGIA vulgò nuncupant, quæque regimini Decani & Facultatis Artium subjacent, quamvis & juventus frequens in ijs alatur, item Collegium *Trilingue Buslidianum*, trium Linguarum Professioni potissimùm destinatum, & Collegium *Gandense*, quod & *Vaulxianum*, Humanitati sive rei litterariæ dicatum; alia soli Scholarium alimentationi deputata: nos primum hîc *Pædagogijs* locum dabimus, quibus *Standonicam* subijciemus *Domum pauperum*, ut propriam quodammodò huic Facultati, quamvis & Theologi in ea alantur; alterum Collegio *Trilingui Buslidiano*, ac *Vaulxiano*: de ceteris deinceps eo ferè ordine dicemus, quo suum singula initium acceperunt; tum de Collegijs Ordinum Religiosorum.

PÆDAGOGIVM
CASTRI.

GODFRIDUS VAN GOMPEL, de Desschel, Artium Magister, Canonicus & Cantor in Ecclesia Collegiata S. Ioannis Euang. Silvæducis, ex primis fuit Magistris, Facultatem Artium repræsentantibus, in ipsis auspicijs novelli Studij Generalis, primusque Fundator & Regens primarius Pædagogij Castri. Anno enim CIↃ. CCCC. LVII. per Executores testamenti sui, *Ioannem Varevacker*, S. Theol. Doct. & Professorem, *Henricum de Puteo*, Presbyterum, Capellanum Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri, *Ioannem & Martinum van Gompel*, fratres, erigi voluit ex ædibus suis (in quibus ipse unà cum *Hermanno Brandt*, de Boxtel, Decret. Baccal. anno CIↃ.CCCC.XLIII. die XX. Decemb. investitus fuit, & cum eodem legere ac regere juventutem solet) Pædagogium sive Collegium Scholasticum, in Facultate Artium, ad usum pauperum Scholarium; tot numero, quot sustentari commodè possent: ita tamen, ut quilibet ad minus haberet decem florenos Rhenenses annuos. Hodie Bursæ seu portiones sunt tres. Placuit autem adsumi ad præbendas Collegiales, & Scholares, & Magistrum, qui eos dirigat, de sanguine seu cognatione Fundatoris existentes, si inveniantur idonei, aut aliàs ex vico de Desschel, vel loco vicino ac contiguo. Institutores seu Provisores prædicti Pædagogij ab ijsdem Executoribus nominati fuere, Plebanus Ecclesiæ S. Petri, Decanus Facultatis Artium, & unus de sanguine, dummodò talis in Vniversitate Lovaniensi commoretur, & sit Artium Magister, vel Sacerdos, vel in aliqua superiorum Facultatum graduatus. Obijt Fundator anno CIↃ. CCCC. LVII. die XI. Aprilis, sepultus in templo D. Gertrudis, ante Altare Virgini Dei-paræ sacrum; ubi sarcophago, posito tribus Regentibus Castri, *Godefrido de Gompel*, *Hermanno Brandt* & *Reinero Rotario*, Leodiensi, perperam insculptum est, mortuum *Godefridum* anno CIↃ. CCCC.LV. die penult. Ianuarij. Hos tres in regimine Collegij deinceps ordine secuti sunt, *Ioannes Moeselaer*, aliàs *Streelincx*, S. Theol. Baccal. *Antonius Gulielmi à Poortvliet*, Zelandus, S. Th. B. *Cornelius Sculteti*, aliàs *Braxatoris*, de Vucerdt, S. Th. Licent. *Ioannes Steinaerts*, de Meeuwen, S. Th. B. *Ioannes Laet*, de Baerdtvuyck, S. Theol. Licent. an. CIↃ. IↃ.LXI.

Martinus

Martinus Ionathas, de Deſſchel, S. Th. B. an. CIↃ. IↃ. LXVII. *Petrus Gerardus Pottius* an. CIↃ. IↃ. LXXIV. *Ioannes Bruninex*, CIↃ. IↃ. LXXV. eoque an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. deferente Pædagogium, manſit deinceps ob tumultus bellicos aliquot annis clauſum: *Antonius Lollius* CIↃ. IↃ. LXXXIX. *Franciſcus Paludanus* CIↃ. IↃ. XCVI. *Andreas Laloo* CIↃ. IↃC. *Ioannes Buterne*, Montenſis, S. Th. B. & I. V. L. Canonicus Tornacenſis, CIↃ. IↃC. III. Migravit hinc ad Collegium Viglianum: *Petrus Lombaerts*, Balenſis, S. Th. B. Canonicus Harlebecanus, CIↃ. IↃC. XIV. *Antonius Noyelle*, Binchienſis, S. Th. B. & I. V. L. idemque Profeſſor Philoſophiæ primarius, an. CIↃ. IↃC. XVII. poſt Canonicus, Officialis & Decanus Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis: *Ioannes Vuillemot*, Binchienſis, I. V. L. Canonicus Audomarenſis, CIↃ. IↃC. XXIII. *Robertus Molle*, Montenſis, S. Th. B. CIↃ. IↃC. XXXVII. qui Pædagogium non parum inſtauravit & ornatius reddidit, ædificijſque auxit. Auxerunt & alij pijs Fundationibus.

1. *Godefridus Godevaerts*, ab Hakendevele, Decretorum Licent. Capellanus Eccleſiæ D. Petri. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXIV. die XXIV. Iunij. Collegium Burſalium ſex, quorum unus Magiſter eſſet, reliqui Scholares in Artibus, de ſuo ſanguine, fundaverat, ſed dote tenuiſſimâ; unde hodie unica tantùm Burſa eſt.

2. *Ioannes Varenacker*, de Ruyſlede, Flander, S. Theol. Doctor & Prof. ac Plebanus Eccleſiæ S. Petri; ejuſque frater *Guihelmus*, dictæ Eccleſiæ Theſaurarius, & Paſtor in Vuinxele. Moritur ille an. CIↃ. CCCC. LXXV. die IV. Ianuarij, hic verò an. ..... die XVI. Novemb. B. I V.

3. *Henricus de Gheſtel*, S. Th. Baccal. Formatus, & Decanus Eccleſiæ S. Rumoldi apud Machlinienſes, an. CIↃ. CCCC. LXXVI. B. II.

4. *Reinerus Rotarius*, Leodienſis, ibidemque ad S. Dionyſium Canonicus, & Regens Caſtri. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXVI. menſis Aprilis die ſecundo, hærede inſtituto ipſo Pædagogio, juxta diſcretionem ſuorum Executorum; cujus proinde à Facultate nominatur ſecundarius Fundator. B. II.

5. *Aegidius de Platea*, Canonicus Leodienſis & Archidiaconus Hannoniæ, ex primis Cartuſiæ Lovanienſis benefactoribus, obijt an. CIↃ. CCCC. LXXXIX. V. Idus Decemb. Legavit Pædagogio Caſtri ad uſum Studioſorum coronas XV. annuè, quæ tranſlatæ ſunt ad Fundationem *Varenacker*.

6. *Petrus De Rivo*, Aloſtanus, S. Theol. Doctor & Plebanus Eccleſiæ S. Petri, an. CIↃ. CCCC. XCIX. præter alia pia legata, domum, quam inhabitabat, donavit Pædagogio Caſtri, ſub conditione, *ut*

omnes Bursales & Commensales doctrinentur iuxta statutum, quod Facultas Theologica fecit de futuris contingentibus, ad requisitionem Facultatis Artium. B. III.

7. *Ioannes Moeselaer*, aliàs *Streelincx*, S. Theol. Baccal. Regens Pædagogij, moritur an. CIϽ. CCCC. XCIX. prid. Kal. Octob. sepultus in Ecclesia S. Gertrudis. B. VI. duæ pro Lovaniensibus, & totidem pro Bruxellensibus & Antverpiensibus.

8. *Andreas Eligij*, de Middelburgo, Frater novitius Minorum, Conventus Lovaniensis, CIϽ. IϽ. III. B. I.

9. *Antonius Gulielmi*, *à Poortvliet*, Zelandus, ex Tolensi insula, S. Th. Baccal. Regens Pædagogij, & Canonicus secundæ fundationis in Ecclesia D. Petri, obijt an. CIϽ. IϽ. XIV. Kal. Octobrib. B. II.

10. *Gualterus de Beka*, cognomento *de Leeuwe*, ex Aerle-Beka Brabantiæ, I. V. D. & Legum Professor primarius, an. CIϽ. IϽ. XVII. B. II.

11. *Ioannes Adriani Hille*, à Giersdyck, Curatus portionis unius Parochialis de Emelissa, in Noort-Bevelandia, an. CIϽ. IϽ. XXVII. B. I.

12. *Ioannes Nicolai de Palude*, Decret. Doct. an. CIϽ. IϽ. XXVII. B. I.

13. *Gulielmus Ioannis*, de Vianen, S. Theol. Doctor & Plebanus Ecclesiæ D. Petri, an. CIϽ. IϽ. XXIX. B. II.

14. *Cornelius Sculteti*, aliàs *Braxatoris*, de Vueerdt, S. Th. Licent. Capellanus Ecclesiæ S. Petri & Regens Pædagogij, anno CIϽ. IϽ. XXXI. die XV. mensis Septemb. per suum testamentum reliquit Pædagogio Pomarium magnum, adjacens domui Scholari prope Voeram. Vide Vuamef. Consf. CCCC. XXIII.

15. *Henricus de Milde*, Rector Ecclesiæ de Vuortel, diœcesis Cameracensis, & Capellanus ad S. Georgium Antverpiæ, an. CIϽ. IϽ. XL.

16. *Gummarus Librecht*, Liranus, & *Barbara Baecx*, conjuges, an. CIϽ. IϽ. LIV. Fuit *Gummarus* nauta, sed viduus in ætate decrepita optavit Sacerdos mori; quod eidem uno Sacro peracto obtigit. B. I.

17. *Daniel Cluts*, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis, an. CIϽ. IϽ. LVII. Condidit testamentum an. CIϽ. IϽ. XLIX. die XV. Decembris. B. I.

18. *Gerardus Spyckerman*, Horstensis, Capellanus Ecclesiæ D. Gudulæ Bruxellis, an. CIϽ. IϽ. LVIII. B. II.

19. *Ioannes Stouten*, Decanus ad D. Paulum Leodij. B. I.

20. *Barbara Tasse*, Antverpiensis, novitia in Camera nostræ Dominæ, Ord. Cistertiensis, prope Bruxellam: electa paullò pòst ob præclaras animi dotes in Dominam Abbatissam. B. II.

21. *Marti-*

21. *Martinus Cools*, Aloſtanus, Cantor, Canonicus & Plebanus Eccleſiæ S. Gudulæ Bruxellis, condito an. CIↃ. IↃ. LVI. die XIX. teſtamento. B. II.

22. *Henricus Leyns*, Presbyter & Capellanus Eccleſiæ S. Vualdetrudis in opido Herentalenſi, an. CIↃ. IↃ. LXIV. B. I.

23. *Gerardus Sonnius*, Capellanus Eccleſiæ S. Servatij Trajecti ad Moſam, an. CIↃ. IↃ. LXV. B. I.

24. *Cornelia Stickel*, Virgo Amſtelodamenſis. B. IV.

25. *Ioannes Reyneri*, de Vueerdt, S. Theol. Licent. & Decanus Eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ Silvæ-ducis, an. CIↃ. IↃ. LX. B. IV. pro ſtudioſis in Artibus (& tunc in Pædagogio Caſtrenſi habitare tenentur, vel etiam alibi, & aliud viſitare Pædagogium, de conſenſu Inſtitutorum ſeu Proviſorum) deinde in Theologia aut Iure.

26. *Ioannes Santvliet*, ab Eeckeren, Artium Magiſter, Paſtor Eccleſiæ Liranæ. B. II. altera Theologica.

27. *Stephanus Iacobi*, à Brouwershaven, Paſtor Eccleſiæ S. Gertrudis in opido Lovanienſi, an. CIↃ. IↃ. XCIX.

28. *Guilielmus Michaelis*, de Deſſchel, Paſtor Begginagij Tungrenſis, obijt an. CIↃ. IↃC. IX. die XXIV. Octob. Hic in teſtamento ſuo, condito eodem anno die XIII. Febr. fundavit duas Burſas, ad uſum duorum ſtudentium Philoſophiæ in Pædagogio Caſtri; quas, deficiente cognatione, voluit uniri tribus Burſis Scholarium Deſſelenſium *Godefridi de Gompel* in dicto Pædagogio.

29. *Guilielmus ab Angelis*, vulgò *Engliſche*, Romerſvualienſis, Plebanus Hoochſtratanus. Obijt circa an. CIↃ. IↃC. XIV.

30. *Petrus à Fine*, Liropius, S. Theol. Doctor & Profeſſor, anno CIↃ. IↃC. XV. B. II. pro ſtudioſis in Artibus, & poſtea in Theologia.

31. *Nicolaus Dama*, Paſtor Tilroenſis in Waſia Flandriæ, pridem oſtiarius Pædagogij, CIↃ. IↃC. XXXVIII. B. I.

32. *Arnoldus van Hove*, Ghelenſis, Paſtor in Safflaer, pago Flandriæ, obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIX. die XXVII. Decemb. B. II.

PAEDA-

PÆDAGOGIVM
STANDONCK, vulgò PORCI.

INſtitutor Rectorque primus Pædagogij hujus fuit HENRICVS DE LOE, Lovanienſis, S. Theol. Baccalaureus, qui in prima formali Facult. Artium promotione primum locum obtinuiſſe dicitur, quique an. CIↃ. CCCC. XLI. die XIX. Iulij eidem Facultati, mundoque valedicens, in Domo Capellæ prope Angiam, Hanoniæ opidum, Religionem Cartuſiani inſtituti profeſſus eſt, exactiſque in eo Ordine quadraginta annis, ætatis anno LXXV. Chriſti verò CIↃ. CCCC. LXXXI. ibidem felici fine opinioneque ſanctitatis in Domino obdormivit, de quo vide Pet. Dorlandum lib. VII. Chronici Cartuſ. c. 31. & Arn. Boſtium de Viris illuſtribus ejuſdem Ord. c. 34. Domum ſuam huic Pædagogio ad Scholæ unius uſum reliquit IOANNES WIDOE, ab Herck, Regens ejuſdem, ſitam in platea, ut vocant Præpoſiti, è regione Porci ſilveſtris, unde eadem Schola vulgò Pædagogium Porci dici cœpit. Obijt *VVidoe* an. CIↃ. CCCC. LXXIII. Idem Pædagogium vulgò quoque *Standonici* nomine innoteſcit, vel à Collegio vicino, cujus Fundator exitit *Ioannes Standonck*, vel potiùs quia ipſum Pædagogium, ejuſve pars, ubi ſcil. hodie Domus Standonicæ hortus eſt, & in vicino angiportu, à *Theodorico Thomæ*, Amſtelodamenſi, ejuſdem Regente (qui illud à *Nicolao de Mera*, ſimiliter Regente emerat, & vivere deſijt an. CIↃ. IↃ. XXXIII. menſis Martij die X.) vendita *Adriano Florentij*, tunc Domus Standonicæ Viſitatori à Collegio Montis Acuti Pariſienſis conſtituto, pauperibus ceſſit Standonicis. Vnde orta nuper inter Patrem ejuſdem Domus & Proviſores hujus Pædagogij controverſiâ ſuper jure dictæ Domui in Pædagogio Porci competente, & adminiſtratione utriuſque, eaque delatâ ad Rectorem & Vniverſitatem, examinatis utrimque cognitiſque meritis cauſſæ, anno CIↃ. IↃC. XIV. XIV. Kal. Auguſti ſtatutum & ordinatum fuit, prout ſequitur. I. Rata & indubitata maneto commiſſio Collegij Montis Acuti Pariſienſis, quâ per *Adrianum Florentij*, de Trajecto, conſtituti Proviſores Domus Standonicæ Prior Carturſiæ Lovanienſis & Plebanus Eccleſiæ D. Petri pro tempore; penes quos ſit & maneat poteſtas conſtituendi non ſolùm Domus Standonicæ Rectores,

Rectores, verùm etiam Leges, Reformationes, Statuta &c. II. Proprietas Pædagogij Standonck maneto penes Domum Standonicam, ejusq; ratione Pædagogiū servato, in litteris præsertim publicis, nomen Pædagogij Standonck, omnisque supercxcrescentia, oneribus & necessarijs ædificationibus & reparationibus deductis, redito ad Domum Standonicam. III. Divisio familiarum, habitationum, atque administrationis maneto, qualis ab immemoriali tempore fuit. IV. Ad dictos Provisores spectato electio, institutioque Regentis Pædagogij, unà cum Patre Domus Standonicæ. V. Idem Pater, unà cum Provisoribus, audito, approbato, reprobato, signato computum Pædagogij. VI. In recognitionem proprietatis, vacante Regentiâ Pædagogij, habetor ratio Patris, si eam postulaverit; ac vacante Professione aliquâ, cæteris paribus, præferuntor in Domo Standonica promoti. VII. Ad prandia Actuum, aliarumque solemnitatum, invitator Pater, interque invitatos locus ei dator proximus à Decano Facultatis Artium. Complectitur autem hodie Pædagogium Porcense etiam ædes Reverendiss. *Henrici de Bergis*, Episcopi Cameracensis, (cujus indicio sunt insignia ejusdem, quæ etiamnum ibidem visuntur) à quo eas circa annum CIↃ. IↃ. XVI. emit *Ioannes Lengbetant*, Binchiensis, S. Theol. Doctor: ab hoc verò *Matthaus Theodorici*, de Dordraco, S. Theol. L. in usum Pædagogij comparavit. Habuit hic successores in regimine *Paulum Roelsium*, à Teneramonda, Med. Doct. *Matthaum Boden*, à Ruecklinge, S. Th. Baccal. *Servatium Sassenum*, Lovaniensem, S. Th. Lic. *Franciscum Dvalantium*, Alostanum, S. Th. Doct. *Martinum Caverenne*, Chinacensem, I. V. L. in D. Petri Canonicum, an. CIↃ. IↃC. XI. qui Pædagogium novis & splendidis ædificijs auxit, migravitque hinc an. CIↃ. IↃC. XXVII. ad Collegium Ord. Teutonici: *Antonium Loverium*, Ghelensem, S. Th. L. & antehac Professorem Philosophiæ primarium in dicto Pædagogio, pòst Regium & Apostolicum Librorum Censorem, ac Præsidem Collegij Houterlæi: *Antonium Dave*, tunc S. Th. L. & Philosophiæ moralis Prof. publicum, postea Collegij Sabaudici Moderatorem, CIↃ. IↃC. XXXIII. *Petrum Mannaerts*, Machliniensem, S. Th. Baccal. Form. Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ S. Hermetis Rotnacensem, & Decanum Pastorum Concilij Lovaniensis, CIↃ. IↃC. XXXVI. Sed & alij fuere Fundatores Benefactoresque in hoc Pædagogio.

1. *Godefridus de Boeslintere*, natus in pago Breytschemio, prope Thenas, Rector Ecclesiæ de Nethenis, sepulturam habet in Ecclesia Begghinarum Lovaniensium. Hic condito an. CIↃ. CCCC. XLIX.

testamento domum, quam inhabitabat, dedit Facultati Artium, ad opus octo Scholarium, & unius Magistri: verùm Fundatio hæc postea, unà cum augmento *Ioannis Vuidoe* & *Caroli Putseys*, auctoritate Apostolicâ reducta est ad Bursas sive portiones quattuor, & translata ad Pædagogium Porci.

2. *Ioannes VVidoe*, ab Herck, Regens Pædagogij, obijt an. CIↃ. CCCC. LXXIII. die XIX. Septemb, sepultus in choro Sacelli S. Antonij, vulgò Clericorum. B. IV.

3. *Carolus Putseys*, ab Herck, Curatus Ecclesiæ de Aetrode, & Capellanus in D. Petri Lovanij, *Ioannis Vuidoe* è sorore nepos, obijt an. CIↃ. IↃ. XII. die VII. Septembris, sepultus in eadem Ecclesia D. Petri.

4. *Georgius Duret*, Hesdiniensis, in Iure Canonico Licentiatus, Illustriss. Philippi & Maxæmiliani Principum Consiliarius, obijt an. CIↃ. CCCC. LXXX. IV. Eid. Iunij, sepultus ad S. Antonium.

5. *Ioannes Godefridi*, de Vuemelinghen, Zelandus, I. V. Doctor & Professor, an. CIↃ. IↃ. XXVI. B. II.

6. *Leo de Gorges*, Havreti apud Montes Hannoniæ natus, Canonicus ad S. Petrum Lovanij, moritur an. CIↃ. IↃ. XXVII. die XVIII. Ianuarij, sepultus ante Altare Virgini Dei-paræ sacrum. B. II.

7. *Michaël Brant*, Axellanus, Flander, Presbyter, moritur similiter Lovanij an. CIↃ. IↃ. XXIX. die X. Aprilis, sepultus ad S. Petrum, ante Altare Michaëli Archangelo sacrum. B. IV. Hic Bursarijs suis, si post promotionem in Artibus diligenter studeant Theologiæ, pro Licentiæ gradu consequendo dari voluit quinquaginta florenos, & in Aula Doctorali centum.

8. *Ioannes Huberti*, de Loemel, Brabantus, I. V. Licent. Canonicus Antverpiensis, & Archidiaconus Famennæ in Ecclesia Leodiensi, decessit Antverpiæ an. CIↃ. IↃ. XXXII. die XVII. Octobris, pluribus & hîc & alibi relictis fundationibus, & in Begginagio Lovanij Conventu ad opus decem puellarum.

9. *Hubertus Huberti*, de Loemel, frater *Ioannis*, & *Gertrudis van Gompel*, de Mol, conjuges, ille duas, hæc unam, fratris fundationibus portiones adjecerunt.

10. *Matthæus Theodorici*, de Dordraco, S. Th. L. Regens Pædagogij Porci, obijt Lovanij an. CIↃ. IↃ. XXXVI. die III. Februarij, in residuo bonorum instituto hærede Pædagogio.

11. *Ioannes de Lira*, aliàs *Vuest*, Vessemiensis, S. Theol. Licent. & primus Præsidens Collegij Atrebatensis, an. CIↃ. IↃ. XL. B. I.

12. *Elisabetha de Culenburgh*, *Gasparis Culenburgici* filia natu maxima, vidua *Antonij de Lalaing*, primi Comitis Hooghstratani, (qui an. CIↃ. IↃ. XL. Gandavi vivere desijt, Hooghstrati sepultus) præter binas portiones in hoc Pædagogio, celeberrimum Culenburgi Orphanotrophium extruxit & dotavit.

13. *Gualterus Huberti de Herde*, Tolenbecæ apud Angiam natus, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Culenburgensis, circa an. CIↃ. IↃ. XLIV. B. II.

14. *Iacobus Latomus*, Camberonensis, S. Theol. Doctor, & ad D. Petrum Lovanij Canonicus, an. CIↃ. IↃ. XLIV. B. IV. pro Magistris docentibus in hoc Pædagogio.

15. *Petrus van Swertgoer*, Secretarius municipij Ghelensis, an. CIↃ. IↃ. XLVIII. B. I.

16. *Rodolphus de Monachodamis*, S. Theol. Licent. Vice-Curatus Ecclesiæ Gaudanæ apud Batavos. B. I.

17. *Ioannes Van Baesrode*, Machliniensis, I. V. Licent. an. CIↃ. IↃ. XLVI. B. II.

18. *Matthias Thincx*, Edamensis, ejusdem opidi Presbyter, an. CIↃ. IↃ. LI. B. I. pro studioso in Artibus, & postea in Theologia.

19. *Nicolaus Ioannis Vuits*, Edamensis, Presbyter, & ejusdem oppidi Vicarius, an. CIↃ. IↃ. LII. B. I. similiter pro studioso in Facultate Artium, & postea in Theologia.

20. *Ioannes Dillenus*, à Vuersbeeck, S. Th. Baccal. Formatus, primus novi Collegij Adriani VI. Pont. alumnus seu Bursarius.

21. *Petrus à Fine*, ab Oosterwijck, Pastor ad S. Michaelem Lovanij, obijt an. CIↃ. IↃ. LII. die XI. Septembris, sepultus ante Altare Ven. Sacramenti, B. II.

22. *Henricus Roosen*, Loemelensis, S. Theol. Licentiatus, & Pastor Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiæ, an. CIↃ. IↃ. LIII. B. I.

23. *Ioannes Martini*, de Schoonhovia, S. Th. Baccal. Formatus, Decanus & Pastor Ecclesiæ Culenburgensis, an. CIↃ. IↃ. LVII. B. I.

24. *Petrus Titelmannus*, *Francisci* frater, Hasselensis, S. Theol. Licentiatus, Decanus Rotnacensis, & postea Canonicus Cortracensis, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXII. die V. Septemb. B. II.

25. *Franciscus de Thenis*, Bruxellensis, Canonicus & Cantor Ecclesiæ D. Petri in Anderlaco, decessit Lovanij an. CIↃ. IↃ. LXXII. prid. Natalis S. Ioannis. B. I

26. *Carolus Nicquet*, Fleruacensis, Officialis Leodiensis, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIX. B. VIII. Vide Acta Univers. 1597. 25. Ianuarij.

27. *Sebastianus Vanden Borre*, Beneficiatus Zellariensis in D. Rumoldi Machliniæ, obijt an. CIƆ. IƆ. LXXIX. IV. Nonas Novembris.

28. *Henricus* & *Gisbertus Loyden*, fratres, Silvæ-ducenses. Fuit *Gisbertus* I. V. Licent. & Professor extraordinarius Cod. atque Vniversitatis sextùm Rector. B. I.

29. *Philippus* & *Franciscus Knobbaert*, fratres Antverpienses, an. CIƆ. IƆ. LXXXIX.

30. *Ioannes Iaecx*, Machliniensis, Beneficiatus Zellariensis, anno CIƆ. IƆ. XC.

31. *Gerardus Vlemincx*, Decanus & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ in opido Bredano, an. CIƆ. IƆ. XCI.

32. *Domic. Elizabetha de Borgreeff*, vidua N. V. *Dominici à Roda*, Frisij, an. CIƆ. IƆC. B. I.

33. *Ioannes Langhe-Crucius*, Hilvari-Becanus, I. V. Licent. & Canonnm Prof. extraordinarius, pòst Præpositus Casletanus in Flandria, an. CIƆ. IƆC. IV.

34. *Nicolaus Agricola*, Brechtanus, Subregens Pædagogij Porci, pòst Sacellanus Ecclesiæ Cathedralis Antverp. an. CIƆ. IƆC. V. B. VIII.

35. *Henricus Verepaeus*, *Simonis* frater, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ in Hilvari-Beka.

36 *Guilielmus Lucas*, Boxtellensis, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis, an. CIƆ. IƆC. VI.

37. *Cornelius Herlenius*, S. Theol. Doctor, Præpositus S. Viti in Frisinga, Canonicus ad S. Mauritium Augustæ, & Academiæ Dilinganæ Rector, an. CIƆ. IƆC. XVII.

PAEDA-

PAEDAGOGIVM LILII.

CAROLVS VIRVLI, vulgò *Manneken*, quasi *Homuncionem* dicas, vulgò dictus *de Gandavo*, patriâ Casletensis, promotus in Artibus an. CIↃ. CCCC. XXXV. pòst in Iure Canonico & Medicina Baccalaureus, primus Fundator, & per annos LVI. Regens fuit Pædagogij Lilij, ita dicti ab insigni domus, quam eidem Pædagogio legavit, *partim ad usum pauperum, pro fundatione Bursarum, in Pædagogio Lilij Scholaribus distribuendarum, partim ad usum bonorum Magistrorum* (ita ipse loquitur) *in Artibus, in Pædagogio Lilij se exercitantium, & actualiter legentium, quamdiu eos legere contigerit in dicto Pædagogio, ex Regentis vel Regentium permissione, & non aliàs. Pro quibus*, inquit, *ordinari volo incitationes, quas voco gratuita dona, in plures partita & collata, in favorem actorum vel spem agendorum, ad decus, & ad profectum communis boni, ac etiam proprij, quibus trahuntur animi ad doctrinas & ad virtutes.* Signatæ tabulæ testamenti an. CIↃ. CCCC. XCIII. VII. Idus Februarij. De hac autem fundatione *Caroli* extat Consilium Nicolai Everardi, I. V. D. & Præsidis Machliniensis, num. CXCIII. Monumentum sepulcrale habet Fundator ad S. Martinum in Choro templi, cum hac Inscriptione:

Hoc monumento conditum est corpus
præstantis Domini CAROLI VIRVLI,
qui præfuit Pædagogio Lilij cum summa gloria
sex & quinquaginta annis,
magnus huius Cœnobij, dum vixit, suffragator,
ac pauperum eleëmosynarius,
Vniversitatis quoque Lovaniensis
in litteris humanis & omni humanitate decus.
Obijt autem V. Idûs Maij, à Natali
Christi anno CIↃ. CCCC. XCIII. *agens*
annum ætatis octogesimum.

A morte verò Fundatoris Pædagogium hoc moderati sunt, *Nicolaus Viruli*, Caroli Fil. adjuncto ei à patre Fundatore *Leone Outers*, de Hondischota: *Ioannes Natius*, item Hondischotanus, cujus ut hospitis sui aliquoties meminit, & ad quem Erasmi leguntur epistolæ:

Ioannes Heems de Armenteria, Medicinæ Doctor, ab anno CIↃ. IↃ. XXII. totis XXXVII. annis, & quod excurrit: *Franciscus Favillon*, ab Ochia, S. Th. Baccal. *Ioannes Planchonius*, *VValterus VValteri*, Angiportanus, S. Th. B. *Theodoricus van Maelcote*, Lovaniensis, S. Th. L. & Lector in Heverlensi Cælestinorum cœnobio. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXVIII. v. Non. Maij. *Ioannes Pieremont*, Bruxellensis, Canonicus in D. Petri, per annos XXII. *Ioannes à Fine*, S. Th. L. *Lambertus Damidde*, Leodiensis, I. V. L. Canonicus & Cantor Ecclesiæ cathedralis Atrebatensis: *Ioannes Massen*, Leodius, S. Th. L. qui hinc migravit ad Collegium Sabaudicum: *Petrus vanden VVilsaerden*, Vilvordiensis, antè Philosophiæ Prof. in Pædagogio Falconis, CIↃ. IↃC. XIV. Obijt Canonicus Camerac. *Ioannes VVipion*, Givetensis, CIↃ. IↃC. XXI. *Embertus vander Biest*, Lovaniensis, CIↃ. IↃC. XXVIII. *Baldricus Butterne*, Montensis, I. V. L. qui nuper insigni ædificio turrique Pædagogium hoc conspicuum fecit, novamque & elegantis operis portam ingressumque molitur. In hoc præterea Pædagogio Fundationes suas habent.

1. *Lottinus Viruli*, Caroli Fundatoris cognatus, Canonicus Ecclesiæ D. Petri Lovanij. Obijt XIII. Kalen. Augusti.

2. *Leo Outers*, de Hondiscota, Cathedr. Ecclesiæ Leodiensis Canonicus & Cancellarius, nec non Eccl. D. Pauli in eadem urbe Præpositus. B. III.

3. *Gerardus de Meeuwen*, Canonicus & Vice-Decanus Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, an. CIↃ. IↃ. XLIII. B. II.

4. *Ioannes Heems*, ab Armenteria, Presbyter, Artium & Medicinæ Doctor. Obijt an. CIↃ. IↃ. LX. sepultus ad S. Petrum. B. VI. pro quinque discipulis & uno Magistro.

5. *Petrus Curtius*, Brugensis, S. Theol. Doctor, & primus patriæ suæ Episcopus, an. CIↃ. IↃ. LXVII. B. I.

6. *Ioannes Brants*, Silvæ-ducensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ ad S. Donationum Brugis, an. CIↃ. IↃ. LXXVII. B. I.

7. *Zegerus Zoenkens*, Rhetensis, Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ S. Petri Lovanij. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIX. die XVII. Ian. B. I.

8. *Maximilianus Manareus*, primò Decanus & Canonicus Tornaci in Ecclesia Cathedrali B. Mariæ Virg. pòst ad D. Petrum apud Insulenses Præpositus, *testamento* (ut loquitur appensum sepulcro Epitaphium) *pauperes voluit haredes, Lovanij ac Duaci octo in studiosorum, hîc* (Insulis) *& Tornaci decem, in mechanicorum gratiam; Bursis institutis.*

9. *Martinus*

9. *Martinus Offermans*, Canonicus & Scholasticus Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, ac Collegiatæ S. Ioannis Euangelistæ Præpositus. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIII. die VI. Ianuarij. B. IV.

10. *Petrus de Courouble*, I. V. L. & Prof. pòst Canonicus & Officialis Tornacensis.

11. *Nicolaus de Leuze*, à Fraxinis, S. Theol. Licent.

12. *David Sexagius*, vulgò *Van Sestich*, *Desiderij*, Cancellarij Brabantiæ, frater, S. Theol. Licent. ad S. Petrum Lovanij per annos LIV. Canonicus, & districtus eiusdem Archieprebyter. B. VII.

13. *Ioannes Piermont*, Bruxellensis, Regens Pædagogij Lilij per annos XXII. & ad S. Petrum Canonicus. Obijt an. CIↃ. IↃ. XCIII. die XV. Decembris.

14. *Franciscus Buisseret*, Montensis, ex Professore Philosophiæ in Pædagogio Lilij, Canonicus, Officialis, Decanus Cameracensis, inde Episcopus Namurcensis annis XV. ac demùm Archiepisc. & Dux Cameracensis, obijt an. CIↃ. IↃC. XV. Nonis Maij, annos natus XLVI.

15. *Nicolaus Goubille*, I. V. L. & Prof. pòst Canonicus & Decanus Ecclesiæ Cathedralis Cameracensis.

PAEDAGOGIVM

FALCONIS.

PÆdagogium hoc à Falcone, qui pro insigni domus esset solet, nomen habet, eò loci, ubi hodieque visitur, ex alio, qui etiamnum Vetus Falco dicitur, translatum per D. *Guilielmum Everaerts*, de Velpia, Artium Magistrum, qui proprio commodo & incommodo hunc fundum emit anno CIↃ. IↃ. XLIII. VIII. Kal. Octob. atque ædificio, in quo Refectorium & Schola Physicæ, auxit. Ab hoc emptum an. CIↃ. IↃ. XLVI. VIII. Kal. Novemb. Facultas Artium sub onere Pædagogij ad se traxit atque instauravit, addito ædificio ad plateam conspicuo, ex apposito Sacelli novi. Postea cùm labentibus annis simul etiam collabascere ædificia disciplinaque inciperent, primò quidem Reverendiss. D. *Martinus Balduini Rithovius*, Episc. Iprensis, & *Ioannes Venduillius*, tunc Regi Catholico à Secretioribus Consilijs, Gymnasium hoc deformatum partim suis opibus atque eleëmosynis,

partim

partim aliorum subsidijs, à casu atque interitu vindicarunt. Denique anno CIↃ. IↃ. XCVII. III. Kal. Aug. *D. Nicolaus Zoesius*, I. V. L. tum Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis Canonicus & Officialis, & N. V. *Carolus de Zillebeque*, dictus *Tackoen*, dictum Pædagogium emptione suum fecerunt, idemq, an. CIↃ. IↃC. I. III. Eidus Ian. sub certis conditionibus transtulerunt in DD. Provisores ejusdem Pædagogij: quod sic paulatim ad pristinum suum florem redijt; hodieque vigilantiâ atque industriâ *Claudij Losson*, S. Theol. Licent. & Prof. ac Pædagogij hujus, dum vixit, Regentis, splendida ostentat ædificia. Quibus à morte ejusdem, curâ Executorum, & *D. Ioannis Bancx* Regentis, accessit Sacellum non minùs splendidum, turrique conspicuum: ut verum vel inde iam sit illud,

——— *Volitat super omnia Falco.*

Nuperque subsidio R. & Eruditiss. D. *Philippi Gaudt*, S. Th. L. ex Professore in hoc Pædagogio Canonici & Cantoris Tornac. & dicti D. *Ioannis Bancx*, curaque D. *Ioannis vanden Bossche*, novum ædificium adjectum est, quod rei culinariæ potissimùm servit.

Hujus autem Pædagogij Regens & Benefactor inter primos fuit *Gaspar de Kinschot*, aliàs *Divitis*, Turnhoutanus, S. Th. Baccal. Form. & Canonicus ad S. Petrum Lovanij, qui obijt an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. Kalen. Ianuarij. Quem in administratione Collegij secuti sunt, *Nicolaus Pannetier*, Binchiensis, I. V. Baccal. Canonicus in D. Petri, qui obijt an. CIↃ. IↃ. V. die XX. Iunij: *Balduinus Gulielmi*, Delfensis, S. Th. Baccal. *Ioannes Sandraert*, Montensis, S. Th. Licent. *Nicolaus Coppin*, Montensis, S. Th. D. *Petrus Montanus Buretius*, à Parvueto, S. Th L. Hic anno CIↃ. IↃ. XLII. tunc Rector Academiæ, deducentibus eum (ut in diebus & Actibus solemnioribus fieri consuevit) Accensis sive Bedellis, transijt ad Ordinem Minorum, depositis in ipso ingressu ac limine Cœnobij insignibus Rectoralibus, dimissisque atque abire jussis in hæc verba Bedellis: *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Vide Biblioth. nostram Belg. Factus deinde Regens anno CIↃ. IↃ. XLIII. *Gulielmus Everaerts*, à Velpia, transtulit Pædagogium ad locum, in quo hodieque conspicitur; ubi Regentes fuerunt, *Nicolaus Iupilius*, de S. Huberto, S. Th. Baccal. an. CIↃ. IↃ. XLVI. pôst Canonicus Camerac. *Iacobus Laurentij*, à Fraxinis, S. Th. L. an. CIↃ. IↃ. L. pôst Canonicus & Archidiac. Tornac. *Petrus Motellius*, à Gondicuria, S. Th. B. an. CIↃ. IↃ. LV. Canon. Camerac. & Insulensis: *Ioannes Cocx*, Rythovius, S. Th. L. Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Vltrajectinus. Decessit Lovanij an. CIↃ. IↃ. LXIX.

LXIX. die XXII. Iulij, sepultus ad S. Michaelem: *Iacobus Sapidus*, Athensis, S. Th. L. Canon. Camerac. *Petrus Morelius*, à Gondicuria, S. Th. L. an. CIↃ. IↃ. LXXV. qui tribus tantùm annis rexit, moriturque an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. mense Sept. grassante Lovanij pestilitate: *Guilielmus Vorstius*, Vltrajectinus, S. Th. L. Canon. Audomarensis, an. CIↃ. IↃ. LXXXI. *Bartholomæus ab Angelis*, Lovaniensis, S. Th. L. an. CIↃ. IↃ. LXXXVIII. qui vix anno rexit, constitutus inde Pastor Ecclesiæ Beverensis in Vuasia-Flandriæ: *Ioannes Dilenus*, de Capella, S. Th. L. Canonicus Insulensis, an. CIↃ. IↃ. LXXXIX. *Antonius d'Averoult*, Aëriensis, S. Th. B. an. CIↃ. IↃ. XCVIII. qui abdicato mox regimine nomen dedit Societati Nominis IESV: *Laurentius Zoënius*, Breensis, S. Th. L. an. CIↃ. IↃ. XCIX. Migravit inde ad Collegium Divæi: *Hadelinus Iunius*, Herstallius, an. CIↃ. IↃC. V. Canonicus primùm ad S. Amatum Duaci, deinde ad S. Servatium Trajecti: *Antonius Vossius*, Vltrajectinus, S. Th. L. an. CIↃ. IↃC. VIII. *Iacobus Daulmerie*, Athensis, S. Th. B. Canonicus Insulensis. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXIV. die XVIII. Nov. *Claudius Losson*, S. Th. L. & Prof. Canonicus in D. Petri, obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIV. VII. Eid. Sept. *Ioannes Banex*, Trudonensis, S. Th. L. Canon. primùm Iprensis, deinde Audomarensis: *Ioannes Vanden Bossche*, Bruxellensis, an. CIↃ. IↃC. XLII.

Præterea Pædagogio huic pro alimentarijs portionibus legata pia donationesque reliquerunt.

1. *Gualterus Henrici*, aliàs *VVaterlet*, Cantor & Capellanus Caroli Ducis Burgundiæ, Præpositus Malbodiensis, Canonicus Ecclesiæ D. Gudulæ Bruxellis, & D. Petri Lovanij, in qua instituit Festum recollectionis Festivitatum Virg. Dei-paræ. Primus quoque Fundator extitit Cartusiæ Lovaniensis, id est fundum emit & Cellam unam adjecit. Obijt anno CIↃ. CCCC. XCIV. die VI. Decembris, S. Nicolao sacro. B. I.

2. *Ioannes Gaillier*, Canonicus Nivellensis. B. I. quæ hinc migravit ad Collegium Theologicum majus.

3. *Nicolaus Pannetier*, Binchiensis, I. V. Baccal. Regens, & Canonicus in D. Petri Lovanij. Obijt an. CIↃ. IↃ. V. die XX. Iunij, relictâ Bursâ pro Sacro Dominicis Festisque diebus celebrando.

4. *Nicolaus Coppin*, Montensis, S. Th. Doctor, & Decanus Ecclesiæ D. Petri, obijt an. CIↃ. IↃ. XXXV. XVI. Kal. Iulij.

5. *Petrus Cortrel*, S. Theol. Licent. Canonicus Tornacensis, & Reverendiss. D. Episcopi Vicarius Generalis, an. CIↃ. IↃ. XLV. B. III.

6. *Petrus à Quercu*, Angiensis, Presbyter & Ludi-magister in Vuerda S. Petri, juxta Angiam, Hannoniæ opidum, an. CIↃ. IↃ.XL. B. II.

7. *Arnoldus ab Halvermylen*, patriâ Eerselensis, Artium Magister, deque Concilio Facultatis Artium, per annos XXXVI. opido Lovaniensi à Secretis, viduus Domicellæ *Catharinæ Kips*: qui obijt an. CIↃ. IↃ. LII. die XXVII. Decemb. sepultus in Ecclesiâ D. Petri, ad Altare ejusdem, sub insigni sarcophago. B. III.

8. *Nicolaus de Heere*, Cortracensis, Presbyter, Lovanij desijt vivere an. CIↃ. IↃ. LIV. die XXIV. Febr.

9. *Theodoricus Adriani Hezius*, S. Theol. Licent. Adriano VI. P. M. à secretioribus Epistolis, & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis. Obijt an. CIↃ. IↃ. LV. die X. Maij. B. II.

10. *AEgidius HouWelycx*, Angiensis, Capellanus in Isscha superiori & inferiori. Moritur an. CIↃ. IↃ. LVI. VIII. Eid. Augusti. B. II.

11. *Franciscus de Sarre*, Bruxellensis, S. Theol. Licent. Canonicus Cameracensis. Decessit an. CIↃ. IↃ. LXII. Vide de hoc Acta Vniversitatis ad an. 1573. die 30. Martij. B. II.

12. *Ioannes Blocquerie*, Prætor in Ruysbroeck, an. CIↃ. IↃ. LXIV. B. I.

13. *Petrus Everaerts*, Hezius, Pastor in Rythoven. Obijt. an. CIↃ. IↃ. LXIV. B. II.

14. *Maria de Vileuze*, vidua *Lud. Frarin*, Antverpiæ habitans, an. CIↃ. IↃ. LXV. B. II.

15. *Ioannes de Villeers*, Canonicus Ecclesiæ B. Mariæ Trajecti ad Mosam, & Rector Ecclesiæ S. Lamberti in Neder-Weerdt, an. CIↃ. IↃ. LXXVII. B. II.

16. *Iacobus de Langaigne*, Mercator Antverpiensis, Bursam *Ioannis de Villeers* auxit. Vide Acta Deput. Vniverf. an. 1565. 6. Octob.

17. *Gabriel Vlierden*, Bruxellensis, S. Th. L. Canonicus ad S. Bavonem Gandavi, an. CIↃ. IↃ. LXVIII. B. II. translatæ ad Coll. Th. majus.

18. *Nicolaus à Castro*, Lovaniensis, S. Theol. L. Canonicus ad S. Ioannem Vltrajecti, & postea primus Episcopus Middelburgensis. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIII. die XVII. Maij. B. I.

19. *Iacobus Varentius*, Aldenardensis, Med. Doctor, & Canonicus secundæ fundationis ad D. Petrum, an. CIↃ. IↃ. LXXVII. B. I. cum Anniversario.

20. *Petrus Stockelman*, Oerlensis, S. Theol. Baccal. & Vice-Pastor ad

ad S. Michaelem Lovanij. Obijt an. CIↃ.IↃ. LXXVIII. Kal. Septemb. B. I.

21. *Toussanus Locquetz*, Pastor Castri Braniensis, & Capellanus Binchiensis: ex cujus suprema voluntate dantur sex floreni ei, qui in promotione inter pauperes Falconenses primum obtinuerit locum.

22. *Christophorus à Krieckenbeke*, Hannutensis, S. Th. Licent. Pastor ad S. Ioannem Machliniæ. Obijt peste an. CIↃ.IↃ LXXVIII. B. III.

23. *Iacobus Laurentius*, Fraxiniensis, S. Theol. Licent. ex Regente Pædagogij hujus Canonicus & Archidiaconus Flandriæ in Ecclesia Tornacensi. B. I. & pro fabrica 250. Flor. annuè.

24. *Carolus La Deuze*, I. V. Licent. Canonicus & per plures annos Officialis, ac postmodum Thesaurarius ejusdem Ecclesiæ Tornacensis. B. VIII.

25. *Henricus de Monte*, Pastor in Vertono, & Archipresbyter seu Decanus Christianitatis in Longuyono. B. I.

26. *Dionysius Bureau*, Pastor Ecclesiæ S. Lamberti in Gaige, juxta Abbatiam Cambronensem in Hannonia. B. I.

27. *Gerardus Rodolphus*, vulgò *Roelofs*, Graviensis, Canonicus primùm in patria, postea Leodij in D. Petri. Obijt an. CIↃ. IↃ. XCI. die XVI. Iunij. B. I.

28. *Ioannes Bonhomme*, S. Th. L. ad S. Germanum Montibus Hannoniæ Canonicus, & hæreticæ pravitatis Inquisitor. B. IV.

29. *Andreas Vander Ryt*, S. Theol. L. Ecclesiæ Cathedralis Antverp. Canonicus, fundavit tres Missas hebdomadatim celebrandas.

30. *Ioannes Dilenus*, de Capella, S. Th. L. Regens Pædagogij & Canonicus Insulensis. B. VI.

31. *Ioannes de Buillemont*, Canonicus Tornacensis. B. II.

32. *Philippus Dauvin*, I. V. L. Canonicus ad S. Albanum Namurci. B. II.

33. *Godefridus vanden Zande*, Pastor in Bierbeeck, prope Lovanium. B. I.

34. *Ioannes de la Court*, Dom. temporalis de Haulchin. B. II.

35. *Otto Posthover*, Professor Philosophiæ in hoc Pædagogio, & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Huensis, obijt an. CIↃ. IↃC. X. die XXIV. Octob. B. III.

36. *Antonius Vossius*, Vltrajectinus S. Th. L. Regens, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Iprensis. B. I.

37. *Antonia Vuinters*, Beggina, Vltrajectina. B. II.

38. *Martinus Rosiers*, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Gaugerici

Cameraci, testamento condito an. CIↃ. IↃC.XIX. die 27. Ianuarij. B. II.

39. *Laurentius du Pont*, Pastor Ecclesiæ S. Iuliani in opido Atheusi.

40. *Theodorus Iansens*, Pastor in Ranst, prope Antverpiam.

41. *Guilielmus VVargnyes*, Montensis, S. Th. B. ad D. Petrum Lovanij Canonicus, obijt an. CIↃ. IↃC. XXIV. prid. Id. Novemb.

42. *Arnoldus Vuillems*, Dornensis, Prof. Philosophiæ primarius, pòst Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Antverp. obijt an. CIↃ. IↃC. XXXI. die XXV. Novemb. B. I.

43. *Ioannes de Gaverelles*, Antverpiensis, Eques Ord. Iesu Christi in Lusitania, Regi Catholico à Consilijs interioribus, Status & Belli, obijt an. CIↃ. IↃC. XLV. B. I. præter alia beneficia in hoc Pædagogium collata.

44. *Ioannes Iacobs*, Astensis, Prof. Philosophiæ, deinde Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Brugensis, obijt an. CIↃ. IↃC. XLVII. Kal. Febr. B. III.

45. *Martina Freraert*, Wavriensis, Beggina Lovaniensis.

COLLEGIVM *sive Domus Pauperum* D. IOANNIS STANDONCK.

COLLEGIVM STANDONICVM à Venerabili Viro D. IOANNE, cognomento STANDONCK, sacrarum Litterarum Professore laureato, nulli suâ ætate Lutetiæ Parisiorum pietate secundo, institutum fuit. Is enim vir prudenter animadvertens, quanti in omnem reliquam vitam referret, novellam ætatem à principio ad bonam frugem admoveri, benignitate Principum, apud quos propter opinionem pietatis plurimùm poterat, cùm ipse abdicatis omnibus sponte nihil possideret, ejusmodi aliquot Collegia diversis in locis instituit, unum *Lutetiæ*, hodie celeberrimum, alterum *Lovanij*, non incelebre, *Machliniæ* quoque unum, & unum item *Valencenis*; ijs quidem legibus, ut qui in eo reciperentur, cùm litteris & doctrinâ, tum verò pijs moribus informandos sese dederent, ad esum piscium, ad obedientiam & castitatem, & ad quasdam religiosas cæremonias, per quantum temporis ibi degerent, adstricti. Quòd si cui inde aliò visum esset migrare, id posset liberè, sine infamia, æquè futurus sui juris, ut antea. E quibus certè Collegijs plurimos insignes tum doctrinâ tum probitate viros

viros & prodijsse & quotidie prodire, omnibus utique, qui vel Lutetiæ vel Lovanij aliquamdiu egerunt, probè cognitum est. Hactenus Gerardus Moringus *in Vita Adriani* VI. *P. M.*

Natus verò fuit IOANNES STANDONCK Machliniæ, tenuissimæ fortunæ parentibus (nam pater ejus sutor erat;) duroque & pertinaci labore eum in studijs progressum fecit, ut ad supremam S. Theologiæ Lauream sive Magisterium in celeberrima Vniversitate Parisiensi meruerit promoveri. Fuit etiam indefessus Verbi Dei Ecclesiastes sermone cùm Gallico tum vulgari sive Teutonico. A Parisiensis Ecclesiæ Canonicis constitutus Rector Gymnasij Montis Acuti, in primis pauperum atque egentium Scholasticorum, ad se undecumque confluentium, curam habuit: quibus etiam juxta Gymnasium suum anno CIↃ. CCCC. XCI. domum conduxit; omnesque statâ horâ, quæ diei erat undecima, ad Cartusiam mittebat, ubi eis panis cum pauculo jure, ut ceteris mendicis, erogabatur. Exciti ejusmodi zelo atque exemplo pij aliquot homines, ijsdem pauperibus celebrem à fundamentis domum exædificarunt ac dotarunt, quos inter principem facilè locum tenuit Generosus Dom. *Ludovicus de Grauville*, Vir tunc potens apud Carolum VIII. Francorum Regem, Marisque Præfectus. Verùm Ludovicus XII. Caroli XII. in Regno successor, virum optimum proscripsit, atque excedere è Regno ex hac caussa jussit. Erat Ludovico uxor Ioanna, soror Caroli, quam invitus duxisse dicebatur, quippe compellente patre puellæ Ludovico XI. ideoque corpus illius numquam tetigisse. Hanc mortuo Carolo metus prætextu repudiavit, & viduam ejus Annam duxit uxorem, Alexandro VI. Pont. dispensante: quibusdam etiam proceribus aulicis judicantibus, id Regi licere, ne fortè, si alium illa maritum acciperet, Ducatus Britanniæ à corona abalienaretur. Factum hoc Regis multùm displicuisse Theologis Parisiensibus scribit Christianus Massæus in Chronico ad an. 1493. & in primis *Ioanni Standonck*; qui quâ erat constantiâ ac libertate, fertur his verbis acriter corripuisse Regem: *Non licet repudiare uxorem non fornicariam: non licet eâ vivente introducere aliam: non licet habere uxorem fratris.* Ioanna interim non se opposuit, sed libens acquievit dispensationi Pontificiæ, totamque se Deo ac cultui divino mancipavit, Fundatrix Ordinis Beatæ Mariæ, qui vulgò Annuntiatarum dicitur, ab eodem Alexandro Pont. anno CIↃ. IↃ. I. primùm confirmati. Ioannem verò sanctum exulem excepit Cameraci Henricus de Bergis, Episcopus: in cujus amplissima diœcesi disciplinæ Ecclesiasticæ instaurandæ eidem Episcopo auctor fuit, multaque cùm virorum

tum fæminarum monasteria reformavit. Quotidie ad populum ferventissimè, nunc Lovanij, nunc Bruxellis, nunc alibi, concionabatur, & confluxum maximum habebat. Non sufficiebat semel audisse: catervatim omnes accurrebant, ut iterum audirent. Ego, inquit Massæus, sæpè interfui, aliquando etiam domi nostræ suscepto ad mensam ministravi. Mirabamur admodum parsimoniam viri, qui vix compelli potuit, ut exhausto corpusculo cibo potuque subveniret. In hoc suo exilio Domos sive Scholas pauperum, non suis opibus, quas nec habuit, nec habere voluit, sed illustrium aliquot virorum eleēmosynis adjutus, instituit Cameraci, Valencenis, Machliniæ, & Lovanij: neque desijt exul caputium, ad instar pauperum, quos Parisijs reliquerat, gestare. Quò, anno supra millesimum quingentesimo, revocatus, ad Gymnasium Montis Acuti, & ad suum redijt pauperum Collegium: ex quo cùm paucis annorum intervallis è trecentis & ampliùs alij ad reformatas Religiones, alij verò ad regendas alibi Scholas, atque ad alia pietatis & virtutis officia migrassent, facilè à *Georgio de Ambosia* & *Raimundo Gurcensi*, Sedis Apostolicæ à Latere Legatis, omnium fundationum confirmationem, cum multis privilegijs, obtinuit. Adservant Lovanij dicti Alexandri VI. Pont. Diploma, in quo Domus Lovaniensis merita & privilegia recensentur: quòd nimirum Pater Censuris Ecclesiasticis uti valeat in alumnos, cùm delinquentes tum deserentes domum, absque venia Patris, & compellere hoc modo, ut redeant: quòd idem Pater eosdem alumnos suos præsentare ordinandos cuilibet possit Episcopo, etiam sine litteris, ut vocant, dimissorijs, & licet beneficium Ecclesiasticum non possideant: quòd Sacerdotibus domesticis liceat confessiones pœnitentium excipere, & à casibus Episcopo reservatis absolvere, modò eos Pater ad hoc judicet idoneos. Ceterùm Fundator in qualibet Domo alumnos plures esse noluit, quàm LXXXVI. nimirum in honorem Christi Salvatoris, Mariæ Matris, XII. Apostolorum & LXXII. Discipulorum. Vivere desijt Lutetiæ Parisiorum an. CIↃ. IↃ. IV. VII Idus Febr. sepultus in Ecclesia Domus Montis Acuti. Porrò de Domo Lovaniensi scribens Hadrianus Barlandus, Rhetor Academicus, *Qui hîc aluntur*, inquit, *iuvenes primùm Philosophiæ, deinde sacris litteris non segnem operam impendunt. Complures in hoc contubernio evolvendis Orthodoxorum voluminibus adeò assiduam operam dederunt, ut doctissimi evaserint, aliique ob egregiam doctrinam vocati ad Ecclesiarum Præfecturas, alij ad alios honores, dignitatesque per Principes viros adsumpti sint. Nihil dico de studio pietatis, vigilijs, ieiunijs, precationibus, alijsque consimilibus progymnasmatis,* quibus

quibus Sacerdotium meditatur hac iuventus. Hactenus ille. A morte Fundatoris primus Pater hujus Domus fuit *Iacobus Latomus*, Cambronensis, pòst S. Th. Doctor, Parisijs è Collegio Montis Acuti ab ipsomet Fundatore Lovanium adductus: quem deinceps ordine secuti sunt, *Iacobus Volucris*, *Ioannes de Lyra*, cognomento *Vuest*, postea primus Præsidens Collegij Atrebatensis, *Ioanne Doye*, de Valencenis, pòst S. Th. D. *Matthaus Theodorici*, de Dordraco, S. Th. L. *Henricus de Loemel*, *Veronus de Brania*, *Guilielmus Horpmael*, Sulrenus, S. Th. Baccal. *Vualignus* sive *Gualignus Coeterus*, à Vuinckel, CIↃ. IↃ. XXX. *Martinus Duncanus*, Kempensis, ditionis & diœcesis Coloniensis, antea Præfectus Domus Standonicæ Machliniensis, CIↃ. IↃ. XXXIX. de quo & scriptis ejusdem vide Biblioth. Belg. *Michael du Bay*, Athensis, pòst S. Th. D. CIↃ. IↃ. XLI. *Ioan. Paschasius*, Ghelensis, CIↃ. IↃ. XLIII. *Rutgerus Prysers*, Trajectensis, CIↃ. IↃ. XLIX. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXII. XVIII. Kal. Iulij: *Vincentius Sulrenus*, CIↃ. IↃ. LV. *Matthaus Boden*, Reuckelingius, CIↃ. IↃ. LIX. *Arnoldus Dryvers*, Trudonensis, CIↃ. IↃ. LXII. *Reinerus Braeckel*, S. Th. L. Canonicus & Archidiaconus Antverpiensis, CIↃ IↃ. LXIV. *Michael Hertsroy*, Brugelius, S. Th. L. CIↃ. IↃ. LXVI. postea Canonicus Antverp. Obijt an. CIↃ. IↃ. XCIII. die XVIII. Decemb. *Hermannus Vucht*, Aquisgranensis, CIↃ. IↃ. LXIX *Ioannes Clarius*, Tungrensis, pòst S. Th. D. & Prof. CIↃ. IↃ. LXXI. *Nicolaus de Vrede*, Druthenius, S. Th. L. CIↃ. IↃ. XCII. *Ioannes Iudoci*, Assensis, CIↃ. IↃ. XCVII. moritur peste an. CIↃ. IↃ. XCVIII. IX. Kal. Octob. *Rolandus Thienne*, Athensis, CIↃ. IↃ. XCVIII. *Paulus Charlyrs*, Masleicanus, CIↃ. IↃC. V. pòst Pastor in Zonhoven: *Renerus Gasperus*, à Villario - Episcopi, S. Th. L. CIↃ. IↃC. VIII. *Ioannes Charlier*, Inensis, S. Th. & SS. Canonum Licent. CIↃ. IↃC. XVI. pòst Canonicus & Decanus Ecclesiæ Cathedralis Namurcensis, obijt an. CIↃ. IↃC. XLVI. XII. Kal. Octob. *Ægidius vanden Kerckhove*, Halsenbergensis, S. Th. Baccal. CIↃ. IↃC. XXIV. *Nicolaus van Lanckvelt*, Angiensis, S. Th. B. CIↃ. IↃC. XXX. Obijt Præses Seminarij Archiepiscopalis Machliniensis an. CIↃ. IↃC. XXXIX. die XXV. Ianuarij: *Philippus Godefridi*, Belloramus, S. Th. D. & Pastor in Brania Allodij, vulgò *Braine l'Alleu*, CIↃ. IↃC. XXXIV. *Adrianus vanden Sande*, Hoochstratanus, S. Th. L. CIↃ. IↃC. XXXVII. In eamdem Domum alij plures postmodum Fundationes suas subsidiaque contulere. Prima autem fundatio nulli certo loco aut sanguini adstricta nec certum habet numerum Alimentariorum seu Bursalium, verùm is pro qualitate temporum & modo facultatum augetur minuiturve.

I. *Maria*

1. *Maria Magdalena de Hamale*, Domina de Elderen, vidua *Guilielmi de Croy*, Marchionis Arschotani, Domini Cerviensis &c. B. IV. quibus Executores, *Oliverius Schoonhovius* & *Leo de la Cousture*, adjecerunt alia sex loca.

2. *Guilielmus Ioannis de Vianen*, S. Theol. Doctor & Prof. atque ad D. Petrum Plebanus, an. CIↃ. IↃ. XXIX.

3. *Ioannes Huberti*, de Loemel. I. V. Licent. Canonicus Antverpiensis, & Archidiaconus Famennæ in Ecclesia Leodiensi, anno CIↃ. IↃ. XXXII. B. X. anno CIↃ. IↃ. LV. reductæ ad octo loca.

4. *Matthaeus Theodorici*, de Dordraco, S. Th. Licent. Regens Pædagogij Porci sive Standonck, an. CIↃ. IↃ. XXXVI. B. III.

5. *Iacobus Latomus*, Cambronensis, S. Theol. Doctor. & Professor, Domus hujus olim Pater, obijt an. CIↃ. IↃ. XLIV. relicto legato pro Anniversario.

6. *Carolus de Carondelet*, Dom. de Potelles &c. Castellanus Athensis & Gubernator terræ Angiensis, frater *Ioannis*, Archiepisc. Panormitani, an. CIↃ. IↃ. XLIV. B. III. reductæ postea ad duas.

7. *Ioannes de PerWeis*, Rector Ecclesiæ Limaliensis, & Decanus Pastorum Concilij Gemblacensis. B. I.

8. *Antonia de Guestelle*, ex opido Athensi. B. II.

9. *Petrus SWeregoer*, de Herentals, Secretarius municipij Ghelensis, an. CIↃ. IↃ. XLVIII. B. I.

10. *Arnoldus Ghinck*, ab Hasselt, Rhetor Academicus. Obijt an. CIↃ. IↃ. XLIX. Idib. Febr. relicto reditu pro Anniversario.

11. *Henricus RauWelet*, Rector Ecclesiæ de Emynes, prope Namurcum, circa an. CIↃ. IↃ. LV. B. II.

12. *Ioannes Roberti Mascures*, Pastor in Melino-Episcopi, postea Præfectus Virginum Athi in monasterio S. Mariæ Magdalenæ, an. CIↃ. IↃ. LX. B. I. pro idoneo ad primum locum.

13. *Lavinus Leonardi*, Middelburgensis, Medicinæ Doctor, Bruxellæ residens. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXI. IX. Kalen. Septemb. B. II.

14. *Simon Pluegers*, de Beveccum, Professor Philosophiæ in Pædagogio Porci, & Canonicus ad S. Servatium Trajecti. B. I.

15. *Gualignus Coeterus à VVinckel*, ex alumno & Patre Domus hujus Pastor Ghierlensis & Tielensis in Brabautia, obijt an. CIↃ. IↃ. LXVIII. B. II.

16. *Petrus Yvetemans*, Capellanus Ecclesiæ S. Rumoldi, & celeberrimi apud Machlinienses Begginagij Confessarius. B. I.

17. *Guilielmus Horpmael*, Sulrenus, S. Theol. Baccal. novem annis alumnus

alumnus & totidem Pater hujus Domus, atque Ecclesiæ D. Petri Sacellanus. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXX. VI. Non. Martij. B. III.

18. *Iacobus van Sundert*, Brabantus. B. II.

19. *Petrus VVynants*, Pastor ad S. Walburgim Antverpiæ. B. II.

20. *Ioannes Salomonis*, opidi & Reipubl. Montensis in Hannonia Doctor Medicus, an. CIↃ. IↃ. LXXVI.

21. *Gerardus Rechius*, Domus hujus alumnus, postea S. Th. L. & Monasterij Bonæ Spei in Hannonia Lector, an. CIↃ. IↃ. LXXXVII.

22. *Michael Baius*, S. Theol. Doctor & Prof. Domus hujus alumnus & Pater, an. CIↃ. IↃ. LXXXIX. pro Anniversario.

23. *Ioannes Paschasius*, Ghelensis, Domus hujus alumnus & Pater, Decanus & Pastor Ecclesiæ Collegiatæ Tolensis in Zelandia, & Canonicus Bredanus, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXXVIII. die XI. Aug. Testamento condito an. 1555. die 10. Decemb. in residuo bonorum suorum pauperes Standonicos instituit hæredes: deinde mutatâ voluntate in codicillis an. 1586. Kal. Sept. bona sua omnia voluit converti in pios usus, & ex eisdem, fratrisque sui *Henrici Paschasij* bonis ali duodecim omninò pauperes &c. Vide Acta Vniverſ. ad an. 1601. 17. Maij.

24. *Ioannes Lappius*, Vltrajectinus, Gisberti, Med. Doctoris Fil. an. CIↃ. IↃ. XCIV. Summâ 800. floren. ab eo relictâ, conversâ in augmentum quotidianæ portionis.

25. *Antonius Lemmens*, ad D. Georgij apud Antverpienses Pastor, an. CIↃ. IↃ. XCVI.

26. *Ioannes Duyskens*, Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ apud Trudonenses Plebanus, an. CIↃ. IↃ. XCVIII.

27. *Ioannes Havens*, Ecclesiæ Cathedralis Silvæducensis Plebanus, an. CIↃ. IↃC. III.

28 *Ioannes Valerius*, I. V. Licent. & Canonicus ad D. Petrum Vltrajecti, an. CIↃ. IↃC. V.

29. *Ioannes Buyens*, Capellanus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Trudonopoli, an. CIↃ. IↃC. V.

30. *Nicolaus Vredius*, S. Theol. Licent. Domus hujus alumnus & Pater, Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis Canonicus, anno CIↃ. IↃC. VII. Obijt an. CIↃ. IↃC. VIII. die XVIII. Decemb.

31. *Matthias Hovius*, S. Theol. Licent. Archiepisc. Machliniensis, Domus hujus aliquando alumnus, eodem anno.

32. *Michael Naveus*, I. V. Licent. Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis Canonicus & Archidiaconus, an. CIↃ. IↃC. IX.

33. *Michael Gilmans*, Bruxellæ in Ecclesia, quam Capellæ vocant, Sacellanus, eodem anno.

34. *Cornelius Reineri*, Goudanus, S. Theol. Doctor & Prof. Decanus & Canonicus ad S. Petrum, eodem anno.

35. *Franciscus Dralantius*, Alostanus, an. CIↃ. IↃC. X.

36. *Ioannes Clarius*, Tungrensis, S. Theol. Doctor & Prof. Regius, Domus hujus alumnus & Pater, an. CIↃ. IↃC. XI.

37. *Everardus Molengravius*, Begginagij majoris apud Lovanienses Pastor, an. CIↃ. IↃC. XII.

38. *Nicasius Moiset*, Ecclesiæ Scarebecanæ Rector.

39. *Andreas VVipion*, Givetensis, S. Theol. Doctor, Decanus & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Namurcensis, ejusdem Domus alumnus, an. CIↃ. IↃC. XXXI. pro Anniversario.

40. *Franciscus Haraus*, Vltrajectinus, S. Theol. Licent. hîc aliquando alumnus, scriptis clarus, CIↃ. IↃC. XXVI. & CIↃ. IↃC. XXX.

41. *Ioannes Martini*, ex Havenne prope Belloramum, Pastor in Iachea, similiter alumnus Domus. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIII. non sine sanctitatis opinione.

42. *Iacobus à Castro*, Amstelodamensis, S. Theol. Doctor & Prof. pôst Episc. Ruræmundensis, alumnus Domus, an. CIↃ. IↃC. XXI. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIV. die XXIV. Febr.

43. *Maria vanden EertWech*, Lovaniensis, Ioannis I. C. Filia. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIV. die XXX. Decemb. pro Anniversario.

44. *Augustinus Baillet*, S. Th. L. Pastor in Brania Comitis. B I.

45. *Petrus Lucius*, Bakelius, S. Th. L. Pastor ad S. Michaelem, & Decanus Pastorum Concilij Lovaniensis, obijt an. CIↃ. IↃC. XXIX. B. I.

46. *Reinerus Fabius*, vulgò *Boonen*, à Tessenderlo, Pastor in Lummen, obijt in senectute bona Lovanij an. CIↃ. IↃC. XXXV. die XX. Maij, sepultus in Ecclesia minoris Begginagij ad S. Gertrudem. B. VI. in hac Domo, & totidem in Collegio Leodiensi, præter alias alibi pias fundationes.

47. *Margareta Meulenberchs*, Mollensis, Beggina Diestemiensis, an. CIↃ. IↃC. XXXVII. B. I.

48. *Martinus Caverenne*, Chinacensis, I. V. L. Regens Pædagogij Porci, & Canonicus in D. Petri, obijt an. CIↃ. IↃC. XLVII. prid. Non. Novemb.

COLLE-

XIII.

COLLEGIVM TRILINGVE BVSLIDIANVM.

AVctorem habet HIERONYMVM BVSLIDIVM (vulgò *Busleiden*) *AEgidij*, Equitis aurati Filium, I. V. Doctorem, Canonicum Bruxellis in D. Gudulæ, Machliniæ in D. Rumoldi, Cameraci in D. Mariæ, & Aërienſem apud Arteſios in D. Petri Præpoſitum, ſupremique Senatus Belgici apud Machlinienſes Conſiliarium & Libellorum ſupplicum Magiſtrum; virum doctum, facundum, & varijs apud Iulium II. Pont. apud Franciſcum I. Galliarum, & Henricum VIII. Angliæ, Reges, functum Legationibus. Doctrinam facundiamque monumenta ingenij, ab eo relicta, ſatis ſuperque teſtantur, id eſt, *Carmina, Orationes, Epiſtolæ* variæ, aliaque, è quibus pauca typis edita, pleraque verò ἀνέκδοτα à paucioribus leguntur. Obijt Burdigalæ, dum à Carolo V. Imp. Belgarum Principe, Legatus in Hiſpanias mittitur, anno Dom. CIↃ. IↃ. XVII. VI. Kal. Septemb. conditiſque Machliniæ eodem anno X. Kalen. Iulij extremæ voluntatis tabulis, præter legata varia, domeſticis ac pijs locis relicta, de reliquis ſuis bonis, tam mobilibus quàm immobilibus, inſtitui voluit & ſtabiliri unum Collegium in Vniverſitate Lovanienſi, idque in Collegio S. Donatiani, ſi ibi locus commodè obtineri poſſit, vel aliàs in Collegio Atrebatenſi; eâ fortè de cauſſa, ne domum novam ad uſum ejuſdem ſui Collegij emere, novum & proprium Præſidem alere, aliaque onera ſubire neceſſum foret. Quâ quidem ſpe & fiduciâ fretus idem Fundator, in præfato ſuo Collegio Burſas voluit inſtitui tredecim, pro tribus Profeſſoribus Linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & decem juvenibus, duobus Buſlidijs, totidem Marvillanis atque Arlunenſibus (loco familiæ Buſlidianæ natali ſeu originis) uno Aërienſi ac Steenbergenſi, vel ex locis reſpectivè vicinioribus, ijſque legitimo matrimonio procreatis, boni ingenij & competentis litteraturæ, qui Lectiones viſitent Grammaticæ ac Philoſophiæ, uſque ad gradum Magiſterij, diebuſque Dominicis ac Feſtis principia & rudimenta capiant linguarum, Græcæ atque Hebraicæ, à ſui Collegij Pro-

fessoribus, simulque aliquod linguæ Latinæ additamentum à Professore Latino.

Quia verò præter modica emolumenta, ex admissione novæ hujus Fundationis obventura antiquis Collegijs, S. Donatiani vel Atrebatensi, re diligentiùs & maturiùs perpensâ, compertum deinde fuit, plus oneris atque incommodi ijsdem accessurum fuisse, ideo utrumque Collegium libenter cessit ac renuntiavit huic suo legato. Quamobrem de Trilingui hoc Collegio vix aliud exspectandum erat, quàm ut vel intercideret omninò, vel Lovanio emigraret ad Tornacenses aut Brugenses, qui ædes commodas gratis offerebant: ideoque de novo Collegio ædificando, erigendo atque instituendo necessariò cogitandum fuit, ut si non per omnia, saltem aliqua ex parte exspectationi atque intentioni satisfieret testatoris. Qua in re Executores testamenti, *Antonius Sucquetus*, Eques ac Cæsareæ Majestati à Consilijs, *Nicolaus Nispen*, Episcopo Camerac. Roberto Croiaco à Secretis, & *Bartholomæus à Vessem*, Canonicus Machliniensis, usi facultate, sibi ab eodem testatore concessa, interpretandi & moderandi, si quæ in testamenti tabulis obscura vel ambigua occurrerent, adeoque omnia & singula per eumdem testatorem seu Fundatorem desiderata, petita & ordinata, liberè gerendi, procurandi & exequendi, secuti etiam ea in re consilium, in primis fratris ipsius testatoris, *AEgidij Busl︠idij*, Canonici & Thesaurarij ad S. Gudulam Bruxellis, *Desid. Erasmi Roterodami*, & aliorum, alias emerunt ædes. Quæ dum in usum & formam Collegij adaptantur & instaurantur, Professores singuli Lectionum suarum auspicia apud Patres fecerunt Augustinianos anno CIↃ. IↃ. XVIII. Kalen. Septembrib. Vniversitate interim sollicitâ & satagente circa statuta sua observanda, nominatim de eo, quòd in dicta Vniversitate nullus Doctor, Magister, Licentiatus, Baccalaureus, admitti possit ad legendum, disputandum &c. nisi priùs fuerit intitulatus, illud extendendo etiam ad Professores Linguarum in Collegio Trilingui Buslidiano. Ita placuit an. CIↃ. IↃ. XIX. die VIII. Martij. Facultate verò Artium prætendente, Lectores, Bursarios, & alios studiosos ejusdem Collegij censendos esse de eadem Facultate; cujus proinde sit præscribere certas leges & horas competentes, juxta quas & quibus pro majori utilitate suorum auditorum profiteri debeant. Proque admissione dicti Collegij interpellatâ & requisitâ Vniversitate, post frequentes super eâ re per suos Deputatos cum prædictis Executoribus habitas collationes, placuit tandem an. CIↃ. IↃ. XX. III. Id. Martij, *Collegium hoc juxta & secundùm particulas, clausulas & ordina-*

ordinationes, in testamento dicti quondam D. Præpositi expressas, & statuta Vniversitatis, acceptandum, ac dispensandum esse super statuto disponente de iis, qui legere publicè volunt in dicta Vniversitate, quantum saltem concerneret Professores pro tempore dicti Collegij. Datus itaque Collegio primus Præses *Ioannes Sterck*, sive *Fortis*, de Meerbeeck, S. Th. L. qui unà cum Professoribus eodem anno, die S. Lucæ sacro, per Provisores (quos Fundator nominavit Curatum seu Plebanum S. Petri, M. N. ordinariè Præsidentem in Disputationibus Collegij Theologorum, & Priorem Cartusiæ Lovaniensis) solemni more in novum hoc Collegium introductus fuit. Quamvis complures tunc Lovanij & alibi essent (scribente Erasmo lib. XXIII. Epist. XI. ad Ioan. Sucquetum, Antonij fratrem) velut in hoc conjurati, ut *Collegium Buslidianum*, unicum nostræ regionis, imò totius Cæsareæ ditionis ornamentum, sublatum cuperent, eique miris cuniculis exitium molirentur: adeò ut & publicitùs è suggesto in linguas ac bonas litteras, veluti hæresios omnis seminarium, & nominatim in *Collegium Trilingue* debaccharentur, eodem Erasmo teste, lib. XXI. Epist. LVI. ad Ioan. Carondeletum, Archiepisc. Panormitanum. Vix nostra phalanx (scribit idem alibi, lib. XXV. Epist. XIV.) sustinuisset hostium conjuratorum impressionem, nî ADRIANVS, tum Cardinalis, postea Romanus Pontifex, hoc edidisset oraculum: BONAS LITTERAS NON DAMNO, HÆRESES ET SCHISMATA DAMNO. Ridiculum verò illud est, quòd ferunt, cum nascente ac florente hoc Collegio, sito ad forum piscium, à nonnullis, è Facultate Artium, qui bonas litteras contemnebant, quæ ibidem, pulsâ paullatim barbarie, excolebantur, jactitari identidem solitum: *Nos non loquimur Latinum de foro piscium, sed loquimur Latinum Matris nostræ Facultatis.* Laus ea *Buslidio* nostro debetur, quòd primus in orbe Christiano Collegium Trilingue instituerit: cujus deinde exemplum mox secuti sunt alij, *Franciscus* I. Francorum Rex, Parisijs in Gallia; *Richardus Foxius*, Wintoniensis Episcopus, Oxoniæ in Anglia; *Franc.* Card. *Ximenius*, Archiepisc. Toletanus, Compluti in Hispania; atque alij alibi.

Cæterùm primus Præsidens Collegij *Ioannes Sterck*, sive *Fortis*, abdicatâ anno CIↃ. IↃ. XXVI. ejusdem præfecturâ, deinceps vitam egit privatam, mortuus an. CIↃ. IↃ. XXXVI. ipsis Nonis April. sepultus ad S. Martinum, in ingressu Chori, cùm insigni elogio. Successere in administratione Collegij, *Nicolaus VVary*, Marvillanus, qui obijt an. CIↃ. IↃ. XXIX. VI. Non. Octob. conditus in D. Petri, ad Altare ejusdem Divi tutelaris: *Iudocus vanden Hove*, qui sui memoriam

reliquit in Collegio S. Spiritus, sive Theologorum, vitâ functus an. CIƆ. IƆ. XXXVI. die X. Septemb. *Iacobus Edelheer*, Lovaniensis, anno CIƆ. IƆ. XXXVIII. ipso Pentecostes, à mensa in horto obambulando, præproperâ morte abreptus: *Nicolaus de Castro*, Lovaniensis, S. Th. L. pòst Canonicus ad S. Ioannem Vltrajecti, & primus Episcopus Middelburgensis: *Ioannes Reineri*, de Vueerdt, an. CIƆ. IƆ. XLIV. pòst Canonicus Brugensis, & Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Ioannis Euang. Silvæducensis, qui anno CIƆ. IƆ. LX. moriens Collegio legavit reditum XLI. floren. per Præsidem inter pauperes studiosos ejusdem Collegij distribuendum: *Melchior van Ryckenroy*, Machliniensis, S. Th. L. an. CIƆ. IƆ. XLIX. inde Pastor in Groot-Sundert, pago territorij Bredani: *Ioannes Verhaghen*, à Riemenant, I. V. D. & Prof. an. CIƆ. IƆ. LXXI. à cujus morte, quæ incidit in annum CIƆ. IƆ. LXXXIV. ob temporum injuriam diu jacuit Collegium, destitutum Præside & Professoribus; donec an. CIƆ. IƆC. VI. prid. Non. Febr. constituto Præside *Adriano Baecx*, à Barlandia, Machliniensi, I. V. D. Canonico & Cantore in D. Petri Lovanij, idem Collegium è Trilingui elingue factum, aut unâ vix balbutiens linguâ, iterùm triplici sonare linguâ cœpit, loco Auditorij, ædificijsque Collegij instauratis, novoque addito Sacello, primum lapidem an. CIƆ. IƆC. XIV. V. Idus Iulij ponente Perill. & R. admodum Viro *D. Georgio ab Austria*, Præposito & Cancellario Lovaniensi, qui moriens an. CIƆ. IƆC. XIX. Collegio reditum annuum quinquaginta floren. legavit. Migravit verò hinc *Baecxius* an. CIƆ. IƆC. XXIV. Orschotum, Decanus & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri ibidem. Successit *Fridericus Havens*, Lovaniensis, I. V. L. Protonot. Apostolicus, Canonicus & Cantor ad D. Petrum; & huic an. CIƆ. IƆC. XLVIII. defuncto *Philippus Bellenus*, Lovaniensis, S. Th. Baccal. Form.

Nunc quod potissimùm instituti nostri est, etiam Professoribus, qui hactenus Scholæ huic, feliciter succrescenti, Academiæque magno fuere ornamento, demus in his Fastis locum. Hos Fundator adsumi voluit *viros undecumque eruditos, probatis moribus, & vita inculpatæ, qui indies legant & profiteantur publicè in eodem Collegio tam Christianos quàm morales, ac alios probatos auctores, omnibus eò adventantibus in tribus Linguis, Latina scilicet, Græca & Hebraica, diversis horis, pro sua & auditorum commoditate distribuendis, sine aliquo stipendio ab adventantibus exigendo, & non exacto acceptando.* Salvo, quòd pro particularibus Lectionibus privatim habendis, dummodò id fiat sine impedimento & damno Lectionum publicarum, stipendium ab auditoribus

ribus exigere, vel etiam à Prælatis aut Nobilibus Lectiones publicas visitantibus, ultrò oblatum honorarium recipere possent; cujusmodi tamen dona & munera extraordinaria tribus Professoribus voluit esse communia. Verùm hæc clausula, disponens de muneribus inter Professores æqualiter dividendis, postea an. CIↃ. IↃ. XXII. VIII. Id. Febr. factis quibusdam mutationibus & moderationibus, non placuit dictis Executoribus, & *Aegidio Buslidio* Collegij patrono, sed ut quisque suo gauderet munere. Deinde non placuit, quòd Professores, præter stipendium, percipiant lucrum aliquod ex commensalibus, aut etiam quodvis aliud emolumentum ex parte ipsius Collegij; sed quòd singulis pro stipendio, ultra expensas mensæ, adsignentur IX. libræ Flandricæ.

RPOFESSORES L. LATINÆ

ADRIANVS BARLANDVS, à Barlandia, Zelandiæ pago, primus Buslidiano honorario Latinæ Linguæ Professionem an. CIↃ.IↃ. XVIII. Kalen. Septembrib. apud Patres Augustinianos auspicatus fuit, & annum unum docuit: Vir, Erasmi elogio lib. I. Epist. XXIV. *nullo fuco, syncerus & amicus, venusto ingenio, promptâ quadam ac purâ nec inamœnâ sermonis facilitate præditus*; adeoque *politioris litteraturæ armarium*, teste Gerardo Noviomago, Epist. de Zelandiæ situ. Multa scripsit, de quibus in Biblioth. Belgica, & in libello De Vitis & Scriptis Professorum Collegij Trilingius Buslid.

CONRADVS GOCLENIVS, DE WAELDYCK, Mengerichusanus, Vuestphalus, datus fuit successor *Adriano Barlando* an. CIↃ. IↃ. XIX. Kalen. Decembris, primusque in Collegio Trilingui docere cœpit an. CIↃ. IↃ. XX. XV. Kalen. Novemb. receptus ad Concilium Vniverf. ex Facult. Artium an. CIↃ. IↃ. XXIV. prid. Kal. Martij. Fuisse *eâ morum comitate, facilitateq́, ut litteras, quas docebat, etiam apud illos redderet gratiosas, qui prius aversabantur*, scribit Eras. lib. XVII. Epist. VII. qui & alijs locis, alibi à me collectis, in *Goclenij* excurrit laudes. Laudavit eumdem pro funere *Petrus Nannius*, in Professione successor. Obijt an. CIↃ. IↃ XXXIX. VIII. Kalen. Febr. legatis Facultati cuilibet octoginta florenis Rhenensibus, in pauperes Studiosos distribuendis.

PETRVS NANNIVS, vulgò *Nanninck*, Alcmarianus, Batavus, docendi auspicia fecit eodem anno, ipsis Kalen. Febr. Vir fuit Græcè Latineque doctissimus, comis & blandi ingenij, totus Musis, & Gratijs factus, Ant. Perrenoti, tum Atreb. Episcopi, beneficio ejusdem Eccl,

Eccl. Canonicus. Decessit an. CIↃ. IↃ. LVII. Professionis XVIII. Prid. Kalen. Augusti, sepultus in D. Petri, ad Altare ejusdem. Varia scripsit, Commentaria ac Notas, Orationes, Dialogismos, & quædam de Græcis Latina fecit, de quibus vide Biblioth. Belgicam.

CORNELIVS VALERIVS, AB AQVA VETERI, vulgò *Audwater*, Vltrajectinus, amico suo *Petro Nannio*, anno CIↃ. IↃ. LVII. Nonis Octobris successit: qui ita fideliter provinciam eam subivit, nihil ut puriùs aut tersiùs dici quàm ab illo posse videretur, *non minùs disertus utilisq;, postquam loqui desijt, quàm clarus & æternus, postquam scribere*, ut in Epitaphio legitur, quod præceptori opt. mer. gratus discipulus D. *Georgius ab Austria*, ad D. Petrum Præpositus & Academiæ Cancellarius, posuit. Moritur *Valerius* an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. Professionis XXI. III. Eid. Augusti. Hujus quoque scripta in Biblioth. Belgica recenseo. Iacuit deinceps annos plurimos Collegium, & parem cum reliqua Academia calamitatem vastitatemque experiri necessum habuit. Secutus longo intervallo,

GVILIELMVS HVYSMANNVS, Liranus, annos aliquot docuit, relictâque deinde Professionis cathedrâ, Scholę Dionantensis apud Eburones Moderator fuit, indeque in Italiam concessit, familiaris *Erycio Puteano* tum Mediolani docenti, & ibidem circa an. CIↃ. IↃC. XIII. vivere desijt. Eodem autem tempore, quo Lovanium deseruit *Huysmannus*, venit eò, à Brabantiæ Ordinibus evocatus,

IVSTVS LIPSIVS, natus in Iscano Brabantiæ municipio, ad tertium ab urbe Bruxellensi (loco familiæ Lipsianæ originario) lapidem; quo duce ad publicum Athenæum migrarunt Musæ. Neque enim is umquam in hoc Collegio docuit, quamvis, præter honorarium, quod illi ijdem Brabantiæ Ordines persolvebant, stipendij quoque Buslidiani acciperet auctarium, à *Carolo* Cæsare concessum. Ante *Lipsium*, Ordinum Brabantiæ rogatu ac beneficio, IOANNES STADIVS, Loenhoutanus, Lovanij Historiam Romanam publicè explanavit, & Professionis hujus suæ specimen edidit *Commentarium in L. Florum*: verùm is, cùm in Mathematicis disciplinis maximè excelleret, eoque nomine viris Principibus in Belgio & alibi se probasset, ab Henrico III. Galliarum Rege Lutetiam Parisiorum ad publicam Historiæ ac Mathesios Professionem evocatus, ibidem vitam finijt anno CIↃ. IↃ. LXXIX. ætatis LII. XV. Kal. Quinctileis. Fuit verò *Lipsius*, dum vixit, omnis politioris litteraturæ vindex, Historiæ atque Antiquitatis omnis, & præsertim Romanæ, promus & condus, Consiliarius atque Historiographus Regius. Decessit Lovanij an. CIↃ. IↃC. VI. X.

VI. X. Kalen. Aprilis, conditus apud Minores, ubi *inclyti viri Famæ, urbi nota; Virtuti cœlo recepta*, sarcophagum marmoreum S. P. Q. Antverpiensis posuit. Epitaphium sibi ipse paucis versibus condiderat:

Quis hic sepultus, quæris? Ipse edisseram.
Nuper locutus & stilo & linguâ fui,
Nunc altero licebit. Ego sum LIPSIVS,
Cui Litteræ dant nomen, & tuus favor,
Sed nomen. Ipse abivi, abibit hoc quoque:
Et nihil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta Fumus, Vmbra, Vanitas,
Et Scænæ Imago, *&, verbo, ut absolvam*, NIHIL.
Extremum hoc te alloquor,
AEternùm ut gaudeam, tu apprecare.
I. LIPSIVS *vixit annos* LVIII. *menses* V.
Obijt anno Christiano CIϽ. IϽC. VI. X. *Kal. Aprilis.*

Pro funere dixit *Gerardus Corselius*, tum Legum Antecessor. Vitam scripsit *Aubertus Miræus*: de Scriptis nos in Bibliotheca Belgica.

ERYCIVS PVTEANVS, *Bamelrodiæ* stirpis, Venlonæ apud Geldros patre Consulari natus anno CIϽ. IϽ. LXXIV. prid. Non. Novemb. ex Insubribus, apud quos Mediolani Eloquentiam publicè profitebatur, in Belgium evocatus, anno CIϽ. IϽC. VII. in Auditorio Trilingui, Principis atque Ordinum beneficio, docere cœpit, & varia scripsit, Oratoria, Epistolica, Philologica & Philosophica, Historica, Politica & Mathematica, quæ in Biblioth. Belgica recenseo, unà cum Vitæ compendio. Fuit & Principum Belgij Consiliarius & Historiographus Regius. Vixit autem, docuit, scripsit Lovanij totos XXXIX. annos, moriturque an. CIϽ. IϽC. XLVI. XV. Kal. Octob. ad D. Petrum in Sacello S. Caroli Borromæi conditus. Pro funere dixit, successitque in Professione Buslidiana, Provisorum suffragijs,

NICOLAVS VERNVLÆVS, natus Robelmontij (qui vicus est agri Vertonensis in Ducatu Luxemburgensi) anno CIϽ. IϽ. LXXXIII. S. Th. L. Cæsareus Regiusque Historiographus, atque inde ab anno CIϽ. IϽC. XI. publicus Eloquentiæ Professor in Facultate Artium. Tragico præsertim cothurno excelluit, aliaque scripsit, potissimùm ad Historiam ac Politicam, seu civilem sapientiam spectantia, de quibus vide Biblioth. Belg. Vixit quietè & placidè, & sic quoque mortuus est; erga omnes benignus, in pauperes munificus. Obijt autem an. CIϽ. IϽC. XLIX. VIII. Eid. Ianuarij, juxta tumulum *Erycij Puteani*

(cui familiarissimus vixerat) depositus. In funere dixit Exim. D. *Antonius Dave*, S. Th. D. & Prof. In Professione verò Collegij hujus *Vernulao* à Provisoribus eodem anno surrogatus est

BERNARDVS HEIMBACHIVS, Tolbiacenus, agri Bonnensis, ac studij Coloniensis, S. Th. Baccal. antehac Trajecti ad Mosam in Scholis Servatianis Eloquentiæ Prof. cujus legitur Drama sacrum, cui titulus, *Servatius Octavianus sive Tungrensis*, Notis illustratum.

PROFESSORES L. GRÆCÆ.

RVTGERVS RESCIVS, Maseyckanus, I. V. Licent. primus L. Græcæ Professor, *doctrinam non vulgarem incredibili quadam modestiâ, planeq; pudore virgineo condecorabat*, Erasmo teste lib. XVII. Epist. XII. Auspicatus fuit Professionem an. CIↃ. IↃ. XVIII. Kalen. Septemb. apud Patres Augustinianos, admissus demùm ab Vniversitate ad docendum an. CIↃ. IↃ. XXIX. Kal. Decemb. Moritur an. CIↃ. IↃ. XLV. Professionis XXVII. VI. Non. Octobris: cujus vidua *Anna Moonsia* nupta deinde fuit *Ioanni VVamesio*, convictori suo, I. C. celeberrimo.

ADRIANVS AMEROTIVS, vulgò *Amoury*, Suessionensis, I. V. L. primùm in Liliensi, pòst Buslidiano Collegio Græcas docuit litteras, ediditque anno CIↃ. IↃ. XX. typis Theodorici Martini, *Compendium Græcæ Grammatices*: deque *Dialectis diversis Declinationum Græcanicarum tam in Verbis quàm Nominibus*. Fuit Vir, *præter exactam utriusque litteraturæ peritiam, & Philosophiæ gnarus, & Iuris Cæsarei non ignarus, moribus mirè candidis*, ut de eo scribit Eras. lib. XVIII. Epist. XII. & per biennium apud Augustinianos Latinè diebus Dominicis ad Clerum concionatus fuit, Card. Granvellani & multorum aliorum bonis in litteris institutor ac pædagogus. Obijt an. CIↃ. IↃ. LX. XIX. Kal. Febr.

THEODORICVS LANGIVS, Enchusanus, Batavus, annos decem in Burdigalensi apud Gallos Academia Græcas litteras professus, Lovanij in eadem Professione *Adriano Amerotio* surrogatus fuit. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. IV. Eid. Iunij, legatâ Collegio Bibliothecâ. Secutus hunc per intervalla

GVILIELMVS FABIVS, vulgò *Boonaerts*, Hilvari-Becanus, Med. Licentiatus, an. CIↃ. IↃ. XC. V. Kalen. Iunij è vivis eripitur.

GERARDVS CORSELIVS, Leodicensis, in auspicijs dixit an. CIↃ. IↃ. XCI, Prid. Non. Martij, & sexennium in Collegio hoc docuit, renuntiatus interim I. V. Doctor, indeque Regius Institutionum Professor, Legumque Ordinarius ac Primarius, & demùm Regius in Consi-

Consistorio Machliniensi ac Secretiori Consiliarius, de quo plura suo loco superiùs diximus. *Corselio* autem in Professione L. Græcæ an. CIↃ. IↃC. VI. prid. Eid. Aprilis surrogatus

HENRICUS ZOESIUS, Amorsfortius, annum unum & menses sex tantùm docuit, defungiturque eâ provinciâ, nominatus à Rege Professor Institutionum Iuris Civilis, de quo similiter dictum est suprà. *Zoesium* excepit an. CIↃ. IↃC. IX.

PETRUS à CASTELLO, Gerardimontanus, antea annos aliquot Aurelijs apud Gallos litteras humaniores Græcamque linguam professus, ubi & Iurisconsulti titulum accepit. Lovanij verò etiam Medici interim titulo & honore Doctorali auctus, ab anno CIↃ. IↃC. XX. Regijs auspicijs simul *Medicas* docuit *Institutiones*. Scripsit Ἑορτολόγιον, sive *de Festis Græcorum*, Syntagma: Κρεωφαγίαν sive *de esu Carnium* libb. IV. *Vitas illustrium Medicorum*, aliaque, de quibus in Biblioth. Belgica. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXII. VII. Kalen. Martij.

PETRUS STOCKMANS, Antverpiensis, I. V. Doctor, mox à morte *Castellani*, datus eidem successor, auspicalem Orationem VI. Non. Martij habuit; qui & Regius Iuris Civilis Professor simul Παράτιτλα tradidit. Illi ad Concilium supremum Brabantiæ adsumpto successit

MATTHAEUS THEIGE, Limericensis, Hibernus, S. Th. Doctor, an. CIↃ. IↃC. XLIII. X. Kal. Augusti.

PROFESSORES L. HEBRAICÆ.

MATTHÆUS ADRIANUS, genere Iudæus, natione Hispanus, religione Christianus, Medicinæ Doctor, Christi Miles, à Desid. Erasmo è media Germania accersitus, & commendatus *AEgidio Buslidio*, lib. III. Epist. XXXIX. primus auspicijs *Buslidianis* Lovanij Hebraicam docere linguam cœpit anno CIↃ. IↃ. XVIII. Kalendis Septemb. Docuit verò dumtaxat annum ac menses tres. Excudit Lugduni Gryphius, auctore *Matthæo Adriano*, Equite aurato, *Introductionem* brevem *in Linguam Hebraicam*; & Oratiunculas tres, *Dominicam*, *Salutationem Angelicam*, & *Salve Regina*, Hebraicè redditas.

ROBERTUS WACKFELDUS, à discessu *Matthæi* menses tantùm quattuor professus est, nimirum à Kalen. Augusti CIↃ. IↃ. XIX. usque ad Kal. Decembreis. Docuit idem & Tubingæ in Germania, reversusque in Angliam Regi fuit à Sacris. Vide Ioan. Pitsæum De illustrib. Angliæ Scriptoribus, qui circa annum CIↃ. IↃ. XXXVIII. obijsse

auctor est, & scripsisse *De laudibus Linguæ Hebraicæ*, *Institutiones Hebraicas*, *De utilitate trium Linguarum*, aliaque.

ROBERTUS SHIRWODUS, itidem Anglus, S. Th. Doctor Oxoniensis, à *VVackfeldo* substitutus, Professionem post mensem unum deseruit. Meminit hujus idem Pitsæus ad an. CIϽ. IϽ. XXX. eoque auctore *Recognitio sive Explanatio in Ecclesiasten* edita est Antverpiæ an. 1523.

IOANNES CAMPENSIS, vulgò *van Campen*, an. CIϽ. IϽ. XXXI. à *Leone* X. Pont. Max. Romam evocatus, deposito profitendi munere, motoriam deinceps egit fabulam, ut ad Goclenium in Epistolis postumis scribit Erasmus. Moritur peste Friburgi Brisgoiæ an. CIϽ. IϽ. XXXVIII. VII. Eid. Septembris, dum in Belgium parat reditum. E scriptis probatur ejus *Paraphrasis in Psalmos* & *Ecclesiasten*, & *Grammatica Hebraica*, è varijs Eliæ Levitæ libellis contexta.

ANDREAS GENNEPIUS, Balenus, Brabantus, Professionem auspicatus est an. CIϽ. IϽ. XXXII. IV. Kalen. Martij. Laudat eum Guil. Lindanus De optimo interpretandi Scripturas genere lib. I. cap. VII. & memini legisse in Analectis Rerum Lovaniensium, manu Ioannis Molani, Doctoris Theologi, exaratis, audivisse aliquando se ex ore *Andreæ*, suam esse Grammaticam, quam *Ioannes Isaacus* suo nomine ediderat, seque eam *Isaaco* dictasse. Obijt anno CIϽ. IϽ. LXVIII. ætatis LXXXIV. Professionis XXXVI. IV. Eid. Februarij, sepultus in D. Petri. Cæterùm *Gennepio* annis laboribusque fracto vicariam aliquamdiu operam impenderunt, *Augustinus Hunnæus*, pòst S. Theol. Doctor, & *Bucho à Montzima*, Frisius, similiter S. Th. D. dum interea Magistratus Lovaniensis, acceptis precibus quorumdam studiosorum, petentium Prælectionem institui quotidianam in linguam Hebraicam, commisit id negotij Facultati S. Theologiæ. Sententia verò Facultatis fuit, Prælectionem ejusmodi fore & esse admittendam atque approbandam, si modò Professor judicio Facultatis designetur semper aliquis Theologus, vir prudens & gravis, non si Magistratus, pro suo judicio atque arbitrio, Professorem aliquem constituere velit. Quæ Facultatis sententia cùm esset per Decanum ejusdem ad Consulem relata, respondit ille, eam quoque esse & suam & Magistratus sententiam, ut scilicet in hac Professione nihil absque consilio & consensu Facultatis ageretur: nec se aliquem Professorem ullo tempore constituturum, nisi quem Facultas præsentaret aut approbaret, seque paratos esse de hoc publicam fidem facere Facultati. Acta hæc anno CIϽ. IϽ. LXIII. die XXVI. Aprilis.

IOAN-

IOANNES GVILIELMIVS, Harlemius, Societ. IESV, S. Th. Licent. anno CIↃ. IↃ. LXXI. creatus, à morte *Baleni* annum unum in hoc Collegio Hebraicas docuit litteras, dum interea extra illud *Petrus Pierius à Smenga*, Schotanus, Frisius, & *Cornelius Robertus*, Antverpianus, competitores specimen doctrinæ suæ edunt, prævalente apud Provisores ac *Guil. Busleidium*, Patronum Collegij, *Smenga* an. CIↃ.IↃ. LXIX. VI. Eid. Iulij. Itaque

PETRVS PIERIVS à SMENGA, annos octo Hebraicam professus Linguam, ductâ an. CIↃ. IↃ. LXXVII. uxore, Doctorque Medicinæ renuntiatus, Artem deinceps tradidit Medicam. Ab eo verò tempore, ultra XXX. annos nullus fuit in Collegio hoc L. Hebraicæ Professor, donec anno CIↃ. IↃC. XII. adsumptus fuit ad hoc munus

VALERIVS ANDREAS, Desselius, I. V. Doctor: qui eodem anno VI. Kal. Apriles Orationem habuit auspicalem, quam & publici juris fecit, unà cum Vitis & Scriptis Professorum ejusdē Collegij, hodieq; in illa, ut & in Regia Institutionum Iuris Civilis, Professione perseverat.

COLLEGIVM VAVLXIANVM, vulgò GANDENSE.

COllegium hoc à loco natali primi sui Fundatoris FRANCISCI DE NOVA-TERRA, vulgò *Nieulandt*, Gandavensis nomen hodieque retinet. Is enim anno Dom. CIↃ. IↃ. LIX. die XXIV. Febr. oblato supplice libello Rectori & Vniversitati, unà cum Commentario super institutione puerorum in Grammatica, usque ad Logicam exclusivè, factaque sibi potestate Scholam aperiendi litterariam, postquam eidem suæ Schola per multos annos, ipse Scholasticus Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri, præfuisset, an. CIↃ.IↃ.LXXIV. III. Eidus Iunij moriens domum, quam inhabitare solet, Collegio rei litterariæ deputavit, designatis Provisoribus, seniore è qualibet Facultate, & Vrbis Coss. verùm sine dote aliqua. Hanc adjecit, constitutis de novo rebus Collegij, *Iacobus du Bay*, S. Th. Doctor, è legatis ad piam caussam relictis à N. V. IOANNE DE VAVLX, Insulensi, qui Lovanium quietis caussâ secesserat, & ibidem è vita decessit an. CIↃ.IↃ.LXXXVII. VII. Eid. Apriles, *Baio* (quo familiariter fuerat usus) scripto testamenti executore. In quem propterea Vniversitas & Coss. jus omne suum transtulerunt, quique Collegium in posterum dici *Vaulxianum*

 publico

publico programmate voluit, eique Provisores adsignavit Decanum Ecclesiæ Collegiatæ S. Iacobi, Antecessorem Legum primarium, & Pastorem Ecclesiæ parochialis S. Gertrudis. Rexere illud *Lavinus Ghoir*, S. Th. L. cui anno CIↃ. IↃC. II. defuncto, successere ordine fratres *du Bay*, *Aegidius*, S.Th.D. *Hubertus*, S.Th.B. & *Iacobus* I.V.L.& huic an. CIↃ. IↃC. XXXIV. ad Collegium Bayanum migranti, *Ioannes Staffaert*, Gemblacensis, S. Th. Baccal. qui anno CIↃ. IↃC. XLVI. die XXVII. Octob. in itinere Bruxellam inter & Lovanium ab hoste captus & malè tractatus, obijt Trajecti ad Mosam in carcere, eodem anno die VIII. Novemb. Hodie regit *Ioannes van Doren*, Lovaniensis, S. Th. Baccal. Form.

XIV. *De alijs* COLLEGIIS *Scholarium alimentationi deputatis, eorumq; Fundatoribus ac Benefactoribus.*

PRæter ea, quæ dixi propria esse Facultatis Artium, docendæque potissimùm Philosophiæ, quæque Linguis ac Litteris Historiæque ac Politicæ scientiæ tradendæ sunt deputata, plura alia Collegia sunt, partim singularum Facultatum alumnis destinata, partim etiam Facultatum studiosis mixtim deservientia; estque Alimentariorum, quos Bursarios seu Bursales vulgò nuncupant, conditio, pro Collegiorum conditione fundationeque alia atque alia. Sunt Collegia, in quibus certa pecuniaria summa annua ex Fundatorum dispositione alimentarijs præbetur, quæ si alimentis non sufficit, de suo addant necesse est quod victui deest. Sunt alia, in quibus ex institutione alimenta integra suppeditantur. Sunt & in quibus, præter alimenta, focus, lumina, aliave quædam subsidia accedunt. Bursæ pleræque omnes certis Collegijs sunt adscriptæ, pro studij ratione. Sunt etiam quædam, quarum possessores liberam habent, ubi commorentur, electionem.

Theologici studij Collegia sunt, *Theologorum* utrumque, alterum *Maius*, alterum *Minus*, *Adriani Florentij P. VI.* quod *Pontificium* vulgò vocantur, *Henrici de Houterle*, *Seminarium Pastorum Regium*, *Leodiense*, *Hibernicum*; Collegium *Greg. Divai*, *Bayanum*, *D. Pulcheriæ*, *S. VVillibrordi*,

Rev.mi

Rev.mi D. *Ioannis Malderi*, Episc. Antverp. *Franc. Hovij*, & Collegia Scholæque Religiosorum.

Iurisprudentia sibi deputata habet Collegium *D. Ivonis*, vulgò *Iuristarum*, *S. Donatiani* & *VVinckelianum*. Medicina unicum, auctore *Petro Breugelio*, Med. Doct. & Professore.

Miscelli verò studij sunt, saltem plurium Facultatum alumnos admittunt, *Atrebatense*, *Sabaudicum*, *S. Annæ*, seu *Namurcense*, *D. Mich. Driutij*, I. V. D. quod & *Casletense* vocant; *D. Viglij Zuichemi*, Præsidis, quod & Frisium; *D. Marcellij de Craendonck*; *D. Ioannis Pels*, quod & *VVestphalicum*; *D. Ioannis Bievene*, I. V. D. quod & *Montense*; *D. Ioan. Milij*, I. V. D. quod & *Luxemburgense*; denique *Ord. Teutonici*.

Habent verò singula Collegia, præter Præsidem, penes quos studiorum & morum directio correctioque est, & familiæ cura, suos Provisores, vel à fundatoribus ipsis designatos, vel ab Vniversitate Facultatibusque singulis deputatos. Quorum munus est, præsentatos ad Bursas admittere & instituere, statis anni temporibus Collegia visitare, in mores ac studia Bursariorum inquirere, promerentes destituere, rationesque administrati Collegij quotannis exigere & audire. De quibus, ob concurrentes subinde qualitates diversas Provisoris ac Præsidis, item ipsorum Provisorum in unam & eamdem personam, anno CIↃ. IↃC. XVII. occurrente ejus rei controversiâ, ita statuit Vniversitas, & vim statuti habere voluit. *Quotiescumque duæ qualitates concurrunt in unam eamdemq; personam Præsidis & Provisoris, vel duplex qualitas Provisoris eiusdem Collegij vel fundationis, penes eam personam sit electio, utrâ qualitate uti velit: & quoad alteram, siquidem successio sit, veluti si vocetur senior sive Doctor sive Professor &c. senior in eadem qualitate succedat. Si verò non sit successio, veluti si vocatus sit Pastor huius vel illius Ecclesiæ, tum penes Rectorem & Deputatos sit electio, auditis cæteris Provisoribus & Præside eiusdem Collegij. Ita tamen, si illa qualitas, ut in qua substitutio fit, affecta sit certæ Facultati, ex ea Facultate electio fiat; & ita, ut substitutio illa duret, quamdiu duæ qualitates in una eademq; persona concurrent, & non diutiùs.*

I. COLLEGIVM THEOLOGICVM
Maius & *Minus*.

COLLEGIVM hoc, omnium primum, principia sua debet LVDOVICO DE RYCKE, Equiti, ex Senatore Lovaniensi Consiliario & Quæstori Ducis Brabantiæ, ejusque uxori IDAE DE BERTHEM, qui anno Dom. CIↃ. CCCC.XLII. à condita verò Academia decimosexto, ædes suas converterunt in Collegium, sacræ Theologiæ Studiosis, sub tutela S. SPIRITVS, dicatum & dotatum tunc quidem mediocriter, pro septem pauperibus Scholaribus: verùm Fundatio istæc postmodum auctoritate Rectoris Magnifici redacta fuit ad tres tantùm portiones, & illas tenues satis. Collegium autem hoc, jacto sic feliciter fundamento, varij deinceps dotarunt & Fundationibus auxerunt, Academiamque vel maximè hoc modo stabilierunt; qui propterea laude suâ frustrandi non sunt. Ferunt in hoc Collegio aliquando exceptum fuisse hospitio BESSARIONEM Card. Nicænum, & reliquisse ibidem memoriam sui Biblia manuscripta. Duplex autem hodie Collegium est Theologorum: alterum MAGNVM seu MAIVS vocant, quod est principale, ex quo velut ex matrice natum est alterum, quod ejus comparatione PARVVM seu MINVS dicitur: cui an. CIↃ. IↃ.LX. XIII. Kalen. Iulij deputata fuit domus, quam *Catharina Pinnocia*, soror *Ludovici*, Villici seu Prætoris opidi Lovaniensis per annos XLIV. vidua *Liberti de Meldert*, Domini de Buedinghen & de Vroedelinghen, atque Advocati de Raedshoven, anno CIↃ. IↃ. XIII. Collegio Theologorum donaverat. Vtrumque hoc Collegium directioni subjacet Facultatis S. Theol. quæ & Præsidem nominat atque instituit. Præfuere autem eidem necdum diviso *Lucas Vualteri de Conttio*, S. Th. D. Obijt an. CIↃ. IↃ. XV. *Martinus Dorpius*, de Naeldvuyck: *Ruardus Tapperus*, ab Enchusia, adsumptus an. CIↃ. IↃ. XIX. *Ioannes Doye*, de Valencenis, *Ioannes ab Hasselt*, tunc S. Th. L. CIↃ. IↃ. XXXVIII. *Michael du Bay*, S. Th. D. CIↃ. IↃ. L. *Lambertus Priem*, Silvæducensis, S. Th. L. qui obijt an. CIↃ. IↃ. LVI. *Martinus Rythovius*, *Ioannes Hessels*, de Lovanio, CIↃ. IↃ. LIX. sub quo divisum fuit Collegium in Majus & Minus. Majori deinceps præfuere: *Ioannes Sixtus*, S. Th. L. pòst Episcopus Audomarensis, an. CIↃ. IↃ. LXI. *Cornelius Iansenius*, Hulstensis, CIↃ. IↃ. LXII. *Cornelius Reineri* Gaudanus, CIↃ. IↃ. LXVIII. *Laurentius Vuesterhovius* CIↃ. IↃ. LXXVII. *Henricus Gravius*, Lovaniensis, CIↃ. IↃ. LXXVIII. *Ioannes Clarius*, Tungrensis, CIↃ. IↃ. XCI.

Iacobus

Iacobus à Castro, Amstelodamensis, CIↃ. IↃC. V. pòst Episcopus Ruræmundensis: *Guilielmus Fabricius*, Noviomagus, CIↃ. IↃC. XI. *Henricus Rampen*, Huensis, CIↃ. IↃC. XXVIII. *Ioannes Sinnigh*, Corcagiensis, Hibernus, CIↃ. IↃC. XLI. Ad Minus migravit dictus *D. Hesselius*, in quo successores habuit *Cornelium Reineri*, Gaudanum, an. CIↃ. IↃ. LXVI. *Robertum Malcotium*, Lovan. CIↃ. IↃ. LXVIII. *Henricum Gravium*, Lovan. CIↃ. IↃ LXX. *Aegidium Vuallium*, Brugensem, CIↃ. IↃ. LXXVIII. *Guilielmum Fabricium*, CIↃ. IↃC. III. *Guilielmum Mercerum*, Athensem, CIↃ. IↃC. XI. *Henricum Rampen*, CIↃ. IↃC. XXV. *Nicolaum de Vuatines*, Insulensem, S. Th. & I. V. Licent. pòst Canonicum, Officialem & Archidiac. Ecclesiæ Cathedralis Namurcensis, CIↃ. IↃC. XXVIII. *Ioannem Taillaert*, Leodiensem, S. Th. L. Canonicum Antverp. CIↃ. IↃC. XXXIII. *Andream Laurent*, Goegniensem, S. Th. D. & Prof. CIↃ. IↃC. XLVII. Lubet nunc utriusque hujus Collegij Patronos Benefactoresque mixtim referre in hos Fastos.

1. *Martinus van Eckerboeck*, de Zoemeren, Artium Magister & Sacerdos. Obijt Lovanij an. CIↃ. CCCC. LXVIII. VII. Eid. Septemb. B. II.

2. *Elizabetha Lambrechts*, vidua Walteri de Berthem, incola Lovaniensis, an. CIↃ. CCCC. LXIX.

3. *Aegidius Ghiselin*, Artium Magister, & Decretorum Licent. Obijt an. CIↃ. CCCC. LXXIII. VI. Eid. Decembris. Duas fundavit Bursas, alteram pro Theologo, alteram pro Studioso Iuris Canonici; quarum provisio est penes Facultatem Theologicam, administratio bonorum penes hoc Collegium.

4. *Ioannes Varenacker*, de Ruyslede, Flander, S. Theol. Doctor, & Plebanus Ecclesiæ D. Petri, cum *Guilielmo*, fratre suo, eiusdem Ecclesiæ Thesaurario, an. CIↃ. CCCC. LXXV. B. II.

5. *Henricus Grimberch*, & *Margareta Meeus*, conjuges, cives Bruxellenses, an. CIↃ. CCCC. LXXIX. B. IV.

6. *Nicolaus à Porta*, Rector seu Persona Ecclesiæ parochialis de Hamont, eodem an. CIↃ. CCCC. LXXIX. sub Sixto IV. consensit in unionem sive incorporationem auctoritate Apostolicâ faciendam Collegio Magistrali Facultatis S. Theologiæ, ad opus pauperum Studentium in Collegio S. Spiritus. Possidentur Bursæ IV. in *Collegio Minori*.

7. *Iacobus de Cotthem*, Decret. Doctor, Frater novitius Minorum, extra & prope Placentiam in Italia, an. CIↃ. CCCC. LXXXI. B. I.

8. *Aegidius Baillioeul*, de Lilio, agri Atrebatensis, S. Theol. Doctor & Professor, an. CIↃ. CCCC. LXXXIII. B. I.

9. *Gaspar Kinschot*, aliàs *Divitis*, de Turnhout, S. Theol. Baccl. Regens Pædagogij Falconis, & Canonicus ad S. Petrum Lovanij, an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. B. I. aucta per Facultatem Theol. & altera parva, translata ex Pædagogio Falconis ad hoc Collegium.

10. *Simon de Slusa*, Med. Doctor, Præpositus & Archidiaconus Vltrajectinus, an. CIↃ. CCCC. XCV. Decessit an. CIↃ. CCCC. XCIX. die XXVII. Septemb. B. II.

11. *Ioannes Moeselaer*, aliàs *Streelincx*, S. Theol. Baccal. Regens Pædagogij Castri, an. CIↃ. CCCC. XCIX. B. I.

12. *Conradus de Sarto*, Leodiensis, Decretorum Licentiatus, Canonicus & Custos Ecclesiæ Cathedralis S. Lamberti, Præpositus Machliniensis, & ibidem in magno Senatu Belgico Consiliarius, moritur Lovanij an. CIↃ. IↃ. II. VIII. Idus Februarij: sepultus in Choro templi Cartusiani, ubi & Cellam fundavit, & in Sacello S. Antonij, vulgò Clericorum, Missam quotidianam. B. I. in *Collegio Minori*. Reliquit & reditum annuum XIV. floren. in emptionem bovis.

13. *Bartholomæus de Aquis*, mercator Venetus, convictor & socius Collegij, an. CIↃ. IↃ. VII. B. I. quæ anno CIↃ. IↃ. XXVI. unita est Bursæ *Iacobi de Cotthem*.

14. *Catharina Pinnocx*, Lovaniensis, vidua *Liberti de Mellbert*, Dom. de Buedinghen &c. obiit an. CIↃ. IↃ. XIII. V. Eid. Martij. Fundavit & dotavit in Cartusia Cellam; in Sacello S. Antonij Laudes de Virgine Deipara, quotidie decantandas; in Collegio Theologorum Missam, ferijs sextis celebrandam. Eidem Collegio donavit domum suam, quæ postmodum cessit Collegio secundo Theologorum.

15. *Antonius VVilhelmi*, *à Poortvliet*, S. Theol. Baccal. Regens Castri an. CIↃ. IↃ. XIV. B. IV. *in Collegio Minori*.

16. *Ioannes de Hoya*, Gandensis, S. Th. D. an CIↃ. IↃ. XVIII. B. II.

17. *Ioannes Briaert*, Belliolanus, ex agro Athensi, S. Th. Doctor & Professor, an. CIↃ. IↃ. XX. B. I. *in Collegio Minori*.

18. *Godscalcus Rosemondus*, Endhovianus, S. Theol. Doctor & Prof. an. CIↃ. IↃ. XXVI. B. I.

19. *Guilielmus Ioannis*, de Vianen. S. Theol. Doctor, & Plebanus Ecclesiæ D. Petri, an. CIↃ. IↃ. XXIX. B. II. *in Collegio Minori*.

20. *Cornelius Braen*, Venetus, mercator Antverpiensis, an. CIↃ. IↃ. XXIII. Auxit hic Collegium ædificio primario, quod hortum ab area secernit.

21. Nico-

21. *Nicolaus Coppin*, Montensis, S. Theol. Doctor & Prof. Decanus Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri, an. CIↃ. IↃ. XXXV. B. II.

22. *Ioannes Henrici*, de Geldrop, Canonicus Thenensis, an. CIↃ. IↃ. XXXVI. in subsidium bovis reliquit reditum decem florenorum.

23. *Iudocus Vanden Hove*, Lovaniensis, primùm Bedellus Facultatis Theologicæ, pòst Collegij Trilinguis Buslidiani Præses, an. CIↃ. IↃ. XXXVI.

24. *Christianus de Beka*, à Dithmarsia, dioecesis Bremensis, Cantor Aulæ Cæsareæ, & ad D. Petrum Lovanij Canonicus. Obijt anno CIↃ. IↃ. XL. die XXI. Septembris. Bursa una Theologica & aliæ quatuor, quæ deficientibus consanguineis, aut ex Dithmarsia oriundis, obambulant per Facultates, S. Theologiæ, Iuris Canonici, atque Artium, in Pædagogio Castri.

25. *Ioannes Carondeletus*, Archiepiscopus Panormitanus in Regno Siciliæ, & Præpositus ad S. Donatianum Brugis, an. CIↃ. IↃ. XLIV. B. II.

26. *Petrus Cortrel*, Archidiaconus Gandensis & Canonicus Tornacensis, eiusdemque loci Episcopi Vicarius Generalis, vivere desijt anno CIↃ. IↃ. XLV. die XXVII. Maij. B. II.

27. *Petrus de Polleur*, Presbyter, Canonicus Amaniensis, prope Hoium, Geldenaci residens, an. CIↃ. IↃ. XLVI. B. I.

28. *Cornelius Andreæ à Stryen*, S. Theol. Licent. Canonicus Palatij Hagensis apud Batavos, & Inquisitor hæreticæ pravitatis à Pontifice nominatus, obijt in Haga-Comitis anno CIↃ. IↃ. XLVI. fundatis in hoc Collegio Disputationibus Sabbathinis, quibus præesse aliquis è Collegio Facultatis Theol. hactenus absque ulla dotatione solet, quæque postea, ut plurium bono cederent, ad publicum Theologorum Auditorium translatæ fuere.

29. *Ioannes Leonardi*, cognomento *Vander Eycken*, ab Hasselt, S. Th. Doctor & Professor, anno CIↃ. IↃ. LII. reliquit reditum in pias distributiones inter pauperes studiosos Theol. & pro anniversario suo.

30. *Carolo V.* Imp. auctoritate *Pauli IV.* Pont. uniente Prioratum de Bierbeeck Facultati Theologicæ, sub certis oneribus, etiam instituendi Bursas aliquot, eadem Facultas ex bonis hujusmodi nutrit in *Collegio Minori* Bursarios quinque, vocaturque *Fundatio Bierbecana.*

31. *Simon de Plaenen*, ab Asperen, Silvæ-ducensis, S. Theol. Licent. & Pastor Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiæ, an. CIↃ. IↃ. LIV. B. I.

32. *Theodoricus de Plaenen*, Silvæ-ducensis, S. Theol. Baccal. Formatus. B. I.

33. *Lambertus Priem*, Silvæ-ducensis, S. Theol. Licent. & Præsidens Collegij Theologorum, adhuc indivisi. Obijt an. CIↃ. IↃ. LVII die xx. Augusti.

34. *Ioannes Martini*, de Schoonhovia, S. Theol. Baccal. Decanus & Pastor Ecclesiæ Culenburgensis apud Geldros. Hic anno CIↃ. IↃ. LVII. flexis genibus animam Deo reddidit. B. I. *in Collegio Minori.*

35. *Odoardus de Bersaques*, Præpositus Audomarensis, & Philippo II. Hispan. Regi primus ab Eleemosynis, an. CIↃ IↃ. LXIII. B. I.

36. *Iacoba de Grutere*, Gandensis, Beggina Machliniensis: quæ anno CIↃ. IↃ. LVIII. IV. Eid. Decemb. diem suum obijt, relicto reditu pro distributione annua.

37. *Ruardus Tapperus*, Enchusanus, S. Theol. Doctor, & Decanus Ecclesiæ S. Petri, an. CIↃ. IↃ. LIX. præter Bibliothecam, & alia pia legata Collegio huic, pro augmento bonorum communium, alijsque locis relicta, Bursam unam Theologicam instituit, assignatam postea *Minori Collegio.*

38. *Bokeldus Cornelij*, Delphensis, S. Theol. Baccal. Pastor Ecclesiæ Woudanæ apud Delphos, CIↃ. IↃ. LXI. B. I. *in Collegio Minori.*

39. *Ioannes de Hamalia*, Bercheyckanus, S. Theol. Baccal. Pastor primùm Ecclesiæ Gaudanæ apud Batavos, postea Canonicus Harlebecanus in Flandria, obijt Lovanij an. CIↃ. IↃ. LXVIII. die XXIV. Maij, sepultus in D. Petri ad Altare Nominis IESV. B. I. cum distributione annuè facienda inter pauperes studiosos Theol.

40. *Gabriel Vlierden*, Bruxellensis, S. Theol. Licent. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Gandensis, an. CIↃ. IↃ. LXVIII. B. V. tres magnæ, & duæ parvæ seu subsidiariæ.

41. *Cornelius Hugonis*, Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiæ Capellanus, an. CIↃ. IↃ. LXIX. B. I.

42. *Iudocus Ravesteyn*, Tiletanus, Flander, S. Theol. Doctor & Professor, ac Præpositus B. Mariæ Vualcuriensis in provincia Namurcensi, an. CIↃ. IↃ LXX. B. I.

43. *Iudocus Bourgeois*, Angianus, S. Th. Licent. & Pastor Gaudanus, vir doctus, pius & amabilis, moritur an. CIↃ. IↃ. LXXI. VI. Kal. Iulij.

44. *Henricus Hoevelmans*, de Westerhoven, Hilvari-Becanus, S. Theol. Licent. & Plebanus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis.

45. *Marsilius Hoevelmans*, Henrici frater, S. Theol. Baccal. Præfectus Monasterij Sanctimonialium in Monte Thabor, tunc extra hodie intra Machliniam.

46. *Florentius Egberti*, Harlemensis, S. Th. Baccalaureus: Amstelodami, per gravissimas hæreticorum calumnias, ex Ecclesia abductus, & carceres triennales Hagæ-Comitis passus, à Concilio ibidem, ut & à Bruxellensi ac Machliniensi, innocens declaratus, & honoris causâ Plebanus ad D. Gudulam Bruxellis constitutus, ibidem an. CIↃ. IↃ. LXXI. III. Non. Augusti peste moritur. Collegio Theologorum reliquit reditum XXVI. floren. quos impendi voluit in tertij Collegij ædificationem, quando illud erigi continget.

47. *Elisabetha vanden Bossche*, Virgo, multis annis Lovanij vixit, indeque Trajectum ad Mosam migravit, ubi an. CIↃ. IↃ. LXXII. die III. Maij vitâ excessit. B. I.

48. *Maria vander Meeren*, Antverpiensis, vidua *Aegidij van Breuseghem*, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIII. Edib. Iulij. In *Collegio secundo Theologorum* duas fundavit Bursas, unam *Breuseghemianam*, dum viveret, alteram *Meranam* in suo testamento seu ultimâ voluntate.

49. *Guilielmus Paludanus*, Iprensis, S. Theol. Baccal. & Pastor juxta Ipras, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIV. die XXII. Septemb.

50. *Ioannes de Vaddere* & *Dorothea VVaeffelaerts*, conjuges Bruxellenses, an. CIↃ. IↃ. LXXVI.

51. *Cornelius Iansenius*, Hulstensis, S. Th. Doctor & Prof. primus Gandavensis Ecclesiæ Episcopus, an. CIↃ. IↃ. LXXVI. B. III. subsidiariæ.

52. *Ioannes Brants*, Silvæ-ducensis, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis S. Donationi Brugensis, an. CIↃ. IↃ. LXXVII. B. I.

53. *Rumoldus Reymarius*, Machliniensis, S. Theol. Licent. & in D. Rumoldi Canonicus, eodem anno. B. I.

54. *Philippus de Spina*, Decanus Ecclesiæ Cathedralis S. Ioannis Silvæ-ducis: quo adlaborante ex decimis Personatus sui Schindelensis incorporatis, per Facult. S. Theologiæ fundatæ sunt in Collegio Pontif. Bursæ IV. residuum verò cessit ad utilitatem Collegij Theologorum.

55. *Zegerus Zoentkens*, Rhetensis, Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ D. Petri, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIX. die XVII. Ianuarij. B. I.

56. *Gerardus Meranus*, Silvæ-ducensis, S. Theol. Licent. Ecclesiæ Ruræmundensis Archidiaconus, eodem anno. B. I.

57. *Ioannes Bonhomme*, S. Th. L. ad S. Germanum Montibus Hannoniæ Canonicus, obijt anno CIↃ. IↃ. LXXXIII. die XVI. Aprilis. B. IV.

58. *Ioannes Duyskens*, Plebanus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Trudonopoli, an. CIↃ. IↃ. XCVII. B. I.

59. *Ioannes VVillems*, S. Th. L. ejusdem Ecclesiæ Plebanus. B. II.

60 *Aegidius VVallius*, Brugensis, S. Theol. Doctor & Professor, an. CIƆ. IƆC. III. B. VII. *in Collegio Minori.*

61. *Ludovicus Sterck*, Pastor in Lenniaco S. Quintini, anno CIƆ. IƆC. IV. B. I.

62. *Barbara van Heelen*, Diestensis, vidua *Matthai van Doerne*, Ancilla Collegij, an. CIƆ. IƆC. VI.

63. *Godefridus vanden Berghe*, Antverpiensis, Canonicus Liranus. B. VIII. aut plures, pro qnantitate bonorum & redituum.

64. *Iacobus Clausius*, Antverpiensis, S. Theol. Doctor.

65. *Gisbertus Danielis*, Trajecti ad S. Servatium Canonicus, anno CIƆ. IƆC. VIII. B. I.

66. *Conradus Otthonis*, ab Asperen, S. Theol. Licent. primùm Pastor Silvæ-ducis in D. Petri, pòst Canonicus & Archiepresbyter, obijt an. CIƆ. IƆC. IX. die XV. Februarij. B. I.

67. *Ioannes Clarius*, Tungrensis, S. Theol. Doctor & Professor, an. CIƆ. IƆC. XI. B. plerumque XV. aut XVI.

68. *Adrianus de Meyer*, Coadjutor in Ecclesia & Parochia S. Germani Montibus Hannoniæ, moritur an. CIƆ. IƆC. XI. IV. Non. Iulij. B. IV.

69. *Ioannes le Roy* & *Lucia de Vinck*, conjuges Vltrajectini, eodem anno. B. I.

70. *Catharina Dierickx*, Beggina Delphensis, Machliniæ residens & defuncta an. CIƆ. IƆ. LXXVII. Fundata demùm Bursa, per conventionem cum hæredibus an. CIƆ. IƆC. XII. B. I. subsid.

71. *Ludovicus de la Grainge*, Havreti in Hannonia Pastor, anno CIƆ. IƆC. XIII. B. I.

72. *Samuel Loyaerts*, Attenhovius, S. Theol. Doctor & Prof. atque ad S. Michaelem Pastor, an. CIƆ. IƆC. XIV. B. I.

73. *Gisbertus Paludanus*, vulgò *Vanden Broeck*, Antverpiensis, Presbyter, an. CIƆ. IƆC. XV. B. II.

74. *Ioachimus t'Siongens*, Presbyter, & *Catharina* ejus soror, vidua *M. Petri t'Siongens*, ille tres fundavit Bursas, hæc adjecit quartam.

75. *Antonius Bruyninex*, S. Theol. Licent. Canonicus & Archidiaconus Silvæ-ducensis, an. CIƆ. IƆC. XV. *in Minori.*

76. *Claudius Verrydt*, Machliniensis, S. Th. Licent. Canonicus & Thesaurarius Rotnacensis, Pastor & Decanus Concilij Aldenardensis, an. CIƆ. IƆC. XXII. B. VII.

77. *Petrus Schoormans*, Pastor Melselensis, in Wasia Flandriæ, an. CIƆ. IƆC. XXIII. B. II.

78. *Gui-*

78. *Guilielmus Fabricius*, Noviomagus, S. Theol. Doctor & Prof. ad D. Petrum Decanus, & Præses hujus Collegij, obijt an. CIↃ.IↃC. XXVIII. bonis suis omnibus Collegio relictis, è quibus plures Bursæ instituentur.

79. *Egbertus Spitholdius*, S. Theol. Licent. Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis, *in Minori Collegio.*

80. *Iacobus à Castro*, Amstelodamensis, S. Th. Doctor & Prof. Collegij hujus Præsidens, pòst Ecclesiæ Ruræmundensis Episcopus. B. II.

81. *Arnoldus Malvoisin*, primùm Canonicus ad D. Iacobum Lovanij, pòst Rector Ecclesiæ in Opprebaix, anno CIↃ.IↃC.XXVIII. *in Collegio Minori.* Obijt Lovanij an. CIↃ.IↃC. XXXV. die XXVII. Septemb.

82. *Arnoldus vander Gheest*, Bruxellensis, S. Theol. Baccal. Form. & Canonicus in D. Petri, an. CIↃ. IↃC. XLIII. B. I.

83. *Petrus Coens*, S. Th. L. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis, an. CIↃ. IↃC. XLVII. B. I.

84. *Ioannes Le Grand*, Athensis, Pastor Lessiniensis, eodem anno. B. II.

85. *Gisbertus Conventinus Corselius*, Leodiensis, an. CIↃ. IↃC. XLVIII. B. II. possidendæ vel in Pædagogio Castri à Philosophiæ studioso, vel in *Collegio Theol. minori.*

II. COLLEGIVM S. IVONIS, vulgò *Iuristarum.*

COllegium hoc, D. IVONI dicatum, vulgò vocant IVRISTARVM. Dicitur & BACCALAVREORVM, quia in eo Collegium Baccalaureorum I. V. hebdomadaria Disputationum exercitia habet, dirigente & præsidente Decano, quorum nomina superiùs in his Fastis exhibeo. Primus verò Collegij hujus auctor atque Institutor fuit ROBERTVS DE LACV, vulgò *Vanden Poel*, Gandensis, I. V. Doctor, & SS. Canonum Antecessor primarius, Decanus & Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virg. in civitate Trajectensi ad Rhenum, qui condito anno CIↃ. CCCC. LXXXIII. VI. Kalen. Iulij testamento, domum, quam inhabitare solet, sitam in Nova platea, *legavit Facultatibus Vtriusque Iuris, ad opus unius Collegij, pro pauperibus ac honestis Scholaribus, studentibus in eisdem Facultatibus, perpetuò habitandum, &* possidendum,

possidendam. Vivere autem eodem anno ac mense desijt, sepultus in Monasterio Canonicorum Regularium S. Martini, qui anniversariam ejus commemorationem faciunt ad diem XXVI. mensis Iunij. Dictæ verò Facultates domum vicinam domui Collegiali (quæ & Fundatoris fuit, possideri atque habitari antè solita à Gerlaco Bontio, Legum Doct. & Prof.) anno CIↃ. IↃ. XXVI. deputarunt duobus ipsius Fundatoris Bursarijs; ab ijsdemque Facultatibus Provisores Collegij tres quotannis circa festum Epiphaniæ certo ordine eliguntur, qui Præsidem constituunt. Præsidum verò sive Præpositorum (ita enim ab initio nuncupatos fuisse observo) nomina hæc sunt: *Petrus de Thenis*, Lovaniensis, I. V. Doctor, an. CIↃ. CCCC. XCV. *Henricus de Minoriwlla*, Decret. D. an. CIↃ. CCCC. XCVIII. *Evualdus Vinck*, CIↃ. IↃ. *Livinus Leschamps*, de Gandavo, CIↃ. IↃ. III. *Thomas Corouble*, de Insulis, I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃ. XIX. *Iudocus Vroye*, de Gavere, I. V. D. CIↃ IↃ. XXI. *Petrus Pelleus*, de Blisia, CIↃ. IↃ. XXXIX. *Vulmarus Bernaerts*, ab Eecke, tunc I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃ. XL. *Ioannes CaleWaert*, Rollariensis, CIↃ. IↃ. XLIV. *Severus vander Hoeven*, I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃ. XLV. *Ioannes Valerius*, Aldenardensis, I. V. L. CIↃ. IↃ. LIV. *Mattheus Ruckebussch*, Cassletanus, I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃ. LIX. *Theodorus Esserius*, Wassenburgensis, CIↃ. IↃ. LX. *Gisbertus Schoock*, Bommelensis, tunc I. V. L. CIↃ. IↃ. LXII. *Ioannes de Abiete*, vulgò *vanden Abeele*, Leeuwensis, I. V. L. CIↃ. IↃ. LXV. *Ioannis Leunis*, Lovan. I. V. L. & Prof. Obijt an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. prid. Kal. Octob. *Ioannes Vermy*, Hagæcomitanus, eod. anno: *Ludovicus Carrion*, Brugensis, I. V. D. & Prof. CIↃ. IↃ. LXXXVII. *Ioannes Varicius*, Delphensis, I. V. L. CIↃ. IↃ. XCIII. *Petrus Vermy*, Vltrajectinus, I. V. L. CIↃ. IↃ. XCIV. *Iacobus Santvoert*, Amorsfortius, tunc I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃC. XI. *Andreas Mantels*, Tungrensis, I. V. L. pòst Canonicus ad S. Servatium Trajecti ad Mosam, CIↃ. IↃC. XIV. *Guilielmus vande Velde*, Bruxell. I. V. L. & Prof. pòst Canonicus Ecclesiæ metropol. Camerac. CIↃ. IↃC. XXIV. *Henricus Haulthomme*, Marchensis, I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃC. XXVIII. qui hodieque regit, & Collegium variè intus extraque instauravit. Auxere & alij pijs Fundationibus, quas Bursas vocant, in primis

1 *Gaspar Kinschot*, de Turnhout, S. Theol. Baccal. an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. & *Kinschotij* è sorore, nepos *Gaspar Stynen*, I. C. in supremo Brabantiæ Senatu Advocatus; qui Bursas ab avunculo fundatas auctiores fecit. Et ne ex parentela sua, aut aliàs ex municipio Turnhoutano, deessent earum idonei possessores, duas insuper instituit portiones.

portiones, à Scholaribus primùm Turnhouti, ac deinde ad tempus Lovanij, donec Bursam obtineant Lovaniensem, possidendas.

2. *Simon de Slusa*, Medicinæ Doctor, Præpositus & Archidiaconus Vltrajectinus, an. CIↃ. CCCC. XCIX. *in Facultate Iuris Canonici*. B. I.

3. *Theodoricus de Viridi-valle*, vulgò *van Groenendael*, ex Hilvari-Beka, Decret. Doctor & Professore, an. CIↃ. IↃ. I. *in Iure Canonico vel Civili, ad instar Bursariorum Roberti de Lacu*, ut habet Fundatio. B.I.

4. *Andreas Eligij*, de Middelburgo, Novitius Ord. Minorum Lovanij, an. CIↃ. IↃ. III. *in Iure Canonico*. B. I.

5. *Arnoldus de Vroenhoven*, ex Roda S. Odæ, incola Lovaniensis, an. CIↃ. IↃ. XIV. *in Iure Canonico*. B. I.

6. *Gualterus de Beka*, cognomento *de Leeuwe*, natus in Aerle-Beka Brabantiæ, I. V. Doctor & Professor, an. CIↃ. IↃ. XVII. *in utroque vel altero Iure*. B. II.

7. *Petrus de Thenis*, Lovaniensis, I. V. D. & Decret. Professor, an. CIↃ. IↃ. XXIII. *in utroque Iure* B. I.

8. *Ioannes Nicolai de Palude*, Lovaniensis, oriundus ex opido Herentalensi, Decret. Doctor & Prof. an. CIↃ. IↃ. XXVII. B. I.

9. *Gabriel de Mera*, Bredanus, I. V. Doctor & Prof. an. CIↃ. IↃ. XXX.

10. *Ioannes Huberti*, de Loemel, I. V. Licentiatus, & Professor extraordinarius Cod. Lovanij, pòst Canonicus Antverpiensis, & Archidiaconus Famennæ in Ecclesia Leodiensi, an. CIↃ. IↃ. XXXII. B. I.

11. *Christianus de Beka*, à Dithmarsia, Canonicus ad D. Petrum Lovanij, & Cantor Cæsareæ Majestatis, an. CIↃ. IↃ. XL. *in utroque Iure*. B. III. per Facultates, Artium, in Pædagogio Castri, S. Theol. in Collegio S. Spiritus seu Theol. & I. V. in hoc Collegio, obambulantes.

12. *Hieronymus Edelheer*, Lovaniensis, an. CIↃ. IↃ. XLV. B. I.

13. *Petrus Cortrel*, Canonicus & Vicarius Generalis Episcopi Tornacensis, an. CIↃ. IↃ. XLV. *in Iure Canonico*. B. II.

14. *Lambertus Ten Duynen*, I. V. Licent. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Vltrajectensis, *utroque Iure*, an. CIↃ. IↃ. LIII. B. I.

15. *Laurentius vander Linden*, Apothecarius Caroli V. Imp. postea Senator & Consul opidi Lirani, an. CIↃ. IↃ. LXI. *in utroque Iure*. B. I.

16. *Vulmarus Bernaerts*, Eeckensis, ex Flandria occidentali, I. V. Doctor, & Canonum Professor primarius, *in utroque Iure*, vel saltem in *Canonico*, an. CIↃ. IↃ. LXX. B. II.

17. *Ioannes van Schuttepût*, Lovanienſis, I. V. Licent. an. CIↃ. IↃ. LXXX. *in utroque Iure*. B. I.

18. *Ioannes VVameſius*, Leodienſis, I. V. Doctor & Canonum Anteceſſor primarius, *in utroque vel altero Iure*, an. CIↃ. IↃ. XC. B. I.

19. *Ioannes Dullardus*, Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis Decanus, & Collegiatæ B. Mariæ Trajecti ad Moſam Præpoſitus, CIↃ. IↃC. VIII. B. II.

20. *Margareta Van Merckinck*, vidua *VVarmboldi Van Cuyck*, I. C. an. CIↃ. IↃC. XVII. B. I.

III. COLLEGIVM S. DONATIANI.

ANTONIVS HANNERON, Atrebatenſis, dioeceſis, Magiſter Pariſienſis & Decretorum Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Brugis ad S. Donatianum Præpoſitus anno Dom. CIↃ. CCCC. LXVII. ad IX. Kal. Ianuarius conſtitutus, & *Carolo Audaci*, Duci Burgundiæ, ac *Maxiliano*. I. à Conſilijs, anno CIↃ. CCCC. LXXXVIII. ex domo ſua, (quam Lovanij, ubi meliores juventutis ac vitæ ſuæ exegerat annos inhabitare & in qua pædagogium jam inde ab an. CIↃ. CCCC. XXX. habere ſolet) Collegium hoc inſtituit, ad uſum unius Magiſtri ſeu Præſidentis, unius item Burſæ ſeu præbendæ Sacerdotalis, & quinque Burſariorum, Iuri Canonico ſtudentium; quorum inſtitutio eſt penes Decanum & Facultatem Artium: Facultas verò id muneris, unà cum Decano commiſit Receptori & quattuor Pædagogiorum Gymnaſiarchis ſive Regentibus. Patronus autem hujus Fundationis eſt Præpoſitus Eccleſiæ S. Donatiani, hodie Epiſcopus, Brugenſis. Acceſſit poſtea & alter Carondeletiæ ſtirpis, pridem Dominus de Solre, hodie Dom. de Potelles, hac occaſione. IOANNES enim CARONDELETVS, Archiepiſcopus Panormitanus in Regno Siciliæ, idemque ad S. Donatianum Præpoſitus, & Cancellarius Flandriæ, anno CIↃ. IↃ. XLIV. per Executores ultimæ ſuæ voluntatis *Lambertum de Briaerde*, Equitem, Præſidem magni Concilij Belgici, *Claudium & de Carondelet*, Præpoſitum S. Donatiani, & *Balduinum le Cocq*, in eodem Senatu Conſiliarios, itemque *Ioannem de Langhe*, Cæſareæ Majeſt. à Secretis, adjectis Collegio hinc atrio, cubiculoque Præſidis, inde Sacello, reditus ejuſdem Collegij, aliàs pro temporum conditione ſatis tenues, Burſaſque primi Fundatoris auxit, & tres novas adjecit, redactæque ſunt Burſæ omnes ſtudentium ad novenarium numerum, aucto etiam honorario Præſidis; permiſitque, ut Burſarijs Iuri quoque Civili dare operam

operam licet. Deinde & alia fundatio per eosdem Executores adjecta est, erectis rursus tribus novis Bursis; qua de re extant concordata inter Facultatem Artium & dictos Executores. Hodie ex ordinatione DD. Provisorum accedente consensu & beneplacito D. Patroni, ad revocationem usque, ob temporum difficultatem, duodenarius Bursarum numerus redactus est ad octonarium, desijt alter hic Fundator anno, suprà, CIↃ. IↃ. XLIV. VII. Eid. Febr. Fratrem habuit *Carolum Carondeletum*, Toparcham de Potelles &c. qui & ipse sui memoriam aliquam Lovanij in Domo pauperum Standonica reliquit.

Adjecit & primæ Fundationi anno CIↃ. IↃ. XXXII. ex bonis *Christophori, De Barouse*, Equestris ordinis, Aulæ Cæsareæ, dum viveret, Oeconomi, Bursam unum D. & M. *Ioannes Desmares*, Canonicus Teneramondanus, Collegij hujus Præsidens & bonorum administrator, successorque eo in munere M. *Iacobi de la Vualle*, quem exinde secuti sunt, *Ludovicus Pory*, Aëriensis, I. V. D. anno CIↃ. IↃ. XLV. *Nicolaus Dervilleers*, Montensis, tunc I. V. L. an. CIↃ. IↃ. XLVIII. *Michael Herebaut*, Machliniensis, alumnus Collegij, mox à sumpto Iurisconsulti titulo, CIↃ. IↃ. LVII. *Ioannes de Bievene*, Montensis, CIↃ. IↃ. LXI. *Matthæus Ruckebusch*, à Casleto, I. V. L. & Prof. CIↃ. IↃ. LXII. pòst Decanus Ecclesiæ metropol. Camerac. *Gilbertus Schoock*, Bommelensis, tunc I. V. L. CIↃ. IↃ. LXV. mortuus in Collegio an. CIↃ. IↃ. LXXIII. *Ioannes Kemmerius*, Lovan. tunc similiter I. V. L. mortuusque in Collegio an. CIↃ. IↃ. LXXXVIII. *Amandus Maillaert*, I. V. L. pòst Canonicus Camerac. *Petrus Vuynants*, *Gratianus Reynbouts*, Bruxellensis, I. V. L. an. CIↃ. IↃC. inde Sereniss. Belgarum Principibus à Sacris Oratorij: *Ioannes van t'Sestich*, Machliniensis, CIↃ. IↃC. VIII. *Henricus vanden Creeft*, Trudonensis, I. V. D. CIↃ. IↃC. XXXII. *Ioannes vanden Berghe*, Bruxell. I. V. L. CIↃ. IↃC. XXXVI. *Iacobus Renson*, Givetensis, S. Th. Baccal. & I. V. L. CIↃ. IↃC. XLVI. . . .

IV. COLLEGIVM WINCKELIANVM.

AVctorem primum agnoscit IOANNEM DE WINCKELE, Scribam & Notarium Conservatoris Privilegiorum Vniversitatis Lovaniensis, qui obijt anno Dom. CIↃ. IↃ. V. hujusque filium patri cognominem, Doctorem Medicum: qui extremæ voluntati patris sui obsecundare volens (si nimirum ipse & soror ejus *Clara* aut proles prolium decederent, nullâ legitimâ prole relictâ) præcipua sua bona, sororisque, contulit in donationem Collegij, ad usum Studiosorum

Iuris Vtriusque fundati, idque in domo Calsteriorum quam à *Balduino Henrici*, de Zierixea Decretor. Doct. anno CIↃ. CCCC. XCII. coëmptam pater filiusque inhabitare solet. Vivere hic desijt anno CIↃ. IↃ. LIV. VI. Kal. Aprileis. Studentes seu Bursarios *Vuinckelius* pater adsumi voluit pauperes, quibus in studio Iuris alendis, scholisque continuandis, parentes commode dare aut suppeditare annuè non possint fornicarios, aut de fornicatione diffamatos, non ebriosos, vel aleatores, aliove ludo vetito infatuatos. Commendat autem suos consanguineos, si qui sint; hisque deficientibus permittit alijs de Collegio, ut ipsi eligant novum. Filius verò, statuit, quòd, *si aliquis eorumdem Studentium operam dederit scientiæ Linguarum, Græcæ scilicet aut Hebraicæ, vel Poësi, seu Astronomiæ, vel alicui scientiæ Mathematicæ, aut simili, taliter quòd per hoc inferatur notabile nocumentum studio Iuris, ad quod ordinatur, & monitus per aliquem ex Provisoribus non desistat, privetur omni commodo prætacti Collegij.* Cæterùm Provisores à Facultatibus I. V. eligi voluit duos, *qui habeant facultatem ordinandi, providendi & disponendi circa præfatum Collegium, & Studentes collegiales, excessusq; eorum corrigendi &c.* Ab his verò deputari seu eligi Præsidem, *in utroque vel altero Iurium Licentiatum, vita & morum honestate præditum, minimè conjugatum, atque ætatu, ut minus* XXV. *annorum, aut circiter &c.* Cui etiam ex ordinatione Facultatum I. V. incumbit onus præsidendi hebdomadarijs Disputationibus in Iure, quas frequentare omnes Bursarij & Convictores teneantur. Primumque Præsidem Collegium demùm accepit anno CIↃ. IↃ. LXI. ipsis Idib. Ianuarij *Gerardum Cavertson*, Lovaniensem, tunc I. V. L. Cui surrogati fuere, *Ioannes de Longa-Cruce*, Hilvaribecanus, I. V. L. Prof. CIↃ. IↃ. LXVI. *Ioannes Mailcotius* Lovan. I. V. L. CIↃ. IↃ. LXIX. *Ioannes de Brevene*, Montensis an. CIↃ. IↃ. LXXI. *Gerardus Corselius*, Leodiensis, an. CIↃ. IↃ. XCVI. *Ioannes Peelmans* Silvæ-ducensis, CIↃ. IↃC. VII. *Adrianus Proost*, Gandensis, CIↃ. IↃC. XV. *Andreas del Vaulx*, Audanensis, CIↃ. IↃC. XXIII. *Henricus vanden Creest*, Trudonensis, CIↃ. IↃC. XXXVI. *Franciscus de Baillecourt*, Nivellensis, CIↃ. IↃC. XLII.

In hoc Collegio *Ioannes Vanden Eetvelde*, Lovaniensis, *Ioannis* Doctoris Med. & Professoris Fil. Canonicus Brugensis, anno CIↃ. IↃ. LXVII. duas fundavit Bursas, quamlibet quinquaginta florenorum. Item *Petrus Marissal*, in testamento suo condito an. CIↃ. IↃC. XX. B.I. idque à morte matris suæ *Agnetis Rami* quæ incidit in annum CIↃ. IↃC. XXXVIII. Præsentatio est penes *Ferdinandum Reynbouts*, ejusque posteros.

V. COL-

V. COLLEGIVM ATREBATENSE.

AB Atrebatensi Episcopo NICOLAO RVTHERIO, vulgò RVISTRE, nomen habet. Fuit is natione Luxemburgensis, Præpositus ad D. Petrum Lovanij, eoque titulo Vniversitatis Cancellarius, Præpositura item Ecclesiæ S. Bavonis apud Harlemenses Commentarius perpetuus, ac Principum Domus Burgundicæ Consiliarius: qui magnificum hoc excitavit Collegium, quod & splendidè dotavit, institutis in eo Bursis, ut vocant, sedecim, tribus pro Atrebatensibus, & totidem pro Cameracensibus, iisque Choralibus sive pueris Chori: item quattuor pro Luxemburgensibus, tribus pro Harlemensibus (*vide* Nic. Everardi *Consil.* 247.) duabus pro Lovaniensibus, unâ pro Brechtanis; Artium & Philosophiæ Studiosis, indeque, si ad hoc judicentur idonei, Theologiæ vel Iuris Canonici; omnesque togâ talari sive, ut Statuta habent, *tabardis longis ad talos, decenter vel Clericaliter formatis*, utantur necesse est: neque exire aut prodire in publicũ cuiquam permissum est, nisi comes aliquis adsit, à Præside deputandus. Stuta verò Rectori ac Scholaribus hujus Collegij præscripsere, ex potestate per ultimam voluntatem Fundatoris sibi facta, *Adrianus Florentij*, de Trajecto, & *Ioannes Robbyns*, Ecclesiarum Collegiatarum, S. Petri Lovanij, & S. Rumoldi Machliniæ, respectivè Decani; constitutis Visitatoribus Curato seu Plebano Ecclesiæ S. Petri & Præside Disputationum Collegij Theologorum, sive Sabbathinarum in Scholis Theologicis: publicata demùm anno à Nativitate Dom. CIↃ. IↃ. XXXII. die XVIII. mensis Novemb. altero Executorum *Ioanne Robbyns* tunc adhuc superstite. Obijt Fundator Machliniæ, sepultus Lovanij in Choro D. Petri: è cujus sacropago hæc descripsimus.

Hoc saxo tegitur pientissimus Pater
NICOLAVS RVISTRE, *de Luxemburgo,*
Episcopus Atrebatensis, Domus. Burgundiæ Consiliarius
Consiliarius, & servitor fidelissimus,
insignis huius Ecclesiæ Præpositus
& Vniversitatis Cancellarius,
Collegij Atrebatensis in hoc oppido
Fundator magnificus:
qui obijt Machliniæ anno Domini CIↃ. IↃ. IX.
mensis Novembris die XV. *Requiescat in pace,*

Primus Collegij hujus Præsidens *Ioannes VVuest*, aliàs, *de Lyra*, S. Th.

Licent. residuum bonorum voluit converti in distributionem annuam, pauperibus Studiosis faciendam. Obijt an. CIↃ. IↃ. XLI. prid. Non. Decemb. sepultus in Sacello Collegij. Illi successere *Vuernherus Aerdius*, à Neomago, S. Th. L. publicus Ethices Prof. *Cornelius Reineri*, Gandanus an. CIↃ. IↃ. LXXII. *Ioannes VViggers*, Diestensis, an. CIↃ. IↃC. IX. *Ioannes Schinckelius*, Lovan. CIↃ. IↃC. XI. qui Collegio novum & amplum ædificium, quod hortum ab antiquo ædificio separat, adjecit; & *Gerardus van VVerm*, Mosæ-trajectinus, CIↃ. IↃC. XXXIII.

In eodem Collegio Fundatio est *Vincentij Berthyns*, Lovaniensis, primùm Guilielmi, Bavariæ Ducis, post Lovanij in D. Petri Capellani, & sororis ejusdem *Heylwigis Berthyns*. Moritur hæc an. CIↃ. IↃC. XIV. ille, an. CIↃ. IↃC. XXI. die XVIII. Septembris, in Collegio Pelsiano, cui præerat, sepultus in D. Petri ad Altare S. Agnetis.

Accessit an. CIↃ. IↃC. XVIII. Fundatio Illustriss. *D. Margaretæ de Croy*, Comitissæ de Furstenbergh &c.

VI. COLLEGIVM HOVTERLÆVM.

HENRICVS DE HOVTERLE, Hooghstratanus, Presbyter Scholasticus Ecclesiæ D. Petri, ac Peregrinus Milesque Dominici Sepulcri seu Ierosolymitanus, incorporatus Vniversitati an. CIↃ. CCCC. LXXXIII. III. Non. Novemb. Collegij hujus atque aliarum piarum Fundationum auctor est. Nam & Confraternitatem VII. Innocentium Puerorum in eadem D. Petri Ecclesia anno CIↃ. CCCC. XCVI. instituit, conditoque an. CIↃ. CCCC. XCIX. testamento, in honorem Nominis IESV, prædictum fundavit Collegium, constans Præside & tribus S. Theologiæ Studiosis: quorum Institutores ac Directores perpetuos nominavit Decanum, Curatum sive Plebanum, & Scholasticum D. Petri, cum Priore Cartusiæ. Obijt anno supra millesimum quingentesimo, IV. Non. Ianuarij, sepultus ante Altare Nominis IESV. Primum Præsidem accepit hoc Collegium ab ipso Fundatore *Ioannem Driedonem*, de Turnhout, tunc S. Th. Baccal. cui successit *Iudocus Ravesteyn*, à Tileto; & hinc ordine, *Martinus Hessels*, Lovan. S. Th. L. *Guilielmus Fabricius*, Noviomagus, S. Th. D. *Philippus Pouvaus*, I. V. L. *Guilielmus Mercerus*, Athensis, S. Th. D. *Iacobus Moreau*, Marchiennensis ad pontem sive ad Sabim fl. S. Th. L. CIↃ. IↃC. XI. *Michael de Fraey*, Bruxell. S. Th. L. CIↃ. IↃC. XIV. *Carolus de Delmot*, Athensis, S. Th. L. *Antonius Loverius*, Ghelensis, S. Th. L. Cano-

Canonicus in D. Petri, CIↃ. IↃC. XXXVI. *Arnoldus Christophori*, vulgò *Stoffels*, Machliniensis, Canonicus ad D. Petrum Torholti in Flandria, CIↃ. IↃC. XXXVIII. Habent præterea in hoc Collegio Fundationes suas.

Ioannes Polletus, Cortracensis, I. V. Licent. Canonicus Insulensis, & Hæreticæ pravitatis Inquisitor, an. CIↃ. IↃ. LX. B. I.

Petrus Curtius, S. Theol. Doctor, ad D. Petrum Lovanij Plebanus primus patriæ suæ Burgensis Episcopus, an. CIↃ. IↃ. LXVII. B. II.

Ioannes Sixtus, Insulensis, S. Th. Licent. Audomarensium Episcopus, qui obijt an. CIↃ. IↃ. LXXXVI. V. Eid. Octob. B. II.

VII. COLLEGIVM PONTIFICIVM sive ADRIANI PAPÆ VI.

NOmen ipsum indicat Collegij hujus parentem, primumque Fundatorem, ADRIANVM FLORENTII, Vltrajecti humili loco natum, S. Theol. Doct. & Professorem, in D. Petri Lovanij Decanum, ac postea Pontif. Max. qui cùm adhuc Decanus esset, ædificare splendidas ædes, quas hodie visere est Lovanij, cœpit, licet tantis sumptibus satis impar esset: cavillantibus ob id per risum nonnullis, quibus facultates ejus probè notæ erant, fieri aliter non posse, ut, quæ inchoasset, absolveret, nisi paucula, quæ haberet, divinitus velut miraculo augerentur: multis item id in ambitionem studiumque gloriæ vertentibus. At ille, sive spe vires majores complexus, sive fisus non defuturos, qui honestissimo conatui etiam ipsi, progressum fortunâ denegante, aliquando manus adijcerent, præsertim ubi constaret, quid spectaret, neglectis, quæ ab æmulis maligniùs jactarentur, alacriter in incœpto perrexit, & tandem feliciter ad exitum perduxit. Neque enim eas ædes tam suis usibus moliebatur, quàm instituendo Collegio, ubi sacrarum litterarum studiosi, liberalibus artibus jam probè instructi, quibus per angustiam rerum proferre litterarum studia non liceret, Theologiæ vacarent. Fama fert (inquit *Gerardus Moringus* in Vita *Adriani*, unde ista ferè descripsimus) *Bernardum Carvaialem*, Hispanum, Cardinalem S. Crucis, ac Patriarcham Ierosolymitanum, cùm Legatus à Latere ab Iulio II. Pontif. Max. ad Germanos missus, Lovanij in ædibus Adriani aliquando diversaretur, non satis demirari potuisse, quinimò vehementer sui pertæsum, quòd homo infimæ præ se fortunæ opus adeò magnificum aggredi ausus esset, & conatum ita pium ad effectum perducere potuerit, quod ipse Cardinalis, vir tanti-

tanti fastigij, necessitatibus alijs interclusus, ne inchorare quidem potuisset, cùm id jam olim meditatus esset. Ex hac itaque domo erigi & fundari voluit Collegium ultimæ suæ voluntatis tabulis conditis die ante obitum decimo coram Secretario suo domestico *Theodorico Hezio*, Protonotario Apostolico, condidit, quas & hoc loco, quà Collegium spectant, lubet repræsentare. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis &c. Quòd anno à Nativitate Domini nostri* IESV *Christi millesimo, quingentesimo, vigesimo - tertio, Indictione undecimâ, die verò Martis octavâ mensis Septemb. Pontificatus Sanctiß. in Christo Patris &* D. N. ADRIANI *divinâ providentiâ Papa VI. anno secundo, idem Sanctiß.* D N. ADRIANVS *Papa, corpore quidem ægrotus, mentis tamen & rationis compos, coram me Secretario suo domestico, ac Notario publico, testibusq; infrascriptis, ad hæc specialiter vocatus & rogatus, volens inter alia, de quibus occasione adversæ suæ valetudinis disponendum censuit, de rebus & bonis suis, tam mobilibus quàm immobilibus, quæ in partibus inferioris Germaniæ, præsertim in Ducatu Brabantiæ ac locis circumvicinis, necnon civitate & dioecesi Traiectensi, ante suam ad summi Apostolatus apicem adsumptionem, quomodolibet habebat, specialius disponere, ac temporalia æternis & terrena cælestibus felici commercio commutare: sponte & ex certa sua scientia, maturaq; deliberatione, pro salute animæ suæ, ac ob zelum & devotionem, quos erga litterarum studiosos & præsertim sacræ Theologiæ operum dantes, semper gessit, omnibus melioribus modo, viâ iure, causâ & formâ, quibus melius tutius & efficaciùs de iure potuit & debuit, voluit, disposuit & ordinavit, quòd quædam domus ad eumdem Sanctiß.* D. N. Adrianum Papam *spectans & pertinens sita in oppido Lovaniensi, dioecesis Leodiensis, in platea vulgò de Meyerstrate nuncupata, prope domum quondam* Ludovici Pinnock, *Villici, dum viveret, eiusdem oppidi, & alia veriora eius confinia, quam ipse Sanct ß.* D. Adrianus Papa VI. *à se ædificatam, dum in minoribus esset, inhabitare consuevit, cum omnibus & singulis suis utensilibus, libris & alijs bonis mobilibus tunc in eadem domo existentibus, ac omni hæreditate seu fundo tam ipsi domui proximè adhærente, quàm ea, quæ circa plateam* Cattorum *communiter nuncupatam sita est, cumq; pomerijs, hortis, transitu, domibus, ædificijs cæterisq; commoditatibus &c. erigi debeat & erigatur in unum perpetuum Collegium pro studentibus in Facultate S. Theologiæ, & quòd eidem Collegio, postquam sic erectum & fundatum fuerit, aliquis ex eiusdem Theologicæ Facultatis Doctoribus, Licentiatis, aut Baccalaureis Formatis in Regentem præfici, ac alij Bursarij in eadem Facultate studentes ad dictæ domus & erigendi Collegij inhabitationem, huiusmodi suum studium in ipsa Facultate Theologica continuaturi, adsumi debeant. &c. Acta fuerunt hæc Romæ in Palatio Apostolico &c. præsentibus ibidem RR. Dominus* M. Nicolao de Por-

de Porta, *Decano Endhoviensi, &* D. Petro vanden Male, *Canonico Ecclesiæ B. Petri dicti oppidi Lovaniensis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.* Facultatem verò & auctoritatem exprimendi ac determinandi numerum adsumendorum, & loca, ex quibus illi ortum habuisse, Universitatesque, in quibus promoti esse debeant, necnon condendi & edendi Constitutiones, ordinationes & statuta, & generaliter omnia alia, quæ in præmissis & circa ea statuenda & ordinanda forent, statuendi, & ordinandi, idem *Adrianus* Pont. commisit fidei, discretioni & judicio Reverendiss. in Christo Patris & *D. Gulielmi ab Enckefort*, electi Dertusensis, Datarij sui &c. Approbavit quoque ac confirmavit ultimam hanc *Adriani* Pont. voluntatem ejus in Pontificatu successor Clemens VII. directo Brevi ad dictum Guilielmum Tit. SS. Ioannis & Pauli presbyt. Card. onereque executionis demandato ac commisso eidem Card. itemque Abbati monasterij B. Mariæ Parcensis, Præposito Ecclesiæ B. Mariæ Trajectensis, & Decano Ecclesiæ S. Petri oppidi Lovaniensis, per dictum D Card. Enckefort adsumendis vel substituendis. Primusque Præses ab Executoribus anno CIↃ. IↃ. XXIV. constitutus fuit *Godscalcus Rosemondus*, Eyndhovius, S. Th. D. quem ordine subsecuti sunt, *Tilmannus Clercis*, aliàs *Ghybens*, Geldropius, an. CIↃ. IↃ. XXVII. S. Th. Lic. eodem anno prid. Non. Iunij renuntiatus. Obijt an. CIↃ. IↃ. L. V. Non. Octob. sepultus ad S. Michalem; in cujus funere Orationem habuit Adamus Sasboldus, Ord. Minorum Theologus, typis editam: *Michael du Bay*, Athensis, eod. anno x. Kal. Nov. *Iacobus Iansonius*, Amstelodamensis, an. CIↃ. IↃ. LXXXIX. *Guilielmus Mercerus*, Athensis, CIↃ. IↃC. XXV. *Ioannes Schinckelius*, Lovaniensis, CIↃ. IↃC. XXXIX. *Guilielmus ab Angelis*, Silvæ-ducensis, CIↃ. IↃC. XLVI. *Sebastianus Stockmans*, Antverpiensis, CIↃ. IↃC. XLIX. omnes S. Th. DD. & Professores. Legitur hodieque in dicto Collegio ad imaginem ejusdem Adriani VI. Papæ hæc Inscriptio.

Patere & Abstine.
ADRIANUS VI. *Pont. Max.*
ex Trajecto insigni Germaniæ inferioris urbe.
Qui dum rerum humanarum maximè aversatur splendorem,
ultrò à Proceribus,
ob incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam,
ac propè divinam castissimi animi moderationem,
CAROLO V. *Cæs. præceptor,*
Ecclesiæ Dertusensi Antistes,
Sacri Senatus Patribus Collega,

Hispaniarum Regnis Præses,
Reipubl. denique Christianæ divinitus
Pontifex absens adscitus.
Vixit annos LXIV. *Obijt* XVIII. *Kal. Octob.*
Anno CIↃ. IↃ. XXIII. *Pontificatus sui anno secundo.*

Præter Bursas sive portiones alimentarias, ex bonis Fundatoris confectas, atque alia, quæ eidem communia sunt, commoda, plures alij in hoc Collegio Fundationes suas habent.

Guilielmus Enkefortius, natus in ierlo Brabantiæ municipio, *Adriani VI.* Pont. Datarius, Dertusensis in Hispania Episcopus, & Tit. Ioannis & Pauli Card. ab eodem Pont. die ante obitum decimo-tertio creatus, à *Clemente* verò VII. Ecclesiæ Vltrajectinæ Præsul datus, Collegio *Adriani* impetravit incorporationem Ecclesiæ Ascanæ (quod est municipium Brabantiæ, ad tertium à Bruxella lapidem, quà Alostum iter est) cujus aliquando fuerat Rector. Obijt Romæ anno CIↃ. IↃ. XXXVI. die XIX. Iulij.

2. *Theodoricus Adriani Hezius*, ex sui cognominis pago oriundus, eidem *Adriano VI.* à secretioribus Epistolis, & Canonicus Leodiensis: vir optimarum litterarum notitia, Christianâ modestiâ & singulari pietate conspicuus, atque, ut Iovius scribit, ad honorem pilei coccinei ab *Adriano* destinatus. Eo verò mortuo Leodium secessit, & à *Clemente VII.* ad amplos honores, missis eidem in eum finem equis, non semel revocatus, modestè & constanter subterfugit: ut verissimè in ejus Epitaphio legatur,

Qui cùm magnus erat, majoráq; evadere posset,
Cunctis posthabitis maluit esse latens.

Obijt anno CIↃ. IↃ. LV Eidib. Maij. B. I.

3. *Godscalcus Rosemundus*, Eyndhovianus, S. Theol. Doctor & Professor, an. CIↃ. IↃ XXVI. B. I.

4. *Tilmannus Clerici*, à Geldrop, S. Theol. Licent. an. CIↃ. IↃ. L.

5. *Petrus vanden Male*, Lovaniensis, ibidem in Ecclesia D. Petri, ac postea S. Salvatoris Trajecti ad Rhenum, Canonicus, vivere desijt an. CIↃ. IↃ. LVII. XIV. Kalen. Novembris. Vixit autem multùm carus *Adriano* Pont. ejusque rei memoriam etiam post mortem exstare voluit, legatâ Collegio Adriani villâ suâ in pago Berthemensi.

6. *Ruardus Tapperus*, Enchusanus, Batavus, S. Th. D. & Prof. Decanus Ecclesiæ D. Petri, præter alia pia legata, Bursas sive portiones huic Collegio duas reliquit; residuumque bonorum applicari voluit ad reditus perpetuos, distribuendos per Præsidem ejusdem Collegij, adhibito

adhibito consilio Præsidis Collegij Theologorum, pauperibus S. Theologiæ Studiosis, laudabilis vitæ, boni ingenij ac studij, pro libris, alijsque ad vitam necessarijs, comparandis.

7. *Lavinus Leonardi*, de Middelburgo, Medicinæ Doctor, Bruxellæ residens, obijt an. CIↃ. IↃ. LXI. die XXIV. Aug. B. I.

8. *Petrus Vten*, à Rhety, S. Theol. Baccal. ad Licentiæ gradum admissus. Hic Pastor Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiæ, peste correptus, publica in concione plebi suæ valedicens, commendabat eis fidem & doctrinam, hactenus à se traditam, in qua mori se velle profitebatur: moriturque an. CIↃ. IↃ. LXXI. die IX. Septemb. B. I.

9. *Franciscus Sonnius*, S. Theol. D. & Prof. primus Silvæ-ducensium atque Antverpiensium Episcopus, an. CIↃ. IↃ. LXXVI. B. II.

10. *Barbara Moorkens*, Lovaniensis, Magistra sive Rectrix minoris Begginagij, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. VI. Non. Iulij. B. I.

11. *Arnoldus de Beer*, ab Oosterwyck, senior Magister inter Capellanos Ecclesiæ D. Petri Lovanij, obijt an. CIↃ. IↃ. LXXIX. die XXIII. Septembris, sepultus ad S. Michaëlem. B. I.

12. *Philippus de Spina*, Decanus Ecclesiæ S. Ioannis Silvæ-ducensis, Personatum suum decimasque Schindelenses auctoritate Pontificiâ cessit ad usum Facultatis & Studiosorum S. Theol. pro erectione quattuor Bursarum in hoc Collegio, & ad utilitatem Collegij Theologorum in residuo.

13. *Iacobus Laurentius*, Fraxiniensis, S. Th. L. Canonicus & Archidiaconus Flandriæ in Ecclesia Tornacensi.

14. *Michael du Bay*, Melinensis, ex agro Athensi, S. Theol. D. & Prof. Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Decanus, & Collegij hujus per annos XXXIX. Præsidens, an. CIↃ. IↃ. LXXXIX.

15. *Adrianus Bonzer*, Gaudanus, S. Th. Licent. Canonicus & Pastor Iprensis, an. CIↃ. IↃ. XCIII.

16. *Maria Hauffaert*, eodem anno.

17. *Elizabetha Campenaer*, Virgo, eodem anno.

18. *Gerardus Hortensis*, vulgò, *Van Hove*, Amstelodamensis, olim Convictor Collegij, an. CIↃ. IↃ. XCV.

19. *Embertus Everaerts*, Arendoncanus, S. Theol. D. & Prof. atque ad D. Petrum Plebanus. Obijt an. CIↃ. IↃC. IV. VII. Eid. Iunij.

20. *Cornelius Baerens van VVieringen*, I. V. Licent. & *Margareta Reyniers*, conjuges. Obijt hæc an CIↃ. IↃC. ille an. CIↃ. IↃC. VI.

21. *Veronica Buyckens*, Amstelodamensis, an. CIↃ. IↃC VII.

22. *Gerardus Cornu*, à S. Gisleno, in Hannonia, I. V. Baccal.

 bono-

bonorum Collegij hujus, & alibi, Receptor. Obijt an. CIↃ. IↃC. VII.

23. *Cornelius Reineri*, Gaudanus, S. Theol. D. & Prof. Decanus in D. Petri &c. an. CIↃ. IↃC. IX.

24. *Conradus Otthonis*, ab Asperen, Canonicus & Achidiaconus Silvæ-ducensis, eodem anno obijt, & testamentum conditum an. CIↃ. IↃC. VII. die V. Maij morte confirmavit.

25. *Theodoricus Braeckel*, aliàs, *Reineri*, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis, pro anniversario in Sacello Collegij, an. CIↃ. IↃC. X.

26. *Fridericus Vuiguerius*, aliàs, *Couffebant*.

27. *Ioannes Valerius*, vulgò *Vael*, Aldenardensis, I. V. L. Officialis Camerac. pòst Vltrajecti ad D. Petrum per annos quinquaginta Canonicus, obijt an. CIↃ. IↃC. X. ætatis XC. VI. Eid. Maij. B. II.

28. *VVilgerus à Moerendael*, Vltrajecti in eadem D. Petri Ecclesiâ Decanus, an. CIↃ. IↃC. XI.

29. *Bernardus à Schoonhovia*, Ord. Equitum S. Ioannis, Prior Baliviæ Vltrajectinæ, & Commendator in VVerden, an CIↃ. IↃC. XV. B. III.

30. Fundatio *Harlemensis* eodem anno cœpit. Fundatrix autem subticeri nomen suum voluit. B. IV.

31. *Petrus Blyenberghe*, Gandanus, Decanus Horstensis apud Vltrajectum. Obijt an. CIↃ. IↃC. XVII.

32. *Carolus de Froidmont*, Consiliarius Montensis, an. CIↃ. IↃC. XVII. B. III.

33. *Ioannes VVils*, aliàs *Sauvaige*, S. Th. L. Canonicus & Pænitentiarius Iprensis, an. CIↃ. IↃC. XVIII.

34. *Gubertus Vanden Broeck*, & *Margareta* ejus soror, an. CIↃ. IↃC. XXI B. III.

35. *Iacobus Iansonius*, Amstelodamensis, S. Theol. D. & Prof. Regius, ad D. Petrum Decanus, & Collegij hujus per annos XXXVI. Præsidens, an. CIↃ. IↃC. XXV.

36. *Catharina Matthys*, Ancilla Collegij ultra XL. annos. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXVI. die XXVI. Aprilis.

37. *Antonia de VVinter*, Magistra Begginagij Vltrajectini. Moritur eodem anno.

38. *Laurentius Malcotius*, Lovaniensis, Decanus Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis. Eodem anno vivere desijt.

39. *Ioannes Le Grand*, Athensis, Pastor [illegible]ensis, an. CIↃ. IↃC. XXVIII. prid. Kal. Sept. donatione inter vivos fundavit B[illegible]s. II.

Elizabetha

40. *Elizabetha Van Schore*, Lovaniensis, *Ludovici* I. V. Doctoris & Prof. pòst Conciliorum Secretioris Statusque Præsidis, Filia. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIX. VIII. Kal. Ianuarij, relictis trecentis Florenis annuè in augmentum bonorum communium.

41. *Ioannes Paludanus*, vulgò *Vanden Broeck*, Machliniensis, S. Th. Doctor & Prof. per annos XX. ad D. Petrum Plebanus. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXX. X. Kalen. Martias. B. I.

42. *Sibrandus Sixti*, Oostervirius, S. Theol. Licent. Vicarius Hollandiæ. Decessit an. CIↃ. IↃC. XXXI. IV Eid. Ianuarij.

43. *Arnoldus VVillems*, Dornensis, diœcesis Silvæ-ducensis, S. Th. Baccal. in Pædagogio Falconis Professor Philosophiæ, pòst Ecclesiæ Cathedralis Antverp. per annos XXVII. Canonicus. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXXI. ætatis LXIII. VII Kal. Octobris. B. I.

44. *Robertus de Fumal*, Machliniensis, & Domic. *Anna de Quesnoy*, Bruxellensis, antea vidua *Theodori Baerens* I. C. an. CIↃ. IↃC. XXXIV. B. I.

45. *Henricus Vuiggers*, Diestensis, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Sulpitij in patria, an. CIↃ. IↃC. XXXVI. B. II.

46. *Henricus Iudoci*, Balensis, S. Th. L. primùm ad S. Gertrudem Lovanij, inde Pastor Mollensis, obijt an. CIↃ. IↃC. XXXVIII. XV. Kal. Octob. B. I.

47. *Guilielmus Mercerus*, Athensis, S. Th. D. & Prof. Decanus Ecclesiæ D. Petri, & Collegij hujus Præsidens, obijt an. CIↃ. IↃC. XXXIX. B. II.

48. *Theodorus Iansens*, Vianensis.

49. *Ioannes Poelman*, Tubecensis, S. Th. L. Canonicus Ecclesiæ metropol. Cameracensis. B. II.

VIII. COLLEGIVM SABAVDICVM.

EVSTACHIVS CHAPVYS, Sabaudus, ex opido Annessiacensi oriundus, domo nobilis, *Ludovici Chapuysij* & *Gingonæ à Puteo* Fil. I. V. Doctor, fuit primùm Consiliarius Caroli Sabaudiæ Ducis, in civitate Taurinensi, ditionis Pedemontanæ, deinde Canonicus ad S. Petrum & Officialis Episcopi Genevensis, ac Decanus Veriacensis, postea Carolo Duci Borbonio à Consilijs, & ab eo ad Carolum V. Cæsarem, in Hispanijs agentem, Legatus; mortuoque in expugnatione urbis Romanæ Borbonio, ab eodem Carolo Imp. anno CIↃ. IↃ. XXVII, Kalen. Iulij, Consiliarius & Libellorum supplicum Magister

gister Ordinarius constitutus, atque ad Regem Angliæ Legatus an. CIↃ. IↃ. XXIX. postremò an. CIↃ. IↃ XLIV. Abbas Commendatarius S. Angeli, Ord. S. Basilij, in Regno Siciliæ: post ingentes Legationis suæ per annos XVII. molestias, in Belgium venit, & Lovanium quietis mortisque sedem delegit; conditoque ibidem an. CIↃ. IↃ. LI. Idib. Decembris testamento, hæredes universales instituit *pauperes Bursarios in Collegio per eum in opido Lovaniensi erecto & fundato, pro tempore futuros, ipsumq; Collegium pro perpetua eius fundatione, dotatione & intertentione, sive prædicti Collegij Provisores, nomine & ad opus eorundem pauperum Bursariorum*, &c. in favorem potissimùm juventutis Sabaudicæ; ut tamen præferantur venientes ex opido Annessiacensi, loco Fundatoris nativo, aut ex Schola ibidem per eumdem Fudatorem ad hoc extructa, ut in ea juventus ad Bursas Collegij hujus Lovaniensis præparetur: quos juxta Statuta, quæ ipse Fundator præscripsit, studia sua non ex sua sed Provisorum (à Facultatibus S. Theologiæ & Iuris utriusque certo modo atque ordine eligendorum) & Præsidentis arbitrio instituere ac prosequi voluit, ad quæ scilicet comperti fuerint esse propensiores, vel Theologiæ, vel Iuris utriusque. Voluit insuper inter prædicta duo Collegia, Annessiacense & Lovaniense, eam esse societatem; bonorumque communionem, ut, si contingeret alterum duorum Collegiorum aliquo casu fortuito subverti, aut gravem cladem accipere, tunc quod reliquum fuerit, tamquam socium & eodem parente natum, teneatur totis præcordijs subvenire afflicto: ut neque in Annessiacensi quicquam sine consensu Provisorum Collegij Lovaniensis possit immutari. Sepulturam Fundator Lovanij habet in Sacello sui Collegij, cum hac inscriptione, partim in medio, partim in marginibus marmoris:

Prænobili ac Pietate insigni
D. EVSTACHIO CHAPVYS, *Anneßiacensi*,
patriâ Sabaudo, I. V. Doctori prudentißimo.
Vixit annos LVI. *Deceßit* XX. *Ianuarij, an.* CIↃ. IↃ. LVI.
Fuit hic Divo Carolo V. Imp. à Consilijs,
Supplicum Libellorum Magister Ordinarius,
annis XVII. *apud Angliæ Regem Legatus continuus.*
Duo Collegia, cùm hoc, tum Anneßiacense,
instituit, suisq; opibus dotavit.

In eodem Sacello sepultus est *Thomas Gozæus* Bellomontanus, S. Th. D. & Prof. Collegij hujus primus Præsidens, mox à morte Fundatoris constitutus, tunc S. Th. Baccal. creatus Licent. & Doctor ex-

ctor existens Præses Collegij, quod Statuta permittunt, non etiam, ut aliquis antè Doctor adsumatur in Præsidem. Obijt anno CIↃ. IↃ. LXXI. VIII. Eidus Martij, nactus successorem *Embertum Everaerts*, Arendoncanum, qui vix anno præfuit, præfectus inde Curæ pastorali ad D. Iacobum, & hinc ad D. Petrum Plebanus. Illi successit *Iacobus du Bay*, Melinensis, S. Th. L. *Baio* an. CIↃ. IↃC. XIV. surrogatur *Ioannes Massen*, Leodius. S. Th. L. & huic an. CIↃ. IↃC. XXXVI. *Antonius Dave*, Chinacensis, S. Th. L. & deinde Doctor.

IX. COLLEGIVM S. ANNAE.

INstituit hoc Collegium in honorem S. ANNÆ, NICOLAVS GOBLET, Bovimensis, Iuris Pontificij Licent. Presbyter & Præpositus Dionantensis, Lovanij residens, admissus ad Conc. Vniversitatis an. CIↃ. IↃ. XXXV. die XXVII. Febr. Constatque Præside, & decem Alumnis seu Studiosis, primùm Philosophiæ, & postea Theologiæ vel Iuris, qui omnes togâ talari incedant necesse est. Prærogativam habent consanguinei Fundatoris: aliàs ordine admittuntur Bovinienses, Namurcenses & Lovanienses. Provisores nominavit idem Fundator, Præsidentem Collegij Theologorum, & principalem Ordinarium in Iure Canonico. Præfuerunt hactenus Collegio, *Alphonsus Deilerius*, *Augustinus Hunnæus*, S. Th. D. *Ioannes Deptius*, *Theodoricus Malcotius*, Lovan. *Lambertus Paradisius*, *Laurentius Vualterus*, de Vuesterhoven, S. Th. D. Obijt in Collegio an. CIↃ. IↃ. LXXVIII. *Ludovicus Stevens*, *Ioannes Clarius*, S. Th. D. *Ioannes Vuiringus*, Campensis, I. V. D. qui & in Collegio obijt an. CIↃ. IↃC. VII. *Carolus de Keersmaeker*, Lovan. S. Th. L. *Henricus Rampen*, S. Th D. & hujus nepos *Henric.* item *Rampen*, I. V. L. pòst Canonicus Harlebecanus, an. CIↃ. IↃC. XXV. *Philippus van Zuerendonck*, Silvæ-ducensis, S. Th. L. ante occupatam à Batavo milite urbem Canonicus Ecclesiæ Cathedralis in patria: *Hugo Brady*, Hibernus, I. V. D. & Prof. Cæterùm Fundator vivere desijt anno CIↃ. IↃ. LIII. Idib. Septembris Lovanij, sepultus apud Minores, ad Altare S. Annæ.

X. COLLEGIVM DRIVTIANVM.

MICHAEL DRIVTIVS, ortus ex Volkerinchove, territorij Cassletensis, I. V. D. & Decretorum per annos XXVIII. Ordinarius Professor, Curiæ Spiritualis Episc. ac Principis Leodiensis Officia-

Officialis, Lovanij residens, atque Hæreticæ pravitatis Inquisitor, & postremò Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Decanus, *Ruardo Tappero*, S. Theol. Doctori & Prof. an. CIↃ. IↃ. LIX. VI. Nonas Martij vitâ functo, successor datus, eodem & ipse anno, XVI. Kalen. Octobris ad meliorem vitam transijt, *continuis, summisq; laboribus & vigilijs*, ut in Epitaphio legitur, *caussâ Reipublicæ Christianæ confectus*. Hic moriens domum suam sitam in vico (qui hodieque à *Ioanne Spiringo*, famosissimo, dum vixit, Medico, cujus eadem aliquando fuit domus, nomen retinuit) dicto vulgò *Spieringk-straetken*, converti voluit in Collegium unum, pro Studiosis, primò suæ stirpis aut sanguinis (quibus etiam extra Lovanium in Vniversitate Gallica, ejus linguæ addiscendæ caussâ, per biennium morari permittitur;) hinc ordine oriundis, primò ex Volkerinchove, loco Fundatoris natali, tum ex pagis sex vicinis, hinc ex opido vel territorio Casletano, atque, his omnibus deficientibus, pro Lovaniensibus: ejusque Provisores, post *Remigium Driutium*, tunc Præpositum, postea Episcopum Brugensem, nominavit binos Ecclesiæ D. Petri Canonicos, eoque nomine Professores, alterum S. Theologiæ, & eum seniorem, alterum in Decretis, Ordinariè Legentes. Benefactores Collegium hoc agnoscit in primis *Remigium & Balduinum Driutios*, I.C. illum Canonicum & Officialem Brugensem, an. CIↃ. IↃC. XVIII. hunc Ecclesiæ Collegiatæ D. Iacobi Decanum & Præsidem Collegij, an. CIↃ. IↃC. XXX. die XVII. Septemb. vitâ functum: quem ordine in regimine ejusdem Collegij præcesserunt, *Hubertus de Moor*, Brugensis (qui quia extraneus erat, nec de sanguine Fundatoris, biennio dumtaxat, secundùm voluntatem ejusdem & leges Collegij rexit, cessitque deinde locum dicto *Balduino*) *Iacobus Driutius*, S. Th. L. & *Matthæus van Neufville*, Casletanus, S. Th. Baccal. Form. ab ipso Fundatore constitutus, pòst Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Brugis: successit verò *Balduinus Feuts*, Casletanus, I. V. L. qui hodieque regit.

XI. COLLEGIVM DALENSE, aliàs ANTVERPIENSE.

PETRVS VAN DALE, *Arnoldi* Fil. I. V. Doctor, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis, & Collegiatæ D. Gaugerici Alosti Decanus, vir fuit non tam opibus, quas à parentibus amplissimas consecutus erat, quàm recto earum usu laudandus, atque in primis eximiâ quadam liberalitate, quâ complurium civium suorum laboran-

laborantem fortunam ſublevavit, afflictamque erexit: atque, ut ad poſteros quoque beneficentiæ illius manaret utilitas, an. CIↃ. IↃ. LXIX. inſigne Lovanij Collegium alendis ſui ſanguinis & patriæ, atque Aloſto oriundis, Studioſis, primò Artium ac Philoſophiæ, inde S. Theologiæ, vel Iuriſprudentiæ, excitavit, tanto quidem periſtyliorum apparatu & ſtructuræ magnificentiâ, ut Sereniſſ. Belgarum Principibus eò divertentibus hoſpitium præbere ſoleat. Vtuntur omnes longâ ac talari veſte. Qui præeſt & Collegium adminiſtrat, plerumque eſt vel Theologiæ vel Iurium Baccalaureus: ita enim juſſit idem Fundator, vetuitque Præſidem inſtitui Licentiatum aut Doctorem aliquem, qui ob ſtudiorum fortè occupationes minùs intendere Collegij negotiis poſſet. Inſtitutores verò Proviſoreſque ſunt duo, alter S. Theologiæ, alter Iuris alterutrius, Doctor ac Profeſſor, uterque ſenior ſuæ Facultatis: Patroni autem Benefactoreſque Collegij Grimbergæ Barones, nunc Comites. Vivere Fundator Antverpiæ deſijt an. CIↃ. IↃ. LXXXII. Kalendis Ianuarij, tranſlatus inde Lovanium ad Sacellum ſui Collegij, ubi ad Monumentum ſepulcrale hoc legitur Epitaphium:

D. O. M. ET P. M.
R. Viri PETRI VAN DALE, *Arnoldi F. I. C.*
Decani Aloſtenſis, Canonici Antverpienſis,
Toparchæ in Ballaert, Gheſtele, Putte, Beerſele.
Qui in lauta re, & ſupra privatum modum,
Modeſtè, providè & piè eâ uſus,
Collegium hoc inſtituit, vectigalibus inſtruxit,
alendæ in bonum publicum Iuventuti.
Natus Antverpiæ an. CIↃ. IↃ. IV. *Ibidem obijt* CIↃ. IↃ. LXXXII.
Hîc monumentum habet, oſſibus eius voluntate tranſlatis,
Vt anima eius in beatas ſedes, tu apprecare,
PIE LECTOR.

Primum verò Præſidem huic ſuo Collegio dedit ipſe Fundator *Cornelium Hulſelmans*; cui deinceps ſucceſſores dati fuerunt à Collegij Patrono, *Bartholomæus Angelus*, vulgò *Engels*, an. CIↃ. IↃ. LXXXI. *VVolfangus Oſvaldus*, *Marcus vanden VVouwer*, Bruxellenſis, ad D. Petrum Canonicus, *Adamus à Ghoir*, I. V. Baccal. Canonicus ibidem, *Arnoldus vander Gheeſt*, Bruxell. S. Th. B. ſimiliter in D. Petri Canonicus, *Petrus van Giſſene*, Rotnacenſis, I. V. B. Canonicus ad S. Iacobum.

XII. COLLEGIVM VIGLIANVM.

VIGLIVS AB AYTTA, Zuichemus, Frisius, Iurisconsultus clarissimus, ingenij acumine, dicendi facundiâ, linguarum peritiâ, prudentiâ, eruditione, humanitate propemodum singularis, Caroli V. Imp. in Camera Spirensi Assessor, ejusdemque & Philippi II. Regis Catholici in sanctiori apud Belgas Senatu Præses, atque exinde uxore elatâ Presbyter, Illustrissimi Ordinis aurei Velleris Cancellarius, ad D. Bavonem apud Gandavenses Præpositus, inter alia pia opera & grata posteritati monumenta, anno CIↃ. IↃ. LXIX. celeberrimum Lovanij Collegium fundavit ac dotavit, pro duodecim (neque enim plures ipse Fundator admittit) partim suæ gentis Frisijs, partim Gandavensibus, primò Artium Philosophiæve, ac deinde Theologiæ Iurisve Pontificij Studiosis. Quamquam si à patrono Zuichemensi intra sex menses à die vacationis legitimè intimatæ, neminem præsentari contingat, possit tunc Rector Academiæ Lovaniensis cum Collegij Provisoribus seu Visitatoribus saltem duobus (tres enim Fundator nominavit, seniorem S. Theologiæ Professorem, eumque sæcularem, SS. Canonum Antecessorem primarium, & Ecclesiæ D. Quintini Parochum, ad quos solos difficiliora Collegij negotia referri voluit) pro illa vice in ejus locum substituere Lovaniensem aliquem bonæ spei adolescentem; ita enim habet artic. XI. Statutorum ejusdem Collegij. Scribit verò ipse Viglius in Vita sua, Regem Catholicum PHILIPPVM II. cùm *Viglium* apud Lovanium Collegium hujusmodi erigere intellexisset, ei ad id duodecim millia Florenorum liberaliter contribuisse. Obijt *Viglius* Bruxellis, translatus inde Gandavum, atque illatus in tumulum, à se sibi, dum viveret, positum; quem à Calvinianis, factioso hominum genere, violatum, Capitulum Cathedrale instauravit, hoc addito Elogio:

D. VIGLIO ab AYTTA, *Zuichemo, Frisio, I.C. clarissimo,*
Cathedralis huius Ecclesiæ primo Præposito mitrato,
Aurei Velleris Cancellario,
Supremi Belgicæ Status & Sanctioris Concilij,
sub Potentissimis Principibus
CAROLO V. *Imp.* & PHILIPPO II. *Hisp. Rege,*
Præsidi summo, vigilantissimo, integerrimo,
Qui cùm hanc Ecclesiam pijs Fundationibus,
plurimis munimentis decorasset,

Acade-

Academiam Lovaniensem, *structo sui nominis Collegio,*
non minùs liberaliter quàm magnificè dotasset,
natale solum novi Hospitalis beneficio
perpetuò sibi demeruisset:
tandem, post longas vigilias, post indefessos labores,
plenus dierum, plenus honorum,
Regi fidus, Patriæ carus,
utilis omnibus, iniurius nemini,
magno sui relicto desiderio, quievit in Domino,
Anno CIↃ.IↃ.LXXVII. *die* VIII *Maij, ætatis suæ* LXX.
Iste Vir, Lector, fuit, sed fuit: mirare, imitarè,
Vigila, memor prudentiß mi illius sciti,
VITA MORTALIVM VIGILIA.

Ipsum quoque Collegum mox à morte D. Viglij militari insolentiâ turpique conflagratione fœdatum fuit. Rexerunt illud hactenus, *Ioannes Carrius* I. V. L. ab ipso Fundatore institutus, pòst Canonicus & Archipresbyter Iprensis: *Petrus à Fine*, Liropius, ad S. Quintinum Pastor & S. Th. D. *Ioannes Buterne*, Montensis, I. V. L. inde Canonicus Tornac. *Guilielmus ab Angelis*, Silvæ-ducensis, S. Th. D. *Iacobus Pontanus*, Hermaliensis, S. Th. D.

XIII. COLLEGIVM CRAENDONCK.

Fvndator hujus MARCELLIVS DE CRAENDONCK, Tongelrensis (qui Pelandiæ vicus est, ad primum ab Eyndhovia lapidem) S. Theol. Baccalaureus, & ad D. Iacobum Lovanij Canonicus. Is enim anno CIↃ. IↃ. LXXIV. illud in honorem quinque Vulnerum Christi instituit, totidem constans personis, nimirum Præside, & quattuor, ut loquitur, Bursalibus, qui operam dent Philosophiæ, Theologiæ, aut Iuri Canonico. Primi in ordine vocantur consanguinei, pòst Tongelrenses, Diessemienses, atque illis deficientibus ex opido Lovaniensi. Provisores autem nominavit Prælatum Parcensem, vel ejus substitutum, & Patrem Bogardorum, qui deinde, ubi locus hic cœnobio cessit Vliederbecano, fuit ejusdem loci Abbas, quique, eo translato ad PP. Congregationis Oratorij, ad suam postliminio rediens Vliederbecam, jus Provisoris in hoc Collegium dignitati suæ Abbatiali reservatum voluit. Primus ab instituto Collegio in eo Præses fuit *Ioannes Kinderius*, ad D. Petrum Scholarcha, pòst Canonicus Aërienfis: cui ex ordine successere, *Servatius Saffenus*, Lov. S. Th. L.

 Guilielmus

Guilielmus Fabricius, S. Th. D. *Guilielmus de VVargnyes*, Montensis, S. Th. Baccal. & ad D. Petrum Canonicus, ab cIↃ. IↃ. XCVIII. *Arnoldus vanden Abeele*, I. V. Baccal. Thesaurarius Ecclesiæ D. Petri: *Libertus Fromondus*, S. Th. D. & Prof. *Henricus Loyens*, I. V. D. & Prof. sub quo Collegium aliam velut faciem accepit. Erectum illud primò fuit eo loci, ubi hodie Societas Nominis IESV Collegium suum habet, juxta domum pridem Cervianam seu Ducis Arschotani, translatum indè & permutatum cum ædibus emptis à *Gerardo de Vileers*, Medicinæ Doct. & Prof. Vniversitate permutationem ratam habente, anno cIↃ. IↃ. XCVIII, die XI. Ianuarij. Porrò obijt Fundator an. cIↃ. IↃ. LXXIV. die XV. Novemb. sepultus in Ecclesia & ad Altare S. Iacobi. Collegio postmodum accessere hæ Fundationes,

1. *Arnoldi Mutsaert*, Arendoncani, S. Th. Licent. Lovanij in D. Petri Cantoris, & Virginum in Xenodochio majori Præfecti, anno cIↃ. IↃC. VIII.

2. *Petri Gras*, Antverpiensis, S. Th. Doct. & Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis; qui an. cIↃ. IↃC. XIII. die XXVI. Martij è vivis decessit.

3. *Guilielmi de VVargnyes*, Montensis; qui an. cIↃ. IↃC. XXVIII. prid. Eid. Novemb. acutissimis podagræ attritus doloribus, moritur, sepultus ad Altare, quod ipse per Executores suos instauravit, honori SS. Ignatij & Francisci Xaverij sacrum.

XIV. COLLEGIVM BRVEGELIANVM.

VNicum hoc est in Facultate Medica, PETRO BRVEGELIO, Silvæ-Ducensi, Medicinæ Doctore & Professore Regio, auctore: qui à morte sua comparari domum aliquam ad usum hujusmodi Collegij voluit, in quo alerentur sex Bursarij, quorum sextus, si de sanguine existeret Fundatoris, dare operam Theologiæ aut Iurisprudentiæ posset; reliquæ portiones Medicinæ studio adstrictæ forent. Verùm emptâ domo, ea proventuum reperta est tenuitas, ut ad pauciores redigi Bursariorum numerum oportuerit. Provisores Collegij sunt tres, Decani duo, Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri & Facultatis Medicinæ, cum Præside Collegij Trilinguis Buslidiani. In hoc Collegio pluribus annis vixit & præfuit *Thomas Fienus*, Antverp. Med. Doctor & Prof. ac devixit an. cIↃ. IↃC. XXXI. Idib. Martij. Hodie præest *Vopiscus Fortunatus Plempius*, Amstelodamensis, similiter Med. Doctor & Prof. Moritur Fundator an. cIↃ. IↃ. LXXVII. XI. Kalen. Iunij.

Iunij. Cæterùm in hac Facultate invenio & has Fundationes,

1. *Adami Guilielmi de Bogaert*, Med. Doctoris & Professoris: qui an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. duas fundavit Bursas, quamlibet XXV. florenorum, quæ hodie, ob caducitatem quorumdam redituum, unica est.

2. *Ioannis de Schutteput*, Lovaniensis, I. V. Licent. an. CIↃ. IↃ. LXXX. similiter una XLII. florenorum.

3. *Georgij ab Austria*, ad D. Petrum Præpositi, & Academiæ Cancellarij, an. CIↃ. IↃC. XIX. item una quinquaginta florenorum.

XV. COLLEGIVM DIVAEI.

AB auctore suo, ut plerisque alijs, nomen Collegio datum. Fuit is GREGORIVS DIVÆVS, Bruxellensis, adolescens annos viginti & unum natus: qui fortè voti concepti reus Romam anno Iubilari CIↃ.IↃ.LXXV. profectus, dum in Belgium redit, Namurci intra Belgij fines morbo corripitur, & moritur an. CIↃ.IↃ.LXXVI.III. Kal. Februarij, ibidem ad S. Lupum sepultus, quod importunum esset corporis exuvias Lovanium transferri, ubi in templo Augustinianorũ apud *Gregorios Divæos*, patrem, avum, & proavum, sepulturam elegerat, & anniversarium suum fundavit. Condiderat enim *Divæus*, priusquam itineri se daret Romano, testamentum, quo domum paternam convertit in Collegium, sub tutela S. GREGORII, relictis ad usum ejusdem Collegij, atque alimentationem XII. S. Theologiæ Studiosorum, cùm suæ familiæ, qui prærogativam habent, tum Bruxellensium, etiam maternæ stirpis bonis. Quo nomine, mox à *Divæi* obitu, hæc ejusdem Fundatio coacta fuit gravissimam excipere ac sustinere litem adversus Ampliss. *Ludovici de Schore* hæredes. Vide Wames. *cent.* 6. *cons.* 84. Collegij Provisores sunt, ad D. Petrum Plebanus, & Collegij Theologorum majoris Præses. Præsides verò hic fuerunt, *Gaspar VVinckelius*, Brugensis, S. Th. L. ad D. Petrum Canonicus & Cantor, & *Laurentius Zoënius*, Brcënsis, S. Th. L. anno CIↃ. IↃC. XI. *Vuinckelio* datus successor.

XVI. COLLEGIVM seu SEMINARIVM REGIVM.

PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex Catholicus & Belgarum Princeps instituit, procurante apud Regem *Ioanne Vendvillio*, tum eidem

Regi à secretoribus Consilijs, pòst Ecclesiæ Tornacensis Episcopus. Signatum Diploma an. CIↃ. IↃ. LXXIX. mense Martio. Qui hîc aluntur & formantur animarum curæ destinantur omnes; eoque spectant hebdomadariæ Disputationes & Conciones, item quotidianæ Repetitiones, & Explicationes Scripturæ, aliaque exercitia, quibus Præses intendit; quem nominat & constituit Concilium Regium, deputatque qui rationes à Præside reddendas audiat. Primus autem functus eo munere Rev.mus *Ioannes à Stryen*, Dordracenus, secundus Middelburgensis Ecclesiæ Antistes, ob religionem exul, qui obijt Lovanij an. CIↃ. IↃ. XCIV. VIII. Eid. Iulij, depositus in D. Quintini: quem excepit *Dominicus Reineri*, Bolswardiensis, Frisius, S. Th. D. & hunc an. CIↃ. IↃ. XCVIII. *Ioannes Malderus*, S. Th. D. & Prof. eoque an. CIↃ. IↃC. XI. ad cathedram Antverpiensem adsumpto, *Christianus Beusecum*, Amorsfortius, S. Th. & D. & Catechesios Prof. Regius. Illi an. CIↃ. IↃC. XLIV. sufficitur *Melchior Cuperus*, Liranus, S. Th. L.

XVII. COLLEGIVM PELSIANVM
seu *VVestphalicum*.

IOANNES PELS, Westphalus quidem origine, ex opido Rechlinchusano oriundus, at longo incolatu Lovaniensis; Academiæ quippe Lovaniensi plurimis annis ab Actis & Secretis, eidem seriam sedulamque operam impendit: vir fuit in Iurisprudentia cùm theorica tum practica plurimùm versatus, ut & liber, quem *Processum Iudiciarium* inscripsit, à morte evulgatus, demonstrat, industriæ ad hæc singularis & studij indefessi. Obijt anno CIↃ. IↃ. LXXXIV. IV. Kalen. Maij, facultatibus omnibus, quas sibi parsimoniâ suâ potissimùm conquisierat, in erectionem novi Collegij destinatis. *Considerans*, inquit, *quòd per litterarum studia Divini nominis & Fidei Catholicæ cultus protenditur, & omnis humanæ conditionis prosperitas augetur, Do, lego decem pauperibus Studiosis* &c. *domum meam, quam Lovanij inhabito, pro ipsorum inhabitatione, & pro alimonia lego residuum omnium & singulorum bonorum meorum, eosdem pauperes Studiosos in eodem residuo hæredes meos instituendo* &c. Adsumi autem ad Collegium hoc voluit in primis consanguineos suos, atque his deficientibus, vel debito tempore non comparentibus, oriundos ex opido Rechlinchusiæ, aut locis circumvicinis; tertio loco Lovanienses, interque eos consanguineos uxoris præferri. Omnes verò legitimo toro natos esse oportet, quique in bonis sive reditibus, tam Ecclesiasticis quàm sæcu-

laribus,

laribus, ultra sexaginta florenos communes non percipiant. Post Licentiam in Artibus dare operam superiori Facultati, quam elegerint, vel S. Theologię, vel utriusque aut alterius Iuris, possunt; ita tamen, ut Studiosi Iuris numero non excedant Studiosos S. Theologiæ, vel contrà: & exinde frui emolumentis Bursæ quinquennio integro permittitur. Provisores nominavit duos, utrumque primarium S. Theologiæ & SS. Canonum respectivè Doctorem ac Professorem: Præsidem verò primum *Hieronymum Bogaerts*, Lovaniensem, in D. Petri Canonicum; cui deinceps à Provisoribus surrogati fuere, *Ioannes Moens*, S. Th. Baccal. dictæ Ecclesiæ D. Petri Capellanus: *Folianus de Fiefret*, Fraxiniensis, ad S. Iacobum Decanus: *Laurentius Egnoys*, pòst Canonicus Cortracensis: *Vincentius Berthyns*, Lovan. antea Sereniss. Principi Guilielmo Duci Bavariæ &c. à Sacris & Canonicus Clivensis: *Ludovicus Vekemans*, Lovan. S. Th. Baccal. *Petrus Britzelius*, Lovan. Canonicus ad S. Iacobum: *Matthias van Tilborch*, Silvæ-ducensis.

XVIII. COLLEGIVM MONTENSE.

DOmum suam huic Collegio moriens deputavit ac legavit IOANNES DE BIEVENE, Montensis, I. V. Doctor, primùm Concilij Hannoniæ Assessor, pòst Decretorum Professor Ordinarius, atque ad D. Petrum Lovanij Canonicus; Provisoresque & Patronos, à morte *Philippi* fratris sui, ac deficientibus in familia hæredibus masculis, nominavit duos seniores urbis Montensis Scabinos, & Pensionarium similiter seniorem. Moritur autem anno CIↃ. IↃ. XCVI. Kalendis Iulij. A morte Fundatoris plures, titulo Præsidis, cùm adhuc sine dote Collegium esset, habitationem hîc suam habuerunt; ut *Ioannes Buterne*, Montensis, qui hinc migravit ad Pædagogium Castri; *Ioannes Bapt. Grammaius*, I. V. L. publicus Rhetorices Prof. *N. De Vienne*; *Andreas del Vaulx*, Andanensis, I. V. D. & Prof. *Georgius Taymon*; *Andreas VVypion*, Givetensis, S. Th. D. pòst Canonicus & Decanus Ecclesiæ Cathedralis Namurcensis: donec *Ioannes Sauvaige*, Artesius S. Theol. Baccal. Form. & Capellanus in D. Petri, eidem Collegio præfectus, ibidem Bursas IV. instituit, moriensque anno CIↃ. IↃC. XLVI. IV. Kal. Octob. quod reliquum fuit bonorum suorum totum Collegio reliquit, cujus proinde velut alter Fundator & primus dotator meritò haberi debet. Illi suffectus fuit *Michael VVittebort*, Montensis, ad S. Gaugericum Cameraci Canonicus. Inter Benefactores hujus Collegij etiam habentur,

1. *Arnoldus*

1. *Arnoldus Malvoisin*, qui obijt an. CIↃ. IↃC. XXXV. VI. Kal. Novemb. cujus hîc B. VI.

2. *Guilielmus le Clercq*, Pastor in Monstreul. B. II. quarum præsentatio est penes Magistratum Montensem.

XIX. COLLEGIVM seu SEMINARIVM LEODIENSE.

Seminarium hoc sive Collegium LEODIENSE anno Dom. CIↃ IↃC. V. erigi cœpit, auspicijs Sereniss. Principis ERNESTI, S. R. Imperij Electoris & Archiepiscopi Coloniensis, Ducis Bavariæ, Episcopi Leodiensis &c. prudenter advertentis, ut dicti Seminarij Statuta narrant, *necessarium esse, propter vicinorum ac passim gliscentium hæreticorum vafras subtilesq; Religionis Catholicæ depravationes; tum propter diversarum parochialium Ecclesiarum, in opidis præsertim ac famosioribus Dioecesis suæ locis amplitudinem, præter Seminarium in civitate Leodiensi erectum; aliud etiam in vicina Lovaniensi Academia instituere. In quo qui maioris exspectationis fuerint, diligentiùs in studio Theologico instituerentur, & huius suæ institutionis, graduum Scholasticorum susceptione, publicum testimonium consequerentur.* Qua de re ad eumdem Principem IX. Kal. Martij ejusdem anni scripsit in hæc verba I. Lipsius: *Legi quæ Cels. Tua dignata est ad me scribere, & gavisus sum in cura & serio instituto, quod ea suscepit Religioni & doctrinæ propagandæ. Vterque enim hic fructus, spero, manabit è Collegio, quod auspicijs Cels. Tuæ hîc instituetur: ut gloriam & nomen omittam, quod apud posteros manet. Itaque libens, pro mea virili, adiuvabo & conferam ad tam præclarum opus perficiendum: & iam nunc cum R. & Ex.* Ioanne Clario *egi de præfectura eius Collegij suscipienda. Quem virum bono iudicio & consilio Cels. Tua elegit & vocavit ad hoc munus, præter doctrinam rariorem, etiam peritum & usu factum ad gubernandum, & qui auctoritate solâ continere possit iuventutem. Clario* in regimine successit anno CIↃ. IↃC. XI. *Ioannes VViggers*, Diestensis, S. Th. D. & huic an. CIↃ. IↃC. XXXIX. *Libertus Fromondus*, Haccurianus, S. Th. D. In hoc Collegio qui Principis Clerique Leodiensis munificentiâ aluntur, omnes S. Theologiæ sunt Studiosi, singulique ad curam destinantur animarum: quæ procul dubio & aliorum, qui hactenus in eodem Seminario Fundationes suas nacti sunt, cura atque intentio præcipua fuit, ut

1. *Quintini van Kesselt*, Pastoris Zonhoviensis, & Canonici ad D. Iacobum Lovanij; cujus hîc B. II.

2. Illu-

2. Illustriss. D. *Guilielmi de Bergis*, è Baronibus Grimberganis, Decani & Canonici ad S. Lambertum Leodij, Episcopi Antverp. ac demùm Archiepisc. & Ducis Cameracensis, B. I.

3. *Ioannis Clarij*, Tungrensis, S. Theol. D. & Prof. & primi Præsidis, B. II.

4. *Henrici Duyskens*, S. Theol. Licent. Pastoris & Archipresbyteri Hasselensis, ac Decani Ecclesiæ Collegiatæ Cortezemensis, B. I.

5. *Reineri Fabij*, sive *Boonen*, à Tessenderlo, Pastoris in Lummen, qui obijt Lovanij an. CIↃ. IↃC. XXXV. die XX. Maij, B. VI. & totidem in Domo pauperum Standonica, præter alias alibi pias fundationes.

6. *Ioannis VViggers*, S. Th. D. & Prof. ac secundi Præsidis, B. II.

7. Præterea translata est ad hoc Leodiense Seminarium Fundatio Collegij Cruciferorum, quod à centum, & quod excurrit, annis principia sua debet *Philippo de Hont*, ex Vualachria Zelandiæ insula oriundo; fruunturque hodie Bursis duabus ejusdem Ordinis, ex Conventu Namurcensi aut Huensi, Religiosi.

XX. COLLEGIVM S. WILLEBRORDI.

NICOLAVS ZOESIVS, Amorsfortius, Episcopus Silvæ-ducensis, quintus ordine, antea *Ioanni Venduillio*, laudatissimo Tornacensium Antistiti à Secretis, & itineris Romani comes, ejusdemque beneficio Canonicus & Officialis Tornacensis, indeque in magno Senatu Belgico Consiliarius, huic Collegio initia dedit, coëmptis exædificatisque ad usum illius ædibus, dum adhuc in eodem supremo Senatu Iudex sederet; moriensque anno CIↃ. IↃC. XXV. hanc suam Collegijque fundationem in honorem *SS. Trinitatis*, & ad memoriam *SS. VVillebrordi* & sociorum, & *S. Caroli Borromæi*, confirmavit, ac Statuta legesque quoad præsentationem, institutionem, qualitates, moresque Bursariorum ipsemet præscripsit. Bursarios verò omnes admittendos ad hoc suum Collegium voluit ut minimùm esse promotos in Artibus, ac dare operam S. Theologiæ; qui postquam renuntiati fuerint Baccalaurei, Sacris initiari debeant, Curis præficiendi Pastoralibus: quò tenentur deinceps studia sua dirigere, seque formare & præparare ad messem Domini. Permittitur tamen oriundis Amorsfortio etiam ab Artibus Philosophiaque studia sua ordiri: quos etiam semper binos per concursum ad Bursas recipi voluit, & totidem ex patria Vltrajectina, interque eos comprehendi & Amorsfortios. Provisores

dationibus huc transferendis, sub tutela sanctissimi & præstantissimi Ecclesiæ Doctoris S. AVGVSTINI: verùm ea res deinde à morte ejusdem *Michaëlis* successum non habuit, qui in testamento suo *Iacobum*, ex fratre nepotem, sub certis conditionibus instituendo hæredem, cogitationes suas aliò divertit. *Iacobus* autem, cùm dos illius Collegij deficeret, divenditâ domo, reditus paucos cùm hinc tum ex alijs patrui sui bonis provenientes, & quicquid bonorum ipse possidebat, moriens Collegio suo *Baiano*, cujus fundamenta quædam jam antè jacta erant, destinavit universum. Moritur verò an. CIƆ. IƆC. XIV. III. Nonas Octobris. Eodemque anno *Iacobi* è fratre nepos *AEgidius Baius*, primus Præses Provisorque, solemniter Collegium aperuit, atque ædificijs splendidis auxit: à cujus morte Consultiss. *D. Iacobus*, I. V. L. & Prof. extraordinarius Cod. & ipse nepos Fundatoris, idem Collegium moderatus fuit usque ad annum CIƆ. IƆC. XXXV. IV. Kal. Octob. sepultus in Sacello Collegij. Successit *Ioannes Recht*, Helebecanus, territorij Athensis, S. Th. Doctor. Cæterùm admittuntur ad hoc Collegium, & Philosophiæ studio dare operam possunt, qui de Fundatoris sanguine se esse legitimè docuerint, & idonei ad audiendam Logicam, vel saltem ad locum primariorum in Pædagogio fuerint reperti; inter quos tamen *Baiani* præferuntur: item Lovanienses duo, quos factâ per Plebanum Ecclesiæ D. Petri publicatione, Præsidens elegerit, & Dominis Provisoribus (quos ad eum ferè modum, quo in Collegio Sabaudico, ex Facultatibus S. Theologiæ & Iuris utriusque eligi Fundator voluit) instituendos obtulerit; qui etiam nisi ex justa caussa reijcere sibi oblatum non poterunt. Reliqui verò ad Bursam adsumendi Artium Magistri esse debent, qui honestum in promotione locum habuerint, animo tendentes ad Sacerdotium & Pastoratum; quorum electio similiter est penes Præsidem. Inter sollicitantes verò & concurrentes ad Bursam aliquam tribuit idem Fundator prærogativam venientibus ex Schola Athensi, natis in ejusdem Castellania; hinc ortis in Hannonia, territorio Insulensi, Duacensi, Cameracensi; ac, nemine ex his comparente, à Præside eligendis, cujuscumque gentis & linguæ, de legitimo toro natis. Porrò in Collegio hoc, præter *Baianas*, possidentur & hæ Bursæ,

1. *Victoris de Slingere*, Pastoris in Oostbrugge Zelandiæ, antehac in Collegio S. Augustini ad Leidam, anno CIƆ. IƆ. LXXV.

2. *Foillani Fiefvet*, Fraxiniensis ad Schaldim, ex Pastore Melinensi ac Binchiensi Lovanij ad D. Iacobum Decani. Obijt an. CIƆ. IƆC. XII. mense Augusto.

XXII. COLLEGIVM D. PVLCHERIAE.

INscriptum datumque Collegio huic nomen illud fortè à pulcerrima Dei-paræ Virginis statua, quæ supra portam ejusdem conspicua est; unde & domus indigetari hactenus solet titulo B. MARIÆ, PVLCRÆ cognomento. Fuit ea familiæ nuper Lieminganæ, inter Patricias apud Lovanienses nobilissimæ: hinc emptione venit ad *Ludovicum Tempelium*, Equitem, ejusdem urbis Prætorem, qui an. CIƆ.IƆC.XVI. ad usum Collegij vendidit. Occasionem verò huic Collegio dedit piæ cujusdam Fundationis ad propagandam Fidem Orthodoxo-Romanam in Vniversitate Coloniensi divisio; cui paucis ab hinc annis ea ex multorum liberalitate accesserunt incrementa, ut inter prima Academiæ hujus Collegia censeri debeat. Theologi sunt, qui in eo aluntur, Fidei, ut dixi, propagandæ destinati; quibus etiam à Philosophiæ studio facere initium licet. Ejus præfecturam primus suscepit *Cornelius Iansenius*, Leerdamensis, S. Th. D. & Prof. quem excepit *Henricus Paridanus*, Machliniensis, S. Th. D. & Prof. qui an. CIƆ.IƆC.XXXV. moriens successorem nactus est *Theodorum Silvoltium*, Grollensem, & ipsum nuper creatum S. Th. Doctorem.

XXIII. COLLEGIVM MYLIANVM, seu *Luxemburgense*.

IOANNES MYLIVS, Luxemburgensis, I. V. Doctor, pluribus annis Mantuæ Carpetanorum (Madritum hodie vocant) in Hispania usque ad an. CIƆ.IƆ.XCVI. cœlibem vitam egit, conditoque ibidem paullò ante mortem testamento, ultra legata, quæ pauca reliquit, *in residuo* (ita ferè verba ejus sonant ex Hispanico) *omnium meorum bonorum, immobilium, mobilium & se moventium, item iurium, quæcumque habeo & habuero, & ad me pertinent ac pertinebunt, nomino & instituo animam meam pro universali meo hærede, eâ lege & intentione, ut quidquid ita hæreditaverit, distribuatur & expendatur in fundando, dotando & erigendo Collegio uno, in opido vel Luxemburgensi, è cuius Ducatu oriundus sum; vel Treverensi civitate Imperiali; vel Lovanij, in Ducatu Brabantiæ, provinciâ Germaniæ Inferioris, rebus inibi pacificatis, idq; iuxta arbitrium & dispositionem Illustrium* DD. Marci Fuggeri *& fratrum eius*; ad eum modum & formam, iisdemque legibus & Statutis, quibus in eadem Academia Lovaniensi erectum ac fundatum est *Viglianum* Collegium. Quibus interim

interim decedentibus idem jus sibi vindicarunt eorum agnati Illustres Comites. *DD. Ioannes Ernestus* & *Georgius Fuggeri*, Liberi Barones in Kirchberg &c. Elegerunt autem illi anno CIↃ.IↃC.X. Lovanium, hancque suam declarationem electionemque per litteras Sereniss. Belgarum Principibus insinuârunt. Vnde Rector & Vniversitas, necnon Consules, Scabini, & Consiliarij oppidi Lovaniensis, per litteras suas reversales, ut vocant acceptando hujusmodi declarationem atque electionem, delararunt similiter, mentem aut intentionem suam non esse aut fuisse umquam aliam, quàm ut prædicti Dom. Comites, uti dictum D. Doctorem Mylium repræsentantes, sibi habeant & reservent jus patronatus & summam inspectionem antedicti Collegij, ac jus & potestatem in eo Præsidem constituendi, & Scholares alimentarios, sive Bursarios in illud adsciscendi, cæteraque omnia faciendi & exequendi, quæ ipsis per prædictum testamentum & ultimam voluntatem adscripta vel commissa fuerunt &c. Acta hæc anno CIↃ. IↃC. XIII. mensis Ianuarij die XVIII. Similis declaratio per eosdem facta fuit ijsdem DD. Comitibus an. CIↃ.IↃC.XIX.quod ad nominationem Provisorum attinet, designatis tunc Provisoribus, seniore S. Th. D. & Prof. & SS. Canonum Antecessore primario, quos & Præses *Viglius* suo dederat Collegio, hisque Consule & Pensionario utrimque primo adjunctis. Item altera an. CIↃ.CIↃ.XXIV. quoad administrationem bonorum sub nomine dictorum Illust. Comitum ac familiæ faciendam. Quæ omnia & singula prædicti respectivè mandatarij ac deputati postea an. CIↃ. IↃC. XXXII. mensis Iulij die XXIII. per solemnem contractum coram Ampl. V. D. *Gulielmo Steenhuys*, Regiæ Catholicæ Ma.[ti] à Consilijs Status & privati, ad hoc specialiter commisso & deputato, de novo laudarunt, approbarunt & ratificarunt: concessâ insuper per dictos DD. Comites Statibus seu Ordinibus Luxemburgensibus in dicto Collegio Myliano præsentatione seu denominatione tertiæ partis Bursariorum, inter quos semper unus esset Lovaniensis, & ex reliquis duabus tertijs Bursæ duæ similiter affectæ Lovaniensibus: prædictum contractum concessionemque nomine dictorum Ordinum approbante & acceptante *Petro Roberti*, Cameræ Rationalis Brab. Assessore. Verùm cùm ijdem DD. Comites altero inde anno, & iterum an CIↃ.IↃC. XL. declarassent se prædictæ concordiæ ac conventioni stare non velle, nec etiam posse aut velle eam approbare, saltem quod ad præsentationem attinet Bursariorum ab Ordinibus Luxemburgensibus faciendam, & à *Fuggeris* confirmandam: visum fuit ijsdem Ordinibus cùm ex hac, tum alijs ex caussis, pro parte quoque sua resilire ab hujusmodi

contractu; prætendentibus tantùm merum jus electionis & executionis DD. *Fuggeris* competijsse, quod etiam personas in testamento nominatas excedere nòn potuerit; civitati verò & Ordinibus Luxemburgensibus, uti primò nominatis in testamento Fundatoris, competijsse & competere jus patronatus in dicto Collegio Myliano, ac prærogativam quoad constitutionem Præsidis & adsumptionem Bursariorum: qua de re hodieque inter easdem partes vertitur lis. Primam certè nominationem & præsentationem Bursalium invenio factam à deputatis Commissarijs Ordinum Ducatus Luxemb. anno CIↃ. IↃC. XVII. id est biennio ante erectum Collegium, & approbationem inde secutam per DD. *Fuggeros*, litteris ea de re eodem anno, mensis Aug. die XXI. Augustâ Vindelicorum scriptis. Primus verò Præses Collegij hujus an. CIↃ. IↃC. XIX. ex voluntate Illust. *Fuggerorum*, constitutus fuit ab illius Provisoribus *Nicolaus Vernulaus*, S. Th. L. ex Ducatu Luxemb. oriundus, adsignato eidem salario ducentorum Floren. Brabant. cui an. CIↃ. IↃC. XLIX. ab ijsdem *Fuggeris* fuit surrogatus *Iacobus Baech*, Coloniensis, Presbyter. Alumni autem ejusdem ex decreto Fundatoris primùm Philosophiæ, atque exinde dimidiatim Theologiæ vel Iuri; Canonico aut Civili, dare operam possunt; locusque datur in primis ex provincia Luxemburgensi oriundis.

XXIV. COLLEGIVM PASTORALE HIBERNORVM.

AVctor Collegij hujus fuit Illustriss. D. EVGENIVS MATTHAEVS, Archiepiscopus Dublinensis, in Hibernia, qui Romæ agens movit ad hoc Patres, qui è Cardinalium Collegio Sacræ de propaganda Fide Congregationi assident. Empta in eum usum fuit domus an. CIↃ. IↃC. XXIII. & subsidia quædam, præter ea, quæ idem Antistes contulit, per eamdem sacram Congregationem novo huic Pastorum ac Missionariorum Seminario numerata consignataque. Nam qui aluntur in hoc Collegio, navatâ operâ Rhetoricæ Philosophiæque, deinceps S. Theologiæ studio se dare tenentur, inde ad vineam Domini & curam animarum mittendi in Hiberniam. Primum hîc Præsidem egit *Nicolaus Aylmerus*, Hibernus, Protonot. Apostolicus, quem secutus est *Edmundus Relly*, itidem Hibernus: verùm rebus Collegij, ob minùs rectè procuratam gestamque administrationem, mox sub initijs in peius labentibus, quia idem Collegium ad curam ejusdem Sacræ Congregat. pertinere aliquo modo videba-

tur,

tur, auctoritate Apostolicâ per Illust.mum D. Iurisdictionis Pontificiæ in Belgio Administratorem *Paulum Stravium* anno CIↃ. IↃC. XXXVI. mensis Martij die IX. constituti fuere dicti Collegij Provisores, Exim. *D. Ioannes Schinckelius*, S. Th. Doctor & Prof. & Cl. *D. Iacobus Santvoert*, I. V. D. & Pontificij Prof. primarius, novusque Præses an. CIↃ. IↃC. XXXVIII. institutus fuit *Matthæus Theige*, Presbyter Oratorij, pòst S. Th. D. Canonicus & Cantor ad D. Petrum Lovanij, ac nova regiminis forma præscripta & introducta in Collegium. Inter Benefactores illius est dictus *D. Schinkelius*, mortuus CIↃ. IↃC. XLVI.

XXV. COLLEGIVM ORDINIS TEVTONICI.

INstituit Generosus D. EDMVNDVS HVYN, ab AMSTENRAEDT, Commendator Provincialis Ordinis Equitum Teutonicorum Provinciæ Iuncetanæ, anno CIↃ. IↃC. XXI. pro duodecim, primò Artium ac Philosophiæ, hinc Theologiæ Studiosis: qui ubi Sacerdotes ordinati fuerint, redire ad Ordinem tenentur, ut in eo probati anno uno, dein Cruce ejusdem Ordinis insigniantur. Aliàs morari in Collegio permissum est ad arbitrium ipsius Provincialis. Illi hactenus præfuerunt *Laurentius Keyjers*, Gemertanus, S. Th. B. Form. adsumptus anno CIↃ. IↃC. XXI. *Ioannes à Cauwenberch*, Presb. Ord. Teutonici, *Martinus Caverenne*, Scyensis, I. V. L. an. CIↃ. IↃC. XXVII. *Hermannus Fabricius*, Ord. ejusdem Presb. & Persona Ecclesiarum SS. Andreæ & Gangulphi in urbe Leodiensi, an. CIↃ. IↃC. XLIII.

XXVI. COLLEGIVM D. IOAN. MALDERI.

INstituit Reverendiss. Dom. IOANNES MALDERVS, Ecclesiæ Antverpiensis Episcopus, familiæ suæ cùm paternæ tum maternæ, sacræque Theologiæ Studiosis, coëmptis in eum usum ædibus, quas V. N. *Ludovicus Tempelius*, Eques, Prætor urbis Lovaniensis, inhabitare solet. Natus verò fuit *Malderus* Leeuwis S. Petri, municipio territorij Bruxellensis, ad secundum ab urbe lapidem, patre *Zegero*, matre *Elizabethâ VValravens*, probis honestisque parentibus. Laureâ Professioneque Theologicâ in Academia Lovaniensi excelluit, præfuitque ibidem Regio Pastorum Seminario; adsumptus hinc ad Cathedram Ecclesiæ Antverpiensis. Qua in dignitate vixit annos unum & viginti, finemque vitæ fecit an. CIↃ. IↃC. XXXIII. XII. Kal. Novemb.

Virtutes

Virtutes ejus Oratione funebri expressit *Ioannes Hemelarius*, Ecclesiæ Cathedralis Antverpiensis Canonicus.

XXV. COLLEGIVM D. FRANC. HOVII.

FRANCISCVS HOVIVS, Londerzelius (qui ditionis Grimberganæ pagus est) S. Theol. Licent. ejusdemque in Abbatia Gertrudana Lovanij Professor; inde ad S. Walburgim Antverpiæ Pastor, totos septem & viginti annos ei functioni sedulam operam, seque adeò totum impendit. Obijt an. CIↃ. IↃC. XXVIII. conditoque Idib. Decemb. testamento, ex domo sua, quam Lovanij acquisierat, institui voluit novum Collegium, cum hac inscriptione, PATRIMONIVM CHRISTI; atque intrinsecus ad ingressum Collegij scribi aut insculpi hæc verba, DE STERCORE ERIGENS PAVPEREM: idem Collegium nominando & instituendo hæredem pleno jure institutionis. Prærogativam ad illud dedit consanguineis suis; hinc Antverpiensibus, oriundis ex parochia S. Walburgis: qui si deficiant aut non concurrant, admittere quemvis pro arbitrio suo poterit dicti Collegij Præses, qui primus fuit *Cornelius VViggers*, Diestensis, S. Th. B. Form. ad S. Michaelem Pastor, mortuus an. CIↃ. IↃC. XLIX. Debent omnes esse promoti in Artibus, & dare operam Theologiæ; exceptis consanguineis, quibus hac in re permisit liberam electionem. Provisores seu Visitatores hujus sui Collegij, post mortem Exim. D. *Ioannis VViggers*, S. Theol. Doct. nominavit Decanum Facultatis Theologicæ & Plebanum Ecclesiæ D. Petri.

DE COLLEGIIS ALIQVOT,

quæ vel desierunt, vel erigi non potuerunt.

FActum id ob tenuitatem vel caducitatem redituum proventuumque, ut Collegia quædam erecta deinde desierint, vel etiam erigi & deduci ad perfectionem non potuerint.

Tale in primis fuit, quod GODEFRIDVS DE BOESLINTERE, natus in pago de Breyssehem prope Thenas, Curatus Ecclesiæ de Nethenis, Decanus Pastorum Concilij Geldoniensis, condito an. CIↃ. CCCC. XLIX. testamento erectum desiderabat. Nam domum suam sitam in vico vulgò dicto Cattistrata dedit Facultati Artium, ad opus octo Scholarium & unius Magistri: verùm hæc ejus fundatio postea autori-

auctoritate Apostolicâ reducta est ad Bursas duas, & translata ad Pædagogium Porci.

Tale fuit & Collegium ARNOLDI TROT, Machliniensis, quod is condidit per executores testamenti sui *Adrianum Florentij*, tunc Decanũ Ecclesiæ D. Petri, *Ioannem Calentyn* & *Petrum vander Beken*, pro septem pauperibus studentibus in Facultate Artium, primò sui sanguinis aut parentelæ, tum ex opido Machliniensi & vico de Musenis oriundis, & pro uno directore, penes quem Bursalium cura esset. Fuit Rector Ecclesiæ parochialis Lintrensis & Capellanus in D. Petri, ibidem residens, antea per plures annos Bedellus Facultatis S. Theol. Obijt anno supra millesimum quingentesimo, mensis Decemb. die XXIII. Provisores seu directores hujus fundationis sunt Decanus Facultatis S. Theol. & ad D. Petrum Plebanus.

Talis etiam fuit voluntas IOANNIS QVENEN, nati in Meeuwen, municipio territorij Hasselensis, Presbyteri & Canonici ad S. Petrum Lovanij. Hic enim anno CIϽ. IϽ. LXXIX. III. Kal. April. moriens domum, quam inhabitabat, deputavit Collegio Studiosorum in Artibus & S. Th. hujus suæ fundationis Provisores nominando Pastores Ecclesiarum SS. Petri & Michaëlis. Alumni bursales, si in Artium facultate studeant, obligantur visitare Pædagogium Porci.

Sed & nupera fundatio D. IOANNIS VAN T'SESTICH, Machliniensis, I. V. D. & Decret. Prof. Regij, desiderantis à morte sua erigi *Collegium familia Sestichia*; ob tenuitatem redituum & controversias ei motas plenum suum sortiri non potuit effectum. Provisores illius constituit ipse Fundator, unum ex parte posterorum fratris sui *Antonij*, viri Consularis apud Machlinienses, si talis Lovanij habitet; sin secus, alium quemvis Lovanij habitantem; secundo loco Advocatum Fiscalem Vniversitatis Lovaniensis, & tertium ex corpore Capitulari designandum. Cur verò sic disponeret, expressit ipse his verbis: *Quandoquidem*, inquit, *in familia nostra semper praclari viri toga artibus ac splendidis Reip. muneribus atque honoribus eluxerunt, declaro idem mihi summis esse in votis, ut in posterum flos ille non marcescat, nec ad sordida vel improba munia degenerent. Quocirca eos solos ex haredibus capaces declaro huius mea dispositionis, qui se studijs liberalium Artium, Theologia, Iurisprudentia, vel etiam Medicina, quò genius singulorum inclinabit, dare volent.* Obijt anno D. CIϽ. IϽC. XXXIV. VI. Eid. Novemb. illatus in tumulum patrui sui *Davidis Sexagij*, ad D. Petrum Canonici.

COLLEGIA ET SCHOLAE
Ordinum Religioſorum.

CONſtat in primis Lovanij ante conditam Academiam, in ſingulis Ordinum Mendicantium, Dominicanorum, Franciſcanorum atque Auguſtinianorum, Cœnobijs erecta fuiſſe Studia, ut vocant, Generalia ſeu Provincialia, quæ qui dirigunt & moderantur, recepto ibi vocabulo, Regentes Studij Lectoreſque dici ſolent: hodieque apud alios quoque Religioſos, Carmelitanos veteris inſtituti, atque Excalceatos, Minoritas & Dominicanos Hibernos, Patres Societatis IESV, ſimiles Scholæ ſunt. De ſingulis in ſua Academia Lovan. plenè tractat Nicolaus Vernulæus. Ex his autem mox ſub exordijs Vniverſitatis, anno CIↃ. CCCC. XLVII. prid. Kal. Auguſti, eidem incorporati fuere, ſive recepti ad gremium Vniverſitatis, ad inſtar aliarum Vniverſitatum, Pariſienſis, Colonienſis &c. Conventus trium Ord. Mendicantium, Dominicanorũ, Franciſcanorum & Auguſtinianorum, interpoſitâ ſolemni ſtipulatione inter Rectorem pro tempore, & Superiores ipſorum Conventuum, ſub certis modis & conditionibus. I. Quòd Religioſi omnes & ſinguli reſpectivè teneantur profiteri nomen ſuum in matricula Vniverſitatis, & præſtare juramenta ad hoc præſtari ſolita. II. Quòd ex quodlibet Clauſtro ſeu Monaſterio deputentur duo, vel ſaltem unus, qui viſitet continuò Lectiones Magiſtrorum in Facultate S. Theol. ſecundùm ſtatuta Vniverſitatis: quo mediante omnes de Clauſtro cenſeantur tamquam Studentes & Suppoſita, gaudeantque privilegijs, & libertatibus Vniverſitatis. III. Quòd ſtatis & ſolemnibus Sacris ſeu Miſſis communibus per Vniverſitatem celebrandis interſint ſemper duo Religioſi ex quolibet Clauſtro. IV. Quòd in caſum, quo Vniverſitas pro defenſione, ampliatione, conſervatione ſuorum privilegiorum, aut aliàs pro evidenti utilitate, ordinabit burſam ſeu collectam communem, teneantur ſingula Clauſtra ſolvere duas burſas, id eſt tantum, quantum duo ex ſuppoſitis non Religioſis mediæ conditionis ſeu ſtatus pendere ſolent. V. Quòd Vniverſitas Ordinem ſeu Conventum ſic incorporatum in cauſſis civilibus & perſonalibus velit & obligetur tueri ac defendere, deque ijſdem cognoſcere; exceptis ijs, quæ ad Ordinem in ſe ſpectant.

Sunt & alia Religioſorum Collegia, in quibus qui deguntatque aluntur plerique S. Theologiæ dant operam, publicaſque Prælectiones excipiunt, Diſputationibus, ceteriſque exercitijs interſunt, tituliſque Academicis, Baccalaureatus aut Licentiæ, cùm Superioribus viſum, inſigniuntur. Lubet ea ordine recenſere.

CAR-

CARMELITANUM. Instituit illud GODEFRIDUS DE LOE, ejusdem Ordinis, S. Theol. Doctor Studij Coloniensis, auctoritate Apostolici eo tempore apud Belgas Legati: Universitas verò anno CIↃ. CCCC. LXI. IV. Eid. Febr. idem gratanter acceptavit, & in tutelam protectionemque suam recepit. Deputata Collegio fuit domus, quam juxta Sacellum S. Antonij idem *Godefridus* in eum usum comparaverat; indeque postea ab *AEgidio Fabri*, Regente sive Terminario, ut tunc loquebantur, Collegij, translatum fuit ad aliam domum, sitam in platea Lapidea, eidem Collegio Scholastico legatam à *Georgio Bourgensi*, Cameracensi, I. V. Licent. ad D. Ioannem Leodij Decano, & Conservatoris Academici Assessore, qui an. CIↃ. CCCC. LXXXVIII. die XXVII. Martij obijt. Quæ quidem domus nuper cessit Collegio Ordinis Teutonici, postquam an. CIↃ. IↃC. XVII. migravit hinc Carmelitanum ad Sacellum D. Catharinæ, ædificatá ibidem à Superioribus illius Ordinis nová domo, hac inter alias conditione, & non aliter aut alio modo. In primis, quòd domus seu Monasterium de novo extructa seu extructum perpetuis futuris temporibus principaliter servire debeat pro Studentibus prædicti Ordinis; aut quòd aliàs Vniversitas poterit eamdem domum seu Monasterium ad usum studiorum & pro studentibus in dicto Ordine vindicare, & ne ad alios usus applicetur & divertatur validè prohibere & impedire. Deinde quòd nova domus seu Monasterium, omnesque Religiosi in eo commorantes, incorporentur seu uniantur Vniversitati, iisdem legibus & conditionibus, quibus pleraque alia Monasteria eidem sunt unita &c. Acta hæc anno, ut suprà, mensis Maij die XV.

CRUCIFERORUM. Initia sua debet PHILIPPO DE HONT, ex West-Souburgh, Walachriæ insulæ Zelandicæ vico, civi & incola Lovaniensi; teneturque alere Ordinis illius Sacerdotes tres, S. Theologiæ Studiosos, ex opido Goesano & Namurcensi. Obijt Fundator an. CIↃ. CCCC. XCIII. IV. Eid. Martij, sepultus ad S. Iacobum. Domus & fundus Collegij hujus postmodum cessit Cœnobio Ord. Minorum S. Francisci, eâ inter alias conditione, quòd redituum ac proventuum dicti Collegij administratio omnis deinceps maneret penes Vniversitatem aut administratores alicujus Collegij, & ut cautum esset Vniversitati adversus substitutos in testamento *Philippi de Hont*, Fundatoris &c. Ita fuit conventum an. CIↃ. IↃC. XV. mensis Martij die XV. Aluntur hodie ex hac Fundatione in Seminario Leodiensi duo illius Ord. Religiosi ex Conventu Namurcensi aut Huensi.

PRÆMONSTRATENSE. Inchoarunt & fundarunt pro Studiosis suis Ordinis an. CIↃ. IↃ. LXXI. V. Kalen. Decembris,

 quattuor

quattuor Abbates, CAROLUS VANDER LINDEN, Parcensis, ÆGIDIUS HEYNS, Averbodiensis, GERARDUS VAN CAMPENHOUT, Grimbergensis, & MICHAEL MALENUS, Ninoviensis in Flandria. Quibus se mox adjunxerunt alij tres, Tongerloënsis, S. Michaëlis Antverpiensis, & Heylessemensis. In hoc Collegio, præter publicas Prælectiones ac Disputationes ferè quotidianas, etiam privata habentur exercitia, & hebdomadariæ Disputationes per eum, qui Collegio præest, & plerumque est S. Th. Baccal. Form. aut Licentiatus. Fuere illi ex Parcensi cœnobio S. Th. Licentiati tres ordine, interque eos *Matthæus Bosmans*, dicti loci multis annis Prior, & Baccalaurei duo; ex Tongerloensi *Ioannes Conen*, Mollanus, S. Th. L. pòst similiter sui Conventus Prior; ex Averbodiensi *Nicolaus Ambrosij*; ex Ninoviensi *Iacobus Petit*, S. Th. L. ex Grimbergensi *Ioannes à Lapide*, S. Th. B. hodie Prior ibidem; ex Antverpiensi *Petrus Overhusius*, S. Th. Doctor; ex Heylessemensi *VValterus Vuathar*, S. Th. B. Qui que hîc erudiuntur & formantur, plerique etiam titulis insigniuntur Academicis, hinc Curis præficiendi Animarum. Illud memorabile est, ex solo Conventu Antverpiensi Lovanij an. CIↃ. IↃC. XLV. promotos fuisse ad gradum Licentiæ uno eodemque die quinque numero; item an. CIↃ. IↃC. XLVII. ex solo Tongerloënsi sex.

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI. Anno CIↃ. IↃC. XVIII. Kalen. Novembris prima initia accepit, procurantibus ANTONIO VAN BERGHIM & IOANNE PETERSEMIO, illo Cœnobij Viridis Vallis, hoc Bethlеëmitici juxta Lovanium Priore, pro sui Ordinis ac Capituli Windesemensis Religiosis.

ALNENSE. Auspicijs Reverendi adm. D. EDMUNDI DE IOUVENT, Abbatis Alnensis, Ord. Cisterciensis, an. CIↃ. IↃC. XXIX. ejusdem Cœnobij Religiosis, S. Th. Studiosis, dedicatum fuit.

FLOREFFIENSE. Pro sui Cœnobij Religiosis fundavit ac dotavit R. adm. D. IOANNES ROBERTI, Abbas Floreffiensis, Supprior Generalis Ordinis.

MINIMORUM S. FRANCISCI DE PAULA. Fundatrix ac dotatrix est Collegij hujus D. ERNESTINA DE LIGNE, vidua Excell.mi IOANNIS Comitis de Nassou, Principis Rotnacensis, Equitis Velleris aurei &c. anno CIↃ. IↃC. XXXIX. VI. Eid. Febr.

BOGGARDORUM, sive BEGGARDORUM. Collegium hoc seu Seminarium pro sui Ordinis Studentibus fundarunt ejusdem Ord. Patres Capituli Zepperensis, admissum ab Universitate anno CIↃ. IↃC. XL. mensis Augusti die XXVII. sub certis legibus & conditionibus, quas ijdem Patres approbarunt an. CIↃ. IↃC. XLI. prid. Eid. Ianuarij.

SYLLOGE

SYLLOGE
RERVM ALIQVOT MEMORABILIVM
in & ab Vniversitate LOVANIENSI gestarum.

PRopositum erat ab initio suscepti operis, Annales quosdam Academicos texere, in eosq; referre quid quoquo anno & die memorabile in Academia, & ab Academicis vel alijs, gestum esset: verùm cùm pleraque superiùs suis locis & per singulas Facultates obiter, & quantum satis est, disposita & memorata sint, visum fuit supersedere isti labori, & ea tantùm hîc, auctarij cuiusdam loco, subijcere, quæ alibi non ita commodè locum sortiri potuerunt, quæq; publicè extare & legi etiam Academiæ interfuerit; ut quæ de Concilio Basileensi, deq; Academicis in eo delegatis, ex Actis Vniversitatis frustillatim collegi. Nam alia pleraque, ut minutiora & quæ regimen Academiæ, directionemq; Scholarium potissimùm spectant, visa fuerunt non huius esse loci. Deinde & coarctari præsens opus debuit, ne plus iusto excresceret.

ANNO à Nativitate Dom. CIↃ.CCCC.XXVII. XV. Kal. Maij Fundator Academiæ IOANNES IV. Brabantiæ ac Limburgi Dux, sacrique Imperij Marchio, nec-non Hanoniæ, Hollandiæ ac Zelandiæ Comes, Dominus Frisiæ, vitâ excessit, anno ætatis vicesimo-quarto, sepultus Furæ.

Anno CIↃ.CCCC.XXIX. quia Leodienses obstabant, ne qui in Academia Lovaniensi studentes fructus & reditus præbendarum suarum integros perciperent, *Nicolaus Prumius* & *Henricus ab Hougardia*, Doctores, Leodium profecti, Bullas Martini V. Pont. quæ id assentirent, commonstrârunt. Verùm cum Leodiensibus nihil conveniri potuit, Episcopus Romam appellat, Præsides Academiæ obsistentes, exequentesque in Canonicos Leodienses sententiam Bullæ Pontificiæ, excommunicatione percutit. *Pet. Divæus Rer. Brabant. lib.* XIX.

De Concilio Basileensi

ANNO CIↃ. CCCC. XXXII. prid. Kal. Ianuarij, *Hugo de Argentina*, S. Theol. Prof. ex parte Concilij Basileensis missus ad Vniversitatem Lovaniensem, exhibet litteras dicti Concilij: quibus cum reverentia acceptis, & publicè lectis, eadem Vniversitas reddidit gratias Reverendissimo in Christo Patri IVLIANO, S. Angeli Diacono Card. Concilij Præsidenti, totique Concilio.

Anno CIↃ. CCCC. XXXIII. prid. Idus Martij Vniversitas è gremio suo deputat Ambasiatores sive Legatos & Syndicos ad dictum Concilium, *Nicolaum de Midy*, S. Th. Prof. *Henricum Retheri*, Legum Doct. & Prof. & *Ioannem Flamingi*, I. V. Baccal. sub certis oneribus & instructionibus &c. in quæ & jurarunt die XX. Maij, in plena Congregatione ad hoc specialiter indicta, prout sequitur.

I. Quòd fideliter exercerent officium eorum, ad quod per Vniversitatem essent deputati, ad bonum & honorem dictæ Vniversitatis.

II. Quòd prætextu cujuscumque juramenti priùs facti, præstiti, sive præstandi, cuicumque sive spirituali sive sæculari Domino, aut Communitati aut Vniversitati, nihil attentarent, quod vergere posset in præjudicium aliquod aut damnum dictæ Vniversitatis, aut suorum privilegiorum.

III. Quòd nihil quoque attentarent in præjudicium particulare alicujus Facultatis: neque etiam pro privata sua utilitate, in præjudicium ejusdem Vniversitatis, aut alicujus Facultatis.

Anno CIↃ. CCCC. XXXIV. XIV. Kal. Aprilis, Vniversitas alijs tribus adjunxit quartum, ut Syndicum, procuratorem & Ambasiatorem, M. *Henricum Scatter*, Artium & Med. Doct. sub ijsdem oneribus, instructionibus &c.

Eodem anno prid. Id. Iunij, Vniversitas, annuendo & parendo mandatis D. Ducis Brabantiæ, revocavit & annullavit prædictam suam Legationem ad Conc. Basileense, & per instrumentum (cujus lator & executor nominator *Gulielmus Nepotis*, Promotor Vnivers.) decrevit revocationem hujusmodi esse intimandam delegatis ipsius Academiæ. Reversique è Concilio *Nicolaus de Midy* & *Ioannes Flamingi* retulit uterque de his, quæ gesserant in dicto Concilio: hic quidem die XXI. Octob. ille verò prid. Kal. Novemb. Et rata grataque ea habuit Vniversitas.

Anno CIↃ. CCCC. XXXV. V. Idus Martij, receptis litteris à prædicto Concilio Basil. ijsque coram Vniversitate lectis, placuit illarum

illarum tenorem insinuare D. *Ioanni Bont*, I. V. Doct. Cancellario Brabantiæ: à quo responsum, sub hac ferè verborum formâ, accepit, *illud scil quod factum esset quoad revocationem Ambasiatæ seu Legationis Universitatis, fuisse de expressa mente & voluntate D. Ducis Brab. seq; super eo pridem scripsisse certas litteras Legatis dicti D. Ducis; credens per hoc sufficienter fore excusatam Vniversitatem, offerensq; nihilominus alias scribere litteras excusatorias, si ita Vniversitati placeret.*

Eodem anno III. Id. Octob. comparuit Lovanij R. P. Abbas Virgiliensis, & intimavit D. Rectori certum mandatum sibi commissum, unà cum litteris credentiæ, ex parte dicti Concilij Basil. vi cujus monerentur juberenturque Prælati quicumque properare ad idem Concilium, idque sub pœnis mandato contentis. Admonens etiam D. Rectorem, ut hoc ipsum proponeret Vniversitati, eamque induceret, quatenus & illa eò suos destinaret Oratores, nullam tamen pœnam arbitrariam adijciendo. Verùm Vniversitas tunc ex caussa suspendit judicium & resolutionem suam. Missusque demùm an. CIↃ. CCCC. XXXVIII. Basileam M. *Ioannes Flamingi* rogatus fuit, ut apud Concilium super præmissis excusaret Vniversitatem.

Eodem an. CIↃ. CCCC. XXXVII. prid. Kalen. Ianuarij lecta fuit Bulla *Eugenij*. Pont. ad Vniversitatem Lovaniensem directa: quam eadem Vniversitas cum omni reverentia, obedientia, & humilitate recepit, gratias agens Sanctissimo D. N. quòd ita gratiosè filiæ suæ Vniversitati scripsisset; datis tabellario litteris certificatorijs de Bulla Pontificia rectè ac fideliter tradita.

Rursus an. CIↃ. CCCC. XXXVIII. die XXV. Aprilis, lecta fuit Bulla à præfato Conc. Basil. ad Vniversitatem, cum duobus Decretis ei inclusis, missa. Eodemque anno die XIV. Septemb. Vniversitas decrevit dandas litteras apertas, sub sigillo D. Rectoris, Rev.do P. D. *Ludovico de Roma*, alijsque dicti Concilij Legatis, si & in quantum ipse quoque D. Dux mitteret.

Denique an. CIↃ. CCCC. XLVIII. III. Non. Iulij, D. *Henricus Caltyser*, S. Theol. Prof. Magister Palatij Apostolici, nomine & ex parte Sanctiss. *D. Nicolai* Papæ V. exposuit Vniversitati mandata seu placita præfati D. Apostolici circa futuram reformationem universalis Christianismi in fide, doctrina, & Catholicis moribus. Vniversitas autem per organum *Heimerici de Campo*, tunc Rectoris, egit in primis gratias SS. D. N. Apostolico, quòd dignatus fuerit suæ devotæ filiæ inter mille sollicitudines recordari, & tam celebrem negotiorum promotorem suæq; Sanctitatis Oratorem mittere.

Deinde-

Deinde declaravit se suscipere benevolè doctrinam, quam idem Pater proposuit circa modum intelligendi indulgentias Apostolicas, in forma plenariæ peccatorum remissionis concedi solitas. Declaravit postremò, quòd se semper concorditer habuit, habet, & deinceps inviolabiliter habere proponit, circa obedientiam Sedis Apostolicæ, respectu dicti *D. Nicolai* Papæ, ejusque prædecessoris *Eugenij IV.* firmitatem, nullâ oppositâ contradicentium sibi aliàs à Concilio Basil. solemniter missorum persuasione averti possibilem. & ita invincibiliter per sua scripta & opportuna dicta, ac sana dogmata constanter defensam & defendendam.

Formula cessus publici.

CEssus publicus sive cessatio à Lectionibus, cæterisque Actibus Scholasticis, olim indici solet, quando Vniversitas se in suis membris, aliásve læsam querebatur. Hodie extra usum est modus seu usus hujusmodi cessus seu cessationis. Formula autem erat talis, ut observare est ex Actis Vnivers. ad an. 1433. 6. Iunij, & alibi.

Nos Rector & Vniversitas Study Lovaniensis, notum facimus omnibus & singulis præsentes litteras inspecturis, quòd, quia propter certa statuta facta per opidum Lovaniense & publicationem certarum ordinationum eiusdem exinde secutas, dicta Vniversitas in se & suis Suppositis graviter læsa est, quantum ad privilegia, libertates & honorem ipsius & suorum Suppositorum; quæ quidem gravamina propter publicam famam & divulgationem sine maximo nostro opprobrio & præiudicio dißimulare non possumus: Idcirco mandamus omnibus Doctoribus, Licentiatis &c. ut çessent ab omnibus Actibus Scholasticis, publicis & privatis &c. Ad eumdem effectum solet jam olim indici & haberi congregatio generalis omnium & singulorum Prælatorum, Nobilium, Canonicorum & notabilium personarum, etiam de Concilio Vniversitatis non existentium, infraque & extra Lovanium commorantium. Et nominatim talis indicta & habita fuit an. CIↃ. CCCC.LV. die XXIII. Decemb. cui etiam interfuerunt D. & *M. Gosvuinus N.* Cancellarius Brab. & *Nicolaus Cloppel*, Consiliarius, tamquam mediatores & amicabiles compositores inter Vniversitatem & opidum Lovaniense.

Anno CIↃ. CCCC. XXXV. die IX. mensis Iulij placuit Vniversitati per D. Rectorem, cum Doctoribus, cæterisque de Concilio ejusdem iri processionaliter obviam *Bessarioni* S. R. E. Card. Nicæno, salutando

tando per organum *M. Heimerici de Campo*, S.Th.Doct.& Prof. Et ad requisitionem dicti D. Card.celebrari Processionem solemnem ex Ecclesia D. Petri ad S. Iacobum,cum Concione habenda ibidem ad populum. Similes Processiones Supplicationesque etiam aliàs decretæ & habitæ sunt, ut anno CIↃ. CCCC. XLVIII. die XXVIII. Apr. pro unione Ecclesiæ, *Nicolao V.* electo Pont. & an. CIↃ. CCCC. LIX. die IX. Apr. recepto Brevi Apostolico de electione *Calixti* III.

Anno CIↃ.CCCC.XXXVI. *Philippo Bono*,Duce Burgundiæ Brabantiæque hæreditarias *Iacobæ Bavaræ* consobrinæ suæ Provincias, Comitatus scilicet Hannoniæ,Hollandiæ Zelandiæque, ac Frisiæ, Transisalaniæ & Groningæ Dominia, adeunte, Vniversitas eodem anno die XXIII. Iunij pro prospero ejusdem Principis sui successu decrevit Missas tres solemnes celebrandas, ad easque vocandos esse omnes per Edictum publicum, cum insertione caussæ.

De Propositionibus quibusdam non benè sonantibus in auribus audientium disputatis in Facultate Artium.

ANNO CIↃ.CCCC.XLVII. die VIII. Febr. Rector & Deputati Vniversitatis super materia hujusmodi Propositionum deliberando concluserunt & statuerunt ea, quæ sequuntur; quibus etiam conformiter statutum quoddam edidit eadem Artium Facultas.

In primis, disputationem de potentia divina, & alijs Theologicalibus, relinquendam esse Facultati S. Theologiæ.

Secundò, quia juxta sententiam Philosophi sermones expetendi sunt secundùm subjectam materiam, judicandum esse in scholis Philosophiæ possibile vel impossibile, necessarium vel contingens, secundùm causas propinquas, non quatenus captivandus sit intellectus in obsequium fidei.

Tertiò, abstinendum nedum à doctrina falsa, sed etiam ab offensiva & suspecta, sive in fide, sive in moribus, sive in Philosophia.

Quartò,attento statu novelli Studij & Scholarium dictæ Facultatis Artium, qui ex quo juvenes sunt, varijs doctrinis facilè possent abduci, visum est ijsdem Deputatis expedire,ut Propositiones,quæ dicunt,

Quòd contingat dare corpus informatum per animam rationalem, homine non existente;

Quòd absolutè loquendo possibile sit, unam animam intellectivam numero

omnia corpora humana informare, stante multitudine hominum, ut nunc.

Quòd poßit unus homo totus esse in Anglia, omnibus suis partibus exeuntibus in Roma, & non in Anglia, totusq; moveri ab Anglia ad Romam, partibus aquè venientibus à Roma ad Angliam simul & semel pro eodem tempore;

Quòd relativum poßit esse sine correlativo;

Quòd determinatè altera pars contradictionis in futuris contingentibus sit vera & altera falsa, sicut in præsentibus & præteritis, unde etiam oppositum huius conclusionis non stat cum fide;

Quòd sit similiter poßibile, duo contraria secundùm esse eorum intensißimum esse in eodem subiecto simul;

Quòd idem accidens numero poßit simul & semel esse in diversis subiectis non continuis, & alicubi, ubi nullum suorum subiectorum est, nullâ separatione factâ ab ipsis;

Quòd in quolibet continuo detur punctum immediatum puncto;

Quòd poßibile sit intelligere lineam, quæ est unius pedis tantùm, nec habere initium, nec finem;

Quòd contingat dare veram speciem realiter exeuntem sine genere;

Quòd unum ens positivum extra animam sit nihil; & similes, vel minùs opinabiles, disputatæ vel disputari possibiles, non debeant doctrinari, & desuper fiat statutum in eadem Venerabili Facultate Artium. Vt verò quæ dicunt,

Quòd absolutè poßibile sit, ut una anima intellectiva numero omnia corpora humana poßit informare, stante multitudine hominum, ut nunc;

Quòd totum poßit esse in Anglia, partibus non exeuntibus ibidem;

Quod in futuris contingentibus determinatè altera pars contradictionis sit vera & altera falsa, sicut in præsentibus & præteritis, ita quod oppositum huius conclusionis non stet cum fide; & similes, vel magis periculosæ, sileantur omninò: horum omnium declaratione & interpretatione in dubijs, si suboriri contigerit, reservatâ Vniversitati vel Deputatis; ita ut apud eamdem remaneat potestas, quando sibi placebit, addendi, subtrahendi, interpretandi & declarandi, prout rei exigentiæ & temporum varietati videbitur expedire.

Statutum de moribus & vestitu Scholarium.

ANNO CIↃ. CCCC. L. die XXIII. Ianuarij placuit publicari novum Statutum circa modum à Doctoribus, Magistris, Scholaribus, deinceps observandum in moribus, & præcipuè in vestibus. Iubentur

bentur autem omnes incedere togati, nullique licet *visitare Congregationes, Missam solemnem, Processionem, Actum publicum Vniversitatis, vel cuiuscumque Facultatis, nisi in vestibus decentibus & longis, ad minùs usque ad calceum protensis.* Lectionibus autem nemini interesse permittitur, *nisi superior vestis circa calceos, id est ad minùs unam palmam propè extensa &c.* Item permittitur, *ut iuvenes Scholares, dum aliquem viderint à prædictis moribus barbarizando deviare, clamare possint more Parisiensi*, Barbara, Barbara. &c. Exhortando postremò omnes notabiles, & præcipuè graduatos, *ut ubicumque & semper incedant in vestitu longo & decenti, & saltem in solemnibus Actibus, Congregationibus, Missis & Processionibus incedant discincti.* Exhortando item omnes in generali, *ut abstineant ab omnibus laicalibus negotiis, quæ statum dedecent clericalem, nec imitentur laicos in ritu & observantia morum, aut in ceremoniis indumentorum, utputa caputiorum cum inclusis rotulis, calceorum cum rostris, aut tunicarum cum manicis alatis, & sic de aliis superfluitatibus, quæ de die in diem excogitantur & innovantur.* Idem statutum fuit renovatum & publicatum, cùm anno CIↃ. CCCC. LV. die V. Ianuarii, tum aliàs non semel. Verùm ut hodie sunt tempora, alii quoque mores maximè circa usum & lasciviam vestium passim irrepserunt & invaluerunt. Tantùm in Collegiis aliquot ex Fundatorum voluntate & ordinatione Scholares bursales iubentur incedere togati & talari veste induti.

De Articulis seu Propositionibus quibusdam controversis super materia futurorum contingentium &c.

ANNO CIↃ. CCCC. LXX. ortâ controversiâ inter venerabiles & discretos viros *M. Henricum de Zomeren*, Artium Magistrum & S. Th. Prof. eique adjunctum *M. Iacobum Schelwaert*, similiter S. Th. Prof. & alios nonnullos etiam S. Th. Magistros, ex una, & *M. Petrum de Rivo*, S. Th. Licent. parte ex altera, occasione certarum Propositionum de futuris contingentibus, de Dei præscientia ac prævolitione, quas in publicis Actibus ac Disputationibus dictus *M. Henricus* asserebat, non sine maximo scandalo & piarum aurium offensione, contraque Catholicæ veritatis doctrinam, à *M. Petro* fuisse in medium prolatas, probatas & defensas; eodem *M. Petro* è contrà contendente & sustinente, nihil umquam à se tale quid propositum, defensumque, quod piarum aurium fuisset essetve offensivum, aut fidei Catholicæ contrarium: partibusque hinc inde persistentibus, & præsertim

M. Petro instante, placuit Mag. D. Rectori & Vniversitati super hujusmodi famâ & rumore, nec-non & assertis Propositionibus, tam in genere quàm in specie, per ejusdem Vniversitatis Syndicum institui & fieri inquisitionem. Eodemque Syndico instante dictus *M. Henricus* exhibuit in scriptis articulos XXV. quos ipse à præfato *M. Petro* publicè in Actibus Scholasticis, ut præmittitur, propositos defensosque asserebat, tenoris sequentis.

Articuli respicientes veritatem propositionum de futuro contingenti.

1. *Non est verum dicere, quòd mortui resurgent, quòd Christus iudicabit mundum, vel quòd finale iudicium erit.*
2. *Non est verum, quod Christus dixit Petro*, Hac nocte ter me negabis.
3. *Iam non est verum dicere, quod Antichristus erit, aut iudicium erit, quia esset inevitabiliter verum.*

Articuli additionales de eadem materia.

4. *Credo omnes articulos positos in Symbolo fidei & in Symbolo Athanasij, non solùm qui sunt de præsenti & præterito, sed etiam qui sunt de futuro; sed dico eos non esse veros.*
5. *Dicit Athanasius*, Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque firmiter fideliterque crediderit, salvus esse non poterit. *Et ego firmiter & fideliter eam credo: non tamen dicit Athanasius, quam nisi quisque firmiter fideliterq; crediderit esse veram.*
6. *Ista propositiones*, mortui resurgent, Christus veniet ad judicium, *& similes, non sunt veræ aut falsæ, sed neutræ, sed verificandæ & exspectantes suam veritatem.*
7. *In toto illo Quodlibeto neque in sequenti responsione auditus est dicere, tales propositiones positas in Canone esse veras veritate increatâ.*

Articuli respicientes veritatem propositionum de futuro contingenti in generali.

8. *Istæ propositiones*, Verè futurum possibile est non fore, Rem verè futuram possibile est non evenire, *sunt falsæ tam in sensu composito quàm diviso.*
9. *Et ista*, Quod est verè futurum, necesse est esse futurum, Rem verè

futuram

futuram non est possibile non fore, Verè futurum necessariò eveniet, *sunt in utroque sensu vera.*

10. *Quod est verè futurum est inevitabile, & per nullam potentiam potest impediri.*

11. *Nulla enuntiatio de futuro ante positionem rei in esse est vera vel falsa, sed neutra; sicut nec catulus ante nonum diem est cacus vel videns.*

12. *Si propositio de futuro contingenti esset vera ante positionem rei in esse, ipsa esset inevitabiliter vera, & per nullam potentiam posset impediri, quin esset vera.*

13. *Aristoteles demonstrat, & evidenter ostendit, quòd huiusmodi propositiones nec sunt vera nec falsa.*

14. *Omnis propositio, qua est de prasenti vera, est inevitabiliter vera: & quando ista est vera,* Paries est albus, *per nullam potentiam realem & physicam potest fieri, quòd paries non sit albus.*

Articuli respicientes Dei præscientiam.

15. *Prascientia Dei de futuris non necessariò infert effectum futurum, quia non pracedit*

16. *Scientia Dei de futura negatione Petri illam negationem non pracessit.*

17. *Deus non habet prascientiam, ut pranotat antecessionem, quia scientia Dei non antecedit res, nec scientia in eo propriè dicitur prascientia aut pravidentia, sed providentia.*

18. *Nihil pracedit eventum rei, quod necessariò seu penes necessariam consequentiam ipsum inferat.*

Articuli respicientes Dei prævolitionem.

19. *In Deo non est desiderium, quia respectu Dei nihil est futurum, & per consequens in Deo non est volitio respectu futuri.*

20. *In Deo non est nisi complacentia, quia omnia alia sunt ei indistantia & prasentia.*

21. *Deus non habet ab aterno aliquem actum productivum alicuius ad extra, sed illum tunc solùm habet, quando actu producit ad extra.*

22. *Ante productionem rei Deus est indeterminatus ad producendum, quia in eo non est aliqua volitio pracedens productionem, quâ ab aterno fuerat determinatus ad producendum.*

23. *Et si esset aliqua talis volitio pracedens productionem rei, omnia necessariò evenirent, quia illa esset necesse esse, & sic insolubilia essent argumenta Philosophorum, quibus probant omnia de necessitate evenire.*

Articuli Extraordinarij.

24. *Ista propositio*, Nullus salvandus est damnatus, *potest esse falsa, & quandoque de facto fuit falsa, quia Traianus fuit damnatus, & tamen tunc erat salvandus.*

25. *Quòd nulli alteri à Papa vel Ecclesia licet determinare aliquid esse hæresim, & si qui alij id facerent, etiam Episcopus, incurrerent crimen læsæ maiestatis. Si enim quilibet Episcopus posset hoc facere, solveretur unitas fidei, quia quod unus prædicaret alter hæreticaret, & eveniret illud verbum Apostoli,* Ego quidem sum Pauli &c.

Ipse verò M. *Petrus de Rivo* ad prædictos articulos sibi in judicio exhibitos respondit singulatim & ordine; præmissâ tamen repetitâ identidem protestatione de submittendo se & suas responsiones omnes correctioni sanctæ Sedis Apostolicæ, matrisque suæ Facultatis S. Theol. Et quidem plerisque articulis accommodando hanc suam responsionem, omnes scilicet propositiones fidei de futuro contingenti esse veras, tum veritate primâ & increatâ, tum veritate dicentis seu revelantis, tum veritate fideliter exspectatâ, non etiam veritate Aristotelicâ, prout latiùs ibidem ad tres priores articulos declaravit. Modò etiam dicit credere se locutum fuisse de eo, quod verum est futurum veritate temporaliter & per lineam successionis mediam, præcedente eventum futurorum contingentium, quæ scilicet actu inhærent nunc existenti, ut ad artic. 8. 9. 10. & ad artic. 15. 16. 17 18: modò de propositionibus de futuro contingenti in generali, nec-non de veritate & falsitate propositionum Aristotelicè, ut ad art. 11. 12. & 13. &c.

Tenor Sententiæ.

Quibus quidem responsionibus, protestationibus & submissionibus præfati M. *Petri*, de quibus suprà & in actis fit mentio, testibusque etiam numero 36. vel circiter, ex insignioribus dictæ Vniversitatis viris, non suspectis, & è domo vel familia ejusdem M. P. minimè adsumptis, & ultra illos sacræ Th. quibusdam Magistris, juramento ab ipsis solemniter priùs præstito, singulatim auditis, præmisso etiam publico citationis edicto ad Ecclesiarum valvas, ubi nostra consueverunt edicta affigi & publicari, ad accusandum, denuntiandum, vel coram nobis deferendum personas quascumque, quæ à quadriennio citra & ultra prædictas Propositiones in opido Lovaniensi dogmatizassent; vocatis

vocatis etiam omnibus & singulis, quorum interesse potest, ac prædicto *M. Henrico*, & omnibus, qui ad dictam præsentem inquisitionem & indaginem potuerunt facere & debuerunt, adhibitis articulis præmissis. nec - non responsionibus ad eosdem, testium dictis & attestationibus eorumdem, nec - non dictis Doctorum Catholicorum coram nobis per ipsum *M. P. de Rivo* exhibitis, videl. *S. Augustini*, *S. Thomæ*, *D. Petri de Candia* Papæ Alexandri V. *Petri Aureoli* Card. & suorum sequacium, *Hugonis de S. Victore*, *Glossæ super Apocal. Boëtii in libro de Consolatione*, *Anselmi*, *Alberti Magni*, *Nicolai de Lira* &c. diligenter inspectis, tam ad Syndici præmissi quàm etiam præfati *M. Petri* petitionem, maturâ cum Iurisperitis dictæ Vniversitatis deliberatione præcedente, CHRISTI nomine invocato, pro tribunali sedentes, per hanc nostram sententiam dicimus, declaramus & pronuntiamus, præfatum nostrum & Vniversitatis prædictæ Syndicum minimè in toto vel in parte probasse, præfatum *M. Petrum de Rivo* omnes supra memoratas propositiones, vel earum aliquam, simul vel successivè, locis & temporibus in actis designatis, nudas & crudas seu simplices & absque aliorum verborum cohærentia, & secundùm earum formales & veros tenores, & secundùm quod per prædictum *M. Henricum de Zomeren* traditæ & in medium exhibitæ fuerunt in contrarium responsionum ad dictas propositiones factarum, enuntiasse, protulisse vel dogmatizasse, sed juxta testium desuper auditorum dicta & attestationes eorumdem, nec - non illorum, de quibus suprà fit mentio, Doctorum Catholicorum in suis scriptis repertas doctrinas, præfatum *M. Petrum* dicimus & pronuntiamus ac declaramus illud vel illa vivâ voce in Actibus scholasticis enuntiasse, protulisse vel dogmatizasse, quod vel quæ idem *M. Petrus* in scripta quadam scedula articulos exhibitos cum suis responsionibus continente exhibuit, quam suprà in actis præsentibus de verbo ad verbum, ad majorem rei firmitatem, duximus incorporandam. Quapropter per hanc nostram sententiam dicimus, declaramus & pronuntiamus, præfatum *M. Petrum* falsò & minùs debitè diffamatum, præfato Syndico silentium imponentes. Eidem nihilominus Syndico actionem suam reservantes, quam de jure contra eum vel eos, cujus vel quorum facto dicta Vniversitas in Romana Curia vel alibi, extitit diffamata & in honore suo mutilata, ac etiam similem præfato *M. Petro* contra quemlibet, si quam habeat, vel habere poterit, injuriatorem, criminatorem, actionem reservantes. Ad cautelam & ex super abundanti juramentum per eumdem *M. Petrum* oblatum super præmissis sibi impositis recipientes, prout & recipimus, &

ab

ab ejusdem Syndici petitione penitus absolventes, ac ejusdem *M. Petri*, juxta suam oblationem & submissionem, Propositiones suprà dictas & qualificationes earumdem, an scilicet sint Catholicæ & approbandæ, vel erroneæ aut offensivæ, aut aliàs quomodolibet refellendæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac Facultati Theologiæ in dicta Vniversitate discutiendas & judicandas relinquentes. Expensas hinc inde factas ex certis causis animum nostrum ad hoc moventibus compensantes.

Lecta, lata & pronuntiata fuit prædicta sententia per Rev. Dom. Rectorem & judicem ordinarium omnium suppositorum & studentium almæ Vniversitatis Studij Lovaniensis, Leodiensis diœcesis, eo pro tribunali in domo suæ inhabitationis, ad jura reddendum & caussas audiendum, sedente, præsentibus dictis *M. Petro Bode*, Promotore & Syndico dictæ Vniversitatis, ex una, nec-non *M. Petro de Rivo* ex altera, partibus comparentibus. Super quibus omnibus & singulis idem *M. Petrus de Rivo* à nobis Notarijs subscriptis sibi fieri atque confici petijt unum vel plura, publicum seu publica, instrumenta. Acta fuerunt hæc Lovanij in loco prædicto, anno à Nativitate Domini millesimo, quadringentesimo, septuagesimo, mensis Iulij die decimâ, horâ vesperarum, vel circiter, præsentibus ibidem Venerabilibus viris, Dominis ac Magistiris, *Ioanne Gronsselt*, Legum, *Roberto de Lacu*, utriusque Iuris, *Ioanne de Vuellis*, Medicinæ, Doctoribus, ac pluribus alijs testibus fide dignis ad præmissa testificandum vocatis specialiter & rogatis.

Ab hac Vniversitatis sententia per *M. Henricum de Zomeren* provocatum fuit ad Sedem Apostolicam, Romamque ipse profectus sententiam obtinuit revocatoriam & cassatoriam sententiæ per Rectorem & Vniversitatem latæ: qua de re extat & Instrumentum revocationis, cassationis, & annullationis per dictum *Petrum de Rivo* Romæ coram Commissario Apostolico factæ, tenoris sequentis.

In nomine Domini Amen. Noverint universi & singuli, præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum inspecturi, visuri, & legi audituri, quòd ortâ lite & causâ, ex commissione Apostolica coram nobis *Dominico*, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopo Brixiensi, Sanctiss. in Christo P. & D. N. *Sixti* divinâ providentiâ Papæ IV. in alma Vrbe, ejusque districtu, in spiritualibus Vicario generali, Iudice & Commissario inter providum virum *M. Antonium de Eugubio*, dicti D. N. Papæ, Cameræque Apostolicæ & S. R. E. ac Fidei Catholicæ Procuratorem fiscalem, ex una, & venerabilem virum

M. Petrum

M. Petrum de Rivo, in Artibus M. & in sacra Theol. Licentiatum, de & super quibusdam Propositionibus respicientibus præscientiam & prævolitionem Dei, ac veritatem propositionum Fidei de futuro specialiter, *Quod non est verum dicere modò, quod mortui resurgent; quod generale iudicium erit, quòd Deus non est præscius futurorum; quòd Deus non vult res, priusquam producantur*; ac alijs materijs, & rebus, latiùs in commissionibus nobis factis, & actis coram nobis habitis, factis, productis & agitatis, contentis, declaratis & specificatis, parte ex alia: Nos verò in caussa & caussis hujusmodi, in & ad Romanam Curiam legitimè devolutis & introductis, inter partes prædictas ritè procedentes, & pluries cum quàm pluribus Doctoribus & Magistris, in sacra Theologia Professoribus, de meritis hujus caussæ & dogmatibus, & contentis in quibusdam tractatibus dicti *D. Petri* de futuris contingentibus apud acta caussæ productis, consulentes, & ulteriùs ad observationem omnium terminorum substantialium in caussis similibus servari solitorum procedentes: tandem, die & horâ infrascriptis, constitutus coram nobis, in præsentia testium infrascriptorum, supradictus M. *Petrus de Rivo*, qui pluries & pluries expeditionem hujus caussæ petijt, & etiam quæsivit, Nos tunc auctoritate Apostolicâ nobis commissa, & etiam mandato D. N. Papæ nobis desuper facto, eumdem M. Petrum sic coram nobis, ut præmittitur, constitutum, an submitteret se & dicta sua in hac caussa correctioni, determinationi & judicio D. N. Papæ & Sedis Apostolicæ, interrogavimus. Qui *Petrus de Rivo*, quoniam Sedi Apostolicæ in hujusmodi caussa semper se submisit, quòd adhuc se submittebat, dixit atque respondit. Et illico tunc eidem *M. Petro*, quatenus nonnullas Propositiones & particulas, in dictis suis tractatibus apud acta caussæ productis contentas & designatas, & quas nos eidem *M. Petro de Rivo* præsenti & audienti de verbo ad verbum prælegimus, revocaret, cassaret & annullaret, auctoritate Apostolicâ nobis in hac parte commissâ, ac etiam consilio nonnullorum Magistrorum in Theologia priùs nobis desuper communicato, mandavimus & injunximus. Qui tunc *M. Petrus*, volens illas Propositiones, & particulas hujusmodi sibi prælectas scire, & quæ & quales essent meliùs videre & inspicere, illas ex dictis tractatibus extrahi & describi voluit atque postulavit. Quibus quidem Propositionibus, & particulis per nos extractis & descriptis, quamdam papiri scedulam, in qua dictæ Propositiones descriptæ & designatæ erant, dicto *M. Petro* dedimus atque porreximus, injungentes eidem, quòd faceret, ut in ipsa scedula contineretur. Qui tunc *M. Petrus de Rivo* dictam scedulam ad manus suas

recipiens, ut obedientiæ filius, revocavit, cassavit & annullavit hujusmodi Propositiones & particulas, & dixit & confessus fuit, prout & quemadmodum in hujusmodi scedula, quam ipse de verbo ad verbum perlegit, & manu suâ propriâ subscripsit, pleniùs continetur & habetur; cujus quidem scedulæ tenor sequitur, & est talis.

Ego PETRVS DE RIVO, Presbyter, Leodiensis diœcesis, Magister in Artibus, & Licentiatus in Theol. *quoniam edidi nonnullos tractatus in materia futurorum contingentium, in quibus posui aliquas Propositiones, quas tunc putabam esse veras, postea nihilominus, habitâ super illis longâ discussione atque examine, reperta sunt secundùm sensum, quem faciunt, malè sonantes, scandalosa & piarum aurium offensiva; quod ego etiam meliùs considerans ita esse agnosco atque profiteor: omnes & singulas huiusmodi Propositiones revoco, casso & annullo, atque pro non dictis & dogmatizatis habeo. Propositiones autem prædicta sunt, quæ sequuntur.* Elizabeth, *Lucæ*, 1. cùm loquitur beatæ Mariæ Virgini, dicens, *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*, innuere videtur, illas propositiones, scilicet, *Paries filium & vocabis nomen eius Iesum, Hic erit magnus &c.* nondum habere veritatem. *Item, Lucæ ult.* Christus post resurrectionem, dicens, *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*, videtur innuisse, quòd tales propositiones vacuæ erant veritate. *Item, ad Hebr.* 10. ubi Apostolus inquit, *Vmbram habens lex futurorum bonorum, & non ipsam imaginem rerum*, innuere videtur, quòd propositiones veteris legis, quæ erant de futuro, nondum habebant determinatam veritatem. *Item*, Quòd non sufficit ad veritatem propositionis de futuro, quòd res erit, sed requiritur, quòd inimpedibiliter erit. *Item*, Necesse est dicere alterum duorum, aut quòd in articulis fidei de futuro non est præsens & actualis veritas, aut quòd significatum eorum per potentiam divinam non poterit impediri. *Istas autem & alias quascumque similes & in eamdem sententiam concurrentes revoco, ut præmissum est, casso atque annullo, & contradictorias earum confiteor & teneo, & tenere semper intendo. In cuius rei testimonium præsentem revocationem, cassationem & annullationem, confessionis & professionis meæ scedulam manu propriâ subscripsi, in præsentia Reverendiss. P. &* D. Dominici *Episcopi Brixiensis &c.* M. Fernandi de Corduba, *Subdiaconi Apostolici*, M. Francisci de Toleto, *Datarij Domini nostri, Magistrorum in Theologia*; M. Ioachim de Lerma, M. Baptistæ Brenden, *Advocatorum Consistorialium*; Bartholomæi de Stabia, Antonij Canacia, *Decret. Doctorum, & plurimorum aliorum testium. Quæ quidem scedula de manu dicti* M. Petri de Rivo *sic reperiebatur subscripta. Ita est,* Petrus de Rivo, In quorum omnium

& sin-

& singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes litteras sive præsens publicum instrumentum, hujusmodi revocationem, cassationem & annullationem in se continentes sive continens, exinde fieri & per Notarium publicum, nostrumque & hujusmodi caussæ coram nobis Scribam infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum Romæ in domo nostræ solitæ residentiæ, nobis inibi horâ tertiâ vel circa in quodam banco per nos electo sedentibus, sub anno à Nativitate Domini millesimo, quadringentesimo, septuagesimo-tertio, indictione sexta, die verò Iovis decima-octava mensis Martij, Pontificatus præfati Domini nostri Papæ anno secundo, præsentibus ibidem supradictis Dominis & Magistris ad hæc rogatis specialiter & vocatis.

Et ego Arnoldus Bolay, Clericus Leodiensis diœcesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, præfatique Reverendi Patris D. Dominici Episcopi, Vicarij, Iudicis & Commissarij, ac hujusmodi caussæ coram eo Scriba, quia prædictis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco hoc præsens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis unà cum dicti Dom. Episcopi, Vicarij, Iudicis & Commissarij sigilli appensione, signavi rogatus & requisitus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Revocatione, cassatione atque annullatione ita, ut præmittitur, factâ, idem *Petrus de Rivo* reversus est Lovanium, unà cum Brevi Apostolico, ad Rectorem & Vniversitatem directo, quo innocens pronuntiatur idem *de Rivo*. Redierat & paulò antè M. N. *Henricus de Zomeren*, mortuus mox à reditu anno CIↃ. CCCC. LXXII. die XIV. mensis Augusti, cujus deinde caussam alij susceperunt: extantque de articulis tum controversis collectanea quædam Lovanij in Collegio Adriani VI. P. unde ista deprompsimus. Tenor verò Bullæ est talis.

Dilectis filijs, Rectori & Vniversitati Studij Generalis Lovaniensis, Leodiensis diœcesis, SIXTVS Papa Quartus.

Dilecti filij Salutem & Apostolicam benedictionem. Fuerat delatus ad hanc sanctam Sedem Apostolicam dilectus filius Petrus de Rivo, *in Artibus Magister, in Theologia Licentiatus, in Vniversitate vestra Regens, super doctrinâ minùs sanâ & animi pertinaciâ. Ipse sua innocentia fidens personaliter comparuit, & factâ diligenti inquisitione insons repertus est. Quare cùm nunc istuc cum nostra benedictione revertatur, eum vobis in Domino commendamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die nonâ Aprilis, millesimo quadringentesimo, septuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno secundo.*

Declaratio prædictæ revocationis per *M. Petrum de Rivo* in conspectu Vniversitatis facta.

DVm priùs conscriberem quosdam tractatus, ad tradendum modum, quo unà cum fide sustineri possit sententia Aristotelis, quâ dicit, neutram contradictoriarum de futuro contingenti determinatè esse veram, in eisdem interserui quinque Propositiones subscriptas, existimans eas tam ex intentione scribentis, quàm ex antecedentibus & subsequentibus, à quolibet intelligi debere de sola tali veritate, qualem negavit Aristoteles à propositionibus de futuro contingenti. In quo sensu eas veras credidi, &, ut opinor, præclarissimi illi sacræ Theologiæ Professores, numero ferè quadraginta, quibus pro tractatibus meis subscribere placuit, easdem Propositiones in illo sensu intellexerunt. Verùm dum Reverendiss. P. & D. *Dominicus* Episcopus Brixiensis, Vicarius Vrbis, Artium & S. Theol. Prof. famatissimus, ex Apostolica commissione super qualitate doctrinæ in dictis tractatibus contentæ, cum nonnullis alijs sacræ Theol. Professoribus, inquisitionem faceret, hujusmodi Propositiones acceptæ sunt secundùm sensum, quem faciunt aliunde respectum non habentes. In quo sensu secundùm informationem mihi datam à Reverendiss. Patre præscripto easdem Propositiones sentio & profiteor offensivas & malè sonantes.

Propositiones hujusmodi continentur in uno tractatuum meorum, & sunt quinque numero.

Prima est, *Elizabeth*, Lucæ I. *cùm loquitur beata Virgini*, Beata, quæ credidi-

credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino, *innuere videtur, illas propositiones, scil.* Paries filium & vocabis nomen ejus Iesum, Hic erit magnus &c. *nondum habere veritatem.*

Secunda, Lucæ ult. *Christus post resurrectionem dicens,* Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis, de me, *videtur innuisse, quòd tales propositiones vacua erant veritate.*

Tertia est, ad Hebr. 10. *ubi Apostolus inquit,* Vmbram habens lex futurorum bonorum, & non ipsam imaginem rerum, *innuere videtur, quòd propositiones veteris legis, quæ erant de futuro, nondum habebant determinatam veritatem.*

Quarta est, *Non sufficit ad veritatem propositionis de futuro, quòd res erit, sed requiritur, quòd inimpedibiliter erit.*

Quinta est, *Necesse est dicere alterum duorum, aut quòd in articulis fidei de futuro non est præsens & actualis veritas, aut quòd significatum eorum per divinam potentiam non poterit impediri.*

Quem sensum faciant dictæ Propositiones, instructus sum à Rev.^mo Patre D. Vicario, ex tribus regulis. Prima est, quòd, in Theologia præcipuè, de nullo simpliciter dicendum est, quod videtur, nisi de eo, quod videtur sapientibus. Secunda est, quòd negatio aut dictio negationem includens distribuit terminum sequentem, si sit distributibilis, & aliàs non distributus. Tertia est, quòd indefinita valet universalem.

Tres igitur primæ Propositiones faciunt hunc sensum, quòd Elizabeth, Christus & Paulus, in passibus allegatis, innuere videntur non quibuslibet, sed sapientibus, juxta primam regulam, quòd Propositiones fidei de futuro, quarum mentionem faciunt, nullam adhuc habebant veritatem, & quòd omni veritate vacuæ erant; quoniam hæ dictiones, *nondum* & *vacuum*, includunt negationem, quare juxta secundam regulam distribuunt illum terminum, *veritas*, qui eis postponitur. In quo utique sensu tres dictæ Propositiones sunt offensivæ. Nam propositiones fidei à quolibet Catholico dicendæ sunt veræ veritate saltem increatâ, quę est objectum formale fidei. Sicut enim propositiones per nos enuntiatæ sunt veræ veritate; quæ est in intellectu nostro, sic propositiones fidei, quas Deus locutus est per ora Prophetarum, sunt veræ veritate increatâ, quæ est in intellectu divino, veluti sæpiùs dixeram ante recessum.

Quarta propositio quoad ultimam particulam, quæ est, quòd ad veritatem propositionis de futuro requiritur, quòd res inimpedibiliter erit, quòd est offensivum; quoniam veritas increata divinæ notitiæ, quà propositiones fidei de futuro sunt veræ, nullatenus exigit,

ut res per eas significatæ inimpedibiliter eveniant, sicut in tractatu illo, qui incipit, *Finalis particula*, ad longum declaravi.

Quinta propositio, propter negationem præpositam illi termino, *veritas*; juxta secundam regulam facit hunc sensum, quòd necesse est dicere alterum duorum: aut quòd in articulis fidei de futuro nulla est præsens & actualis veritas, aut quòd significatum eorum per potentiam divinam non poterit impediri; quod indubitanter est offensivum. Nam à Catholico dicendum est tertium, quòd articulis fidei de futuro velut signis inest veritas increata divinæ notitiæ, quæ præsens est & actualis: quo non obstante significata eorumdem articulorum possunt per divinam potentiam, imò aliquando per humanam, impediri, veluti in pluribus passibus tractatuum meorum declaravi.

Neque solùm dixi, propositiones fidei de futuro esse veras veritate increatâ divinæ notitiæ, sed etiam veritate increatâ veracissimi revelantis, quâ Deus sic verax est, ut mendax esse non possit; ac veritate creatâ, quâ tandem à fidelibus absque omni formidine exspectantur perficiendæ.

Didici insuper ex collatione habita cum Venerabili viro D. *Francisco de Toleto*, Decano Toletano, ac Sanctiss. D. N. Datario, propositiones fidei de futuro esse veras veritate habituali, actu & præsentialiter inhærentes intellectui fideliter credentis. Et nulla prædictarum veritatum exigit, ut res necessariò & inimpedibiliter eveniat; sed ausus non fui, nec adhuc audeo, propositiones de futuro asserere veras tali veritate, qualem Aristoteles negavit à propositionibus de futuro contingenti, quoniam hujusmodi veritas exigeret, quòd significata earum de necessitate evenirent: & speraveram, licet minùs prudenter, quòd quilibet tractatus meos perlegens in dictis quinque propositionibus existimasset me locutum de hujusmodi veritate. Sincero itaque corde sentio & publicâ voce profiteor, quinque Propositiones præscriptas in dicto sensu, omnesque consimiles in eamdem sententiam concurrentes, esse malè sonantes, scandalosas, ac piarum aurium offensivas; quinimò contradictorias earum confiteor, teneo, & semper tenere intendo. Quòd si quis me in locis publicis vel privatis audiens, aut scripta mea legens, prædictas Propositiones in dicto sensu intellexerit, ita senserit, precor obtestorque per viscera IESU Christi, quatenus se errasse cognoscat, & errorem hunc ex mente dimoveat, firmissimâ constantique fide confitendo, singulas propositiones fidei, etiam illas, quæ sunt de futuro contingenti, esse verissimas certissimæque & irrefragabilis veritatis.

Cùm

Cùm verò postmodum dictus *M. Petrus de Rivo* palam & passim diceret jactitaretque, nixus, ut apparebat, præmisso Brevi Apostolico, se in principali caussâ non succubuisse, quasi principalis contentio inter ipsum & piæ mem. *M. N. Henricum de Zomeren* fuisset super sententia Aristotelis de veritate vel falsitate propositionum de futuro contingenti, pro qua defendenda ipse stetisset, & quæ maneret defensa & illæsa; tum etiam quia Propositiones, quas jussus esset revocare, non revocasset ad sensum, quem sui tractatus prætenderent, sed ad illum, quem ipsæ secundùm se sumptæ facerent, non habito respectu ad ea, quæ in iisdem tractatibus antecedunt & sequuntur (prout hæc omnia latiùs referuntur, deducuntur, & refutantur in Epistola seu Tractatu quodam manusc. qui olim fuit *M. N. Adriani Florentij*, postea Pont. Max.) ideo *Sixtus IV.* Pont. edidit Bullam tenoris sequentis.

SIXTUS Episcopus Servus servorum Dei, Dilectis filijs sancti Gaugerici Cameracensis & Sonegiensis, Cameracen. diœcesis, Ecclesiarum Præpositis, ac Officiali Cameracensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad Christi Vicarij in Apostolicæ dignitatis specula præsidentis circumspectionem pertinet, sic ovium sibi divinitus commissarum invigilare profectibus, ut in eis cultus salutis semper vigeat, & quæ erroneæ sunt, ac ab Orthodoxæ fidei tramite deviant, ad viam veritatis reducantur. Sanè dudum felicis recordationis *Paulus* Papa II. prædecessor noster, ex certis sibi tunc expositis caussis, bonæ memoriæ *Guilielmo* Episcopo Tornacensi, tunc in humanis agenti, per suas litteras dedit in mandatis, ut de quorumdam Vniversitatis Studij opidi Lovaniensis, Leodiensis diœcesis, falsis ac erroneis Propositionibus inquireret auctoritate Apostolicâ diligenter veritatem, & quos culpabiles esse reperiret, si juxta Canonicas sanctiones, sanctorum Patrum instituta, se emendare, ac depositis erroribus prædictis, ad Ecclesiæ unitatem redire nollent, eadem auctoritate hæreticos declararet, & prout excessus uniuscujusque exigeret, debitâ pœnâ puniret, prout in dictis litteris, quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus insereretur, pro expresso haberi volumus, pleniùs continetur. Et deinde cùm quidam *Petrus de Rivo*, Clericus, Magister in Artibus & in Theologia Licentiatus, ac in dicta Vniversitate Regens, de multis erroneis propositionibus & falsis tractatibus circa materiam articulorum fidei de futuris contingentibus infamatus ad nos & Sedem Apostolicam fide dignorum relatione delatus fuisset: Nos ad dilecti filij *Antonij de Eugubio*, Fisci nostri, & negotiorum fidei Procuratoris generalis, instantiam Venerabili fratri nostro *Dominico* Episcopo Brixiensi,

Brixiensi, nostro in alma Vrbe in spiritualibus Vicario, commisimus, ut dictum *Petrum* ad personaliter coram eo in Romana Curia, infra certum peremptorium tunc expressum terminum, comparendum, dictasque falsas Propositiones, ac falsa dogmata, publicè abnegandum ac revocandum, citaret atque compelleret. Ipseque Episcopus, instante præfato *Antonio*, litteras citatorias, sub certis modo & forma, contra præfatum *Petrum* decrevit. Quibus contra eumdem *Petrum* debitæ executioni demandatis, ipse *Petrus* coram præfato Episcopo personaliter comparens quosdam tractatus, in quibus præfata falsa dogmata & propositiones erroneæ contineri dicebantur, se composuisse judicialiter confessus est. Et ipse Episcopus ad ulteriora procedens, adsumptis pluribus in Theologia Magistris, post longam discussionem nonnullas propositiones Scripturæ sacræ manifestè repugnantes excerpsit, quas de prædictorum Magistrorum consilio & assensu malè sonantes, scandalosas esse, piarumque aurium offensivas, nostrâ auctoritate declaravit, & præfatum *Petrum* ad eas, tamquam falsas, scandalosas & malè sonantes, ac fidei Orthodoxæ contrarias, revocandum & abnegandum finaliter condemnavit; quas idem *Petrus* resipiscens postea coram eodem Episcopo in judicio, ne in sua opinione pertinax videretur, publicè revocavit & abnegavit, prout in quadam papiri scedula, manu ipsius *Petri* in eodem judicio subscriptâ, cujus tenorem sub publico instrumento vobis unà cum præsentibus transmittimus, pleniùs continetur. Postmodum verò ad humilem ipsiùs *Petri* supplicationem & instantiam, eumdem *Petrum* cùm nostra benedictione tunc redeuntem, tamquam insontem ab omni pertinacia, propter revocationem hujusmodi, Rectori & Scholaribus ejusdem Vniversitatis per alias nostras in forma Brevis litteras commendavimus. Cùm autem, sicut nuper non sine displicentia ad nostrum pervenit auditum, dogmata illa erronea & scandalosa in prædicto Studio, nonnullisque locis alijs plurimorum corda coinquinaverint; maximè cùm præfatus *Petrus* suam in materia fidei de futuro contingenti sententiam illæsam permansisse, & propositionum suarum revocationem & abnegationem intentioni tractatuum suorum, per se super hoc editorum, ex quibus illæ excerptæ fuere, ac doctrinæ suæ hujusmodi in nullo præjudicare seu adversari, in Magistrorum & Scholarium dicti Studij conventu admodum notabili, & quidam ex dicti Studij Magistris dogmatum hujusmodi, ut præsumitur, fautores, in solemni dilectorum filiorum Prælatorum, Procerum & communitatum Ducatus Brabantiæ etiam conventu in dicto opido celebrato, dictum *Petrum*, suâ non obstante

obſtante revocatione & abnegatione, quarum non erant ignari, ſiniſtrâ interpretatione verborum, quibus illum tamquam inſontem Rectori, Magiſtris & Scholaribus præfatis per dictum Breve noſtrum, ut præfertur, commendavimus, ab inſana doctrina & errore quolibet immunem repertum cum noſtra benedictione rediiſſe, temerariâ præſumptione ducti adſtruere non erubeſcant nec vereantur; præſumentes temeritate ſuâ illius dogmata fuiſſe & eſſe Catholica, & per nos tacitè approbata, cùm contrarium ex prædicta conſtet ſententia, & ejuſdem Petri publicè facta revocatione & abnegatione præfatis: Nos itaque, qui Propoſitiones prædictas veluti ſcandaloſas, & à Catholicæ fidei ſemita devias tunc damnavimus, prout etiam in præſentiarum damnamus, animadvertentes nos ad gregis Dominici cuſtodiam poſitos eſſe, & ob id pervigili curâ & indefeſſâ ſollicitudine elaborandum, ne lupus rapax ſuâ verſutiâ diſſolvat ovile, ac volentes nefarijs & reprobis auſibus ac malignorum conatibus, ſicut ex officij debito tenemur, congruentibus obviare remedijs, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex debito paſtoralis officij diſcretioni veſtrę tenore pręſentium diſtrictiùs injungentes committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrûm, ad dictum opidum perſonaliter accedatis, & ſi, vocatis dicto *Petro* & alijs, qui fuerint evocandi, per diligentem informationem ita eſſe repereritis, eos, quos in præmiſſis culpabiles inveneritis, vel ſuſpectos, dictas erroneas & ſcandaloſas Propoſitiones, & falſa eorum dogmata, de novo publicè in dicta Univerſitate, & aliàs, ubi vobis videbitur expedire, revocare, abnegare, retractare & obviare faciatis, & ad id per cenſuram Eccleſiaſticam & alia opportuna juris remedia, omnis prætermiſſo moræ diſpendio, compellatis, ac alia faciatis, quæ in præmiſſis neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna videritis, ipſiq; *Petro* Lecturam & ulteriorem gradum in Theologia & officium prædicationis uſque ad decennium interdicatis, invocato etiam ad hoc, ſi opus ſit, brachio ſæculari. Et ſi, quòd abſit, tanta ipſius *Petri* vel aliorum fuerit temeritas & reproba pertinacia, quod infra terminum, de quo vobis rationabiliter videbitur, parere diſtulerint, vel recuſaverint, præfatum *Petrum*, tamquam de fide malè relapſum, alios verò ſive falſis dogmatibus reſperſos, tamquam in fide ſuſpectos, pœnis debitis puniatis, & à fidelium conſortio vitandos denuntietis, ſuper iſtâ materiâ eidem Petro ac alijs omnibus & ſingulis ſuis complicibus, ſub excommunicationis pœna (à qua præterquam in articulo mortis conſtituti non poſſint niſi per Romanum Pontificem abſolvi) ſilentium perpetuum imponendo, & nihilo-

nihilominus Breve præscriptum, quod apud Vniversitatem hujusmodi Studij existit, omnesque & singulos tractatus seu libellos, per ipsum *Petrum* super hujusmodi falsis dogmatibus compositos, vobis infra terminum competentem super hoc per vos præfigendum adsignari, & à personis, penes quas forsan reperientur, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna exhiberi faciatis, Contradictores censurâ simili, appellatione remotâ, compescendo, nec-non Breve ac tractatus & libellos hujusmodi ad præfatum Episcopum seu dilectum filium Magistrum *Franciscum*, Decanum Toletanum, Datarium, & Notarium nostrum, morâ omni postpositâ, transmittatis, omnesque & singulas lites & caussas, per Procuratorem fiscalem seu Promotorem Vniversitatis Studij prædicti coram Rectore seu Conservatore jurium ejusdem, aut alijs quibuscumque judicibus, contra quascumque personas præmissorum occasione motas & in posterum forsan movendas, penitus & omninò auctoritate nostrâ extinguatis, & dictis personis ac Vniversitatis Studij Promotori fiscali super eisdem caussis ac litibus perpetuum silentium auctoritate prædictâ imponatis. Quòd si aliter errores prædictos extirpare & errantes reprimere non posse videritis, *Petrum* prædictum, aut alios, si id vobis necessarium visum fuerit, ab Vniversitate Studij hujusmodi penitus resecatos ac separatos opidum prædictum exire per censuram similem compellatis. Et insuper vobis & cuilibet vestrum super præmissis omnibus ipsum *Petrum*, ac quascumque personas in his delinquentes, beneficijs Ecclesiasticis, quæ obtinent, privandi, & ad obtinenda inhabilitandi, disponendi, amovendi, incarcerandi & puniendi, sic quæcumque statuta Vniversitatis prædictæ hujusmodi materiam concernentia, prout vobis quoad præmissa videbitur expedire, revocandi & annullandi, aliaque circa præmissa necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, exercendi, etiamsi speciale & expressum mandatum exigerent, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac privilegijs, indultis & litteris Apostolicis, ipsi Vniversitati ac illius personis in genere vel in specie, sub quibusvis verborum formis, concessis, etiam quòd interdici, suspendi vel excommunicari, aut privari, deponi vel amoveri, inhabilitari, incarcerari seu aliâ pœnâ mulctari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: quibus omnibus, illorum tenores & effectus præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa specialiter & expresse derogamus, cæterisque

cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno incartionis Dominicæ millesimo, quadringentesimo, septuagesimo-quarto, III. Non. Ianuarij, Pontificatus nostri anno quarto.

Decretum Facultatis S. Theol. Lovaniensis.

Circa nonnullos articulos tangentes altercationes jam dudum suscitatas in hac Vniversitate Studij Lovaniensis super materijs de præscientia Dei, de ipsius volitione, ac de veritate & falsitate propositionum fidei de futuro contingenti, ad examen & judicium Facultatis deductas, declarans ipsa Facultas, quid reputet & sentiat esse tenendum, sentiendum & dogmatizandum, ordinavit Propositiones, quæ sequuntur.

I. *Dei præscientia prior est ordine durationis realis, stabilis, & permanentis, creatione mundi, & universaliter omnium & singularum rerum eventu ab ipso præscitarum.*

II. *Deus habet certam infallibilem scientiam indicativam de plano sensu, quem exprimunt seu significant propositiones fidei de futuro contingenti, de rigore sermonis seu ex modo suo enuntiandi: veluti scit infallibiliter & indicat de Christo, quòd venturus est iudicare vivos & mortuos.*

III. *Dei præscientia de futuro eventu rerum contingentiũ futurarum infert per consequentiam necessariam, res illas fore; & hæc est consequentia necessaria,* Deus præscit Antichristum esse nasciturum, ergò Antichristus nascetur: *cuius tamen consequentiæ necessitas non tollit contingentiam consequentis.*

IV. *In Deo est velle intrinsecum, quo determinatè voluit ab æterno, priusquam mundus fieret, res producere, quas erat ad extra producturus, & per quod effectivè producit, dum actu producit.*

V. *Propositiones fidei de futuro contingenti sunt in sensu plano, quem faciunt de rigore sermonis seu ex modo enuntiandi, non neutræ quoad veritatem & falsitatem, sed actualiter & modò, vel tali veritate, quæ per consequentiam necessariam infert, in affirmativis rem fore, in negativis non fore, non exclusâ consequentis contingentiâ.*

VI. *Dicens, huic propositioni,* Antichristus peccabit, *in sensu plano, quem facit secundùm modum suum enuntiandi seu sermonis rigorem, actualiter inesse veritatem, non cogitur dicere, peccatum Antichristi esse inevitabile, nec propter concessionem huiusmodi veritatis accedit ad hæresim* Ioannis Wicleff, *dicentis omnia de necessitate absoluta evenire.*

 VII. *Ali-*

VII. Aliquid praecedit ordine successiva durationis media eventum futuri contingentis, ex quo per consequentiam necessariam infertur id fore, ut exigatur iuramentum Dei promissorium absolutum, & assertio Scripturæ, quæ solvi non potest, de eventu alicuius futuri.

Has Propositiones reputat & tenet Facultas esse tenendas, sentiendas & doctrinandas, velut veræ & sanæ fidei doctrinæ consonantes, oppositas verò ipsarum silendas & cavendas, velut piarum aurium offensivas, & ab hujusmodi doctrina recedendum.

Insuper non reputat Facultas propositionem illorum Doctorum, qui asserunt, quòd in singulis contradictorijs de futuro contingenti alteri determinatè inest veritas, esse hæreticam, nec reputat obligatum esse Catholicum ad credendum dictæ propositionis oppositum.

Et sic signatum, *Petrus de Rivo adhæreo articulis præscriptis in forma, qua iacent.*

Hi septem articuli à S. Facultate Theologica præscripti, quibus subscripsit *Petrus à Rivo*, ubi jam errores suos agnoverat, directi sunt contra sequentes, & alias similes ejusdem *Petri à Rivo* assertiones.

In Deo non est velle intrinsecum, quo, priusquam res producat, determinetur ad eas producendum; nec per velle intrinsecum eas producit, dum actu producit.

Nihil præcedit per lineam successionis mediam eventum futuri contingentis, quod huiusmodi eventum inferre possit penes necessariam consequentiam.

Præscientia futurorum in Deo non præcedit duratione eventum ipsorum, & omne præscitum de necessitate eveniret, si omnia quæ sunt futura, sunt præscita à Deo.

Deus non habet notitiam certam, seu iudicativam de significato, quod importat propositio fidei de futuro ex sua natura & modo enuntiandi.

Propositiones fidei de futuro, non sunt veræ veritate propriâ & ex rigore logico, seu modo enuntiandi, sed neutræ.

Quarum assertionum, & simul principiorum, quibus nituntur, examen & refutatio prolixa exstat in Collectaneis istis manuscriptis, in Collegio Adriani VI. Papæ asservatis, quorum suprà mentionem fecimus. Præcipuum autem principium *Petri à Rivo*, quo utebatur in confirmationem dictorum suorum articulorum, dicitur in præcitatis Collectaneis fuisse hæc ejus assertio: *Quidquid per necessariam consequentiam sequitur ex inimpedibili, hoc est inimpedibile, & necessarium.* Ex quo suo principio inferebat futurorum contingentiam tollendam, & quòd omnia inimpedibiliter & ex necessitate evenirent, si daretur in Deo præscientia aut prævolitio antecedens rei contingentis eventum, quæ præscientia vel prævolitio per consequentiam necessariam istum eventum inferret.

Hæc

Hæc verò *Petri à Rivo* fundamentalis Propositio: *Quidquid per necessariam consequentiam sequitur ex inimpedibili, hoc est inimpedibile & necessarium*, in hac Vniversitate primùm censurata, ac deinde in Vrbe Roma sub Sixto IV. damnata est, ait Facultas Theologica Lovaniensis anno 1588 in Iustificatione Censuræ suæ contra quasdam assertiones quorumdam Professorum Societatis Iesu Lovanij. Quam damnationem etiam nunc eadem S. Facultas pro certa & indubitata, tenet partim ex fide actorum suorum anteriorum, partim ex continua & constanti traditione Majorum. In quam rem plura hîc adferri possent; sed Theologis ista relinquo.

De Lectionibus privatim ac publicè habendis.

AN. CIↃ. CCCC. LXXXIX. IV. Kal. Martij, lectâ supplicatione Studiosorum I. V. nomine porrectâ, petentium, per Vniversitatem concedi N. N. Lovanij promoto, ut continuare & finire Lectionem à se inchoatam, die quidem legibili, sed horâ minimè impeditâ, posset: placuit Vniversitati insistendum esse conclusionibus aliàs eam in rem captis, ut non deputati ad Lectionem publicam, Doctores aut Licentiati, dumtaxat legant diebus non legibilibus, & horis, quibus non legitur per alios deputatos ad legendum ordinariè, idque cum admissione ejus Facultatis, in qua tales legere volunt & prætendunt. Idem aliàs non semel per Vniversitatem ordinatum fuit, etiam adversùs eos, qui in Linguis, Hebraica, Græca aut Latina, absque licentia & consensu D. Rectoris publicè legere præsumerent: & nominatim an. CIↃ. IↃ. XIX. VIII. Eid. Martij adversus *M. Alardum de Amsterdamis*, qui publicè per affixionem programmatis professus erat se in Collegio Trilingui Buslid. explicaturum opus quoddam, Desid. Erasmo Roterod. auctore. Item anno CIↃ. IↃ. XX. contra *Gulielmum Nesenum*, caussâ tunc delatâ ad cognitionem & judicium supremi Concilij Brab. super viribus statuti, quòd nullus Doctor, Magister, Licentiatus aut Baccal. admittitur ad legendum, disputandum, aut alium actum Scholasticum exercendum, nisi primò in matricula fuerit descriptus, deque licentia & consensu Rectoris & Vniversitatis &c. Ita cùm privatim tum etiam publicè Lovanij docuit *Nicolaus Clenardus*: item *Ioannes Lud. Vives*, admissus ad legendum eodem anno CIↃ. IↃ. XX. V. Non. Martij, quando *Gulielmo* Card. *Croiaco* erat à Studijs. Scribit ipse Epist. manusc. ad Franc. Craneveldium an. CIↃ. IↃ. XXI. non sine sale & joco, ut solet ad amicum: *Volui animi mei gratiâ enarrare hîc publicè* Somnium Scipionis. *Petij veniam. Rector & alij quidam deputati*

 simulac

simulac audeirunt Somnium, riserunt. Credo quòd perfundebantur magnâ lætitiâ, cùm somnium delitias suas, in quo tanta cum voluptate versantur, nominari audiebant. Túm iusserunt me ire ad eam Facultatem, cuius est liber enarrandus. Heri cùm Senatus ille sanctus haberetur, novus ad Patres retulit de facultate Somnij, varijsq; sententijs & concertationibus ille dies extractus est, multiq; alij in ea consultatione consumentur, cuiusnam facultatis sit Somnium. Nonne ista cui accidunt, insaniat; qui spectat, suaviter rideat? Idem ad eumdem an. CIↃ. IↃ. XXII. *Scis*, inquit, *me occupatum esse Commentarijs* Augustini, *urgente operam Frobenio, expostulante subinde Erasmo. His accedit duplex Professio quotidiana, altera in Fastis Plinij, altera Georgicorum* Virgilij *privatim. Addetur brevi tertia, ut puto,* Melæ, *quæ me ad ambas aures obruent.* Pluresque alij, aliàs non deputati ad certam Lecturam, etiam publicè, Rectore & Vniversitate probante, docuerunt, ut *Iacobus Amiottus*, Gallus, pòst Episc. & Regi Galliarum primus ab Eleemosynis, celebris interpretatione Gallicâ operum Plutarchi, qui anno CIↃ. IↃ. LXIII. Grammaticam Græcam Nic. Clenardi in Scholis Medicorum prælegit: ut *Ioannes Lazius*, Rupellanus, item Gallus, qui in Collegio Sabaudiæ Orat. Ciceronis pro Archia poëta explicuit, & Commentarium suum publici iuris fecit. In alijs majoribus Facultatibus id perinde non licuit, nuperque in Visitatione anni CIↃ. IↃC. XVII. quod ad Iura attinet, statuitur & præcipitur, *ut nullus ijs horis, quibus ab V. I. Professoribus in publicis Scholis docetur, privatim docere præsumat, sub pœnis à Priore & Facultate Iuris, cuius horam occupat, sine dissimulatione imponendis; & ut nullus quoque privatim docere audeat nisi à Priore & Facultate Iuris obtentâ licentiâ.*

Sententia contra TORNACENSES novam Academiam molientes. Academiæ DUACENSIS origo.

ANNO CIↃ. IↃ. XXV. aut circiter, novam moliri erigereque Vniversitatem Studij generalis cœperant Tornacenses: quorum conatui quantocyus obviam eundum ac resistendum esse censuit Vniversitas Lovaniensis, implorato ad hoc auxilio opidi Lovan. ipsiusque Belgarum Gubernatricis *Margaretæ* Austriacæ. Scriptæ missæque litteræ à Gubernatrice ad S. P. Q. Tornacensem, tum occupatum circa receptionem & inaugurationem novi Episcopi. Respondent Tornacensis, suæ intentionis non fuisse, neque esse, ut impetrent erigantve ibidem aliquam Studiorum Vniversitatem; sed quòd instituissent Lectiones aliquas, ad eum finem dumtaxat, ut volentibus discere idioma Gallicum

Gallicum eriperetur occasio accedendi Regnum Franciæ, ac deferendi eò pecunias extra Provincias Principis, utque ibidem juventus in Grammatica, alijsve scientijs prima capere posset fundamenta: offerentes nihilominus venire in amicabilem aliquam communicationem cum Vniversitate & opido Lovaniensi per suos Commissarios eapropter Lovanium ablegandos. Communicationem recusant Lovanienses, instantque ulteriùs apud Principem in supremo Concilio Belgico, ut ab incœpto cessent & desistant, prout etiam desistere jussi sunt per sententiam Machliniæ in eodem Concilio anno CIↃ. IↃ. XXX. latam.

Postea iterum institêre nonnulli apud *Carolum V.* Imp. ac Belgarum Principem pro nova Vniversitate in partibus Flandriæ aut Artesiæ instituenda, propositis in eam rem opidis duobus, Insulensi & Duacensi, prout de hoc Acta Vniversitatis fidem faciunt ad an. 1531. 19. Aug. Ipsique Duacenses, exhibito supplice libello in secretiori Cæs. Majestatis Concilio an. CIↃ. IↃ. XXXII. proposuerunt rationes & motiva eò conducentia, fore scilicet hoc Cæsari honestum, Belgio necessarium, sibi quoque utile, si nova omnium disciplinarium Academia ea in urbe collocaretur, quæ & Gallicè loqueretur, & opidi laxitate, civiumque ingenijs peropportuna existeret. Restiterant hisce postulatis Lovanienses (verba sunt Florentij Vander-Haer lib. I. De initijs tumultuum Belgicorum cap. XVI.) quorum summa ijs temporibus penes Cæsarem gratia, apud omnes erat auctoritas: neque obtinere quod postulârant Duacenates tum equidem potuerunt. Pòst cùm se imperio Cæsar abdicasset, multaque essent à Rege de conservanda Religione suscepta consilia, tum Duacenatibus ignaris ea Regi ratio est probata, ut novam istic Academiam aperiret, quâ adolescentes à Galliarum Academijs, à Genevensi profectione domi retineret. Auctoritate itaque à *Paulo IV.* Pont. impetratâ, Rege profecto, *Hieronymo Franco*, urbis Duacenæ Pensionario, rem Præses *Viglius* exponit; rescriptum Pontificium, Regis auctoritatem ostendit. Respondet officiosè Hieronymus, ad Magistratum refert, magno totius urbis consensu res flagitatur. Auget hominum studia *Franciscus Richardotus*, ad cujus Episcopatum ea urbs pertinebat: frequentes Duacensium Legati, & in his Hieronymus, Bruxellam proficiscuntur. Re cum Card. *Granvellano*, *Viglio* ac *Philippo Nigro* sæpiùs deliberatâ, de Professorum stipendijs, Academiæ immunitate, cæterisque ad eam rem pertinentibus, constituunt. Ferre id ægrè Brabantini; omnium verò ægerrimè *Orangius*, quòd & sese inconsulto res tanta susciperetur, & hoc novum Papatus seminarium constitui in urbe limitanea non oportere arbitra-

arbitraretur. Lovanienses, quod facere se oportebat, apud Ordines ita rem instituunt, ut quibus videretur commodissimis rationibus ornatiorem cultioremque efficere suam Academiam conarentur: Professores Theologiæ, Iuris, Medicinæ, Mathesios, Historiarum, Linguarum Græcæ, Latinæ, Gallicæ novos constituerent; stipendia cæteris augerent, Scholasque magnis impensis ornarent. Succedit nihilominus Duacenatibus negotium; Academiam iisdem cum Lovanio Legibus atque institutis ad annum CIↃ. IↃ. LXII. aperiunt, magna cùm cæterorum hominum tum duorum in primis Abbatum Benedictinorum insigni pietate, *Ioannis Lentailleur* Aquicinctensis & *Arnoldi de le Cambe Gantoisij* Marchianensis, qui magnis impensis, gravi rerum privatarum incommodo, bina è fundamentis amplissima Collegia instituerent.

Edictum de libris Hæreticorum &c.

ANN. CIↃ. IↃ. XL. die XXII. Febr. decrevit Vniversitas publico Edicto denuntiandam esse prohibitionem certorum librorum (quos in plerisque sapere hæresim, fideique Christianæ ac Catholicæ omninò contravenire & contradicere deprehensim erat) quo mandetur omnibus & singulis Suppositis, ut ab emptione - venditione, editione & lectione ejusmodi librorum de cætero cessent & abstineant, illosque à se reijciant, destruant & comburant, sub gravibus pœnis Edicto comprehensis, seu alijs arbitrarijs. Renovatum fuit hoc Edictum atque extensum quoad alios de novo editos libros, hæresim continentes, aut de ea suspectos, anno CIↃ. IↃ. XLVI. mensis Aug. die XV. quorum catalogum Facultas S. Theol. auctoritate & jussu Caroli V. Imp. collegit, typis Servatij Sasseni editum: item an. CIↃ. IↃ. L. ejusdem Imp. mandato, ac demandatâ eâ provinciâ Decano & Facultati S. Theologiæ.

Obsidio Lovaniensis per *Mart. Rossemium.*

ANNO CIↃ. IↃ. XLII. *Martinus Rossemius*, nobili apud Geldros genere natus, Geldro - Gallici exercitus ductor, factâ in Brabantiam irruptione, agrum vastat Antverpiensem, Machliniensem & Lovaniensem, positisque apud Lovanium castris dedi sibi urbem postulat.

postulat. Impetratis paucorum dierum inducijs, dum de conditionibus agitur, quibus Rossemius ab urbe discederet, commeatu scilicet suppeditando & ingenti pecuniæ summa pensitanda, hostisque paulatim vallis murisque opidi adreperet, & quasi in limine consisteret, quippe apertis ad colloquia mutua portæ repagulis: accidit, ut die secundâ Augusti, dum fortè vinum foras trahâ adveheretur, Studiosi aliquot, abscisso fune, vetuerint ultrà protrahi, hostemque invaserint, & in fugam conjecerint, qua de re Oratio extat Petri Nannij, Linguæ Lat. in Collegio trilingui Buslid. Prof. Mansere interim in hostium potestate duo Vrbis & Vniversitatis Legati, *Adrianus de Blehem*, Prætor, & *Damianus à Goes*, Lusitanus, Eques, qui Scholarium non alentium familiam ac voluntariorum constitutus fuerat ductor, ejusque vices gerens *Severinus Feyten*, conjectique in carcerem, & mox liberati, persolutis duobus aureorum Liliorum millibus. In Actis tamen Vniversitatis lego dictum Prætorem pro redemptione sua & *Damiani* addixisse hostibus Coronarum aurearum millia septuaginta. Vbi hostis discessit, mox Lovanium venit, missus à Gubernatrice *Maria* Hungariæ, Regina, *D. Ludovicus de Schore*, secretioris Concilij Præses, gratias acturus S. P. Q. Lovaniensi pro tam strenua ac felici defensione opidi adversus hostem factâ. Respondisse verò Consulem seu Burgimagistrum hæc in effectu verba, ex ijsdem Actis discimus. *Dignissime Dom. Præses, nisi huius almæ Vniversitatis Supposita tam fideliter & potenter nobis adstitissent, procul dubio hostis Lovanium invasisset & occupasset. Quapropter Deo Opt. Max. in primis gratias esse agendas, qui suo intuitu super congregatione ista oculis suæ misericordiæ respicere dignatus fuerit.* Instituta adhæc fuit per Magistratum Supplicatio seu Processio solemnis & devota, cui se Vniversitas junxit, unà cum Missa de Spiritu sancto in Ecclesia S. Petri celebranda: quæ deinde anniversaria facta, usque ad annum CIↃ. IↃC. XXXV. quando ob toleratam fortiter obsidionem Gallo-Batavam placuit novam instituere Supplicationem, eamque unicam & anniversariam, Deo O. M. & Virgini Deiparæ sacram, pro beneficijs Vrbi & Academiæ præstitis.

Forma juramenti præstandi per inscribendos matriculæ Vniversitatis.

ANNO CIↃ.IↃ. XLV. IX. Kal. Novemb. Vt obviaretur peregrinis & adulterinis hæreticorum hujus sæculi doctrinis, atque ad illorum declinanda consortia, quibus nisi providè occurratur, incauta juventus facilè posset damnatis istis hæresibus corrumpi: idcirco statuit & ordinavit Rector & Vniversitas, ut omnes & singuli ad matriculam ejusdem Vniversitatis recipiendi, & priusquam eidem inscribi possint, atque ad usum privilegiorum admitti, præstent juramentum hujusmodi.

ITEM iuro me ex animo detestari universa dogmata Martini Lutheri, & aliorum quorumlibet hæreticorum, quatenus doctrinis veteris & Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ adversantur: & sequi velle ac retinere fidem veterem Ecclesiæ prætactæ, sub obedientiâ unius summi Pastoris Romani Pontificis.

Quam Vniversitatis ordinationem postea probavit & confirmavit PIVS IV. Pont. Brevi speciali, tenoris sequentis.

Dilecti Filij Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad notitiam nostram pervenit, Vniversitatem istam quatuordecim circiter ab hinc annis, ut hæreticis novisq; doctrinis, quibus iuventus facilè corrumpi posset, vias omnes intercluderet, suamq; fidei Catholicæ integritatem synceram, inviolatamq; servaret, statuisse, ut omnes & singuli, qui studiorum causâ, vel ad accipienda Magisterij insignia, istuc venirent, priusquàm in ipsam Vniversitatem, ut mos est, adscriberentur, & Doctorum insignibus ac privilegijs ornarentur, conceptis verbis iurarent, se ex animo detestari universa Martini Lutheri, & aliorum quorumlibet hæreticorum, dogmata, quatenus doctrinis veteris & Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ adversantur: & sequi velle ac retinere veterem Ecclesiæ Romanæ fidem, sub unius summi Pastoris Romani Pontificis obedientia. Qui verò huiusmodi iusiurandum non dedissent, eos nullo modo in Vniversitatem Lovaniensem, nec in Doctorum numerum recipi liceret, sed omnibus privilegijs, Vniversitati & Doctorum Lovaniensium collegio concessis carerent. Pium sanè, prudens & salubre consilium, ac Lovaniensi Vniversitate dignum: quæ constans in primis & firma his temporibus fidei Catholicæ propugnatrix & sanctæ Romanæ Ecclesiæ devota, & fidelis est filia. Quod quidem decretum quantò præclarius & laudabilius est, tantò magis id cupimus observari. Itaque motu proprio, perinde ac si ad verbum his litteris insertum fuisset, pro expresso id habentes, & si quis forsitan iuris factive defectus in eo intervenerit, supplentes, Apostolicæ auctoritatis robore id confirmamus: Decernentes ac statuentes, ut omnes & singuli, qui

Lova-

Lovanium venerint, cuicumque disciplinarum ac litterarum generi operam daturi, vel Doctorum insignia accepturi, illud de eiusmodi iureiurando decretum servent. Nisi ita fecerint, non modò privilegijs omnibus, Vniversitati, Doctoribusq; Lovaniensibus concessis carituri, verùm etiam in excommunicationis latæ sententiæ pœnam incursuri. Quam eamdem anathematis & amissionis omnium privilegiorum huiusmodi pœnam subire volumus ac statuimus omnes, quicumque de eo decreto abrogando derogandove, aut quoquo modo, cuiuscumque personæ respectu, violando, ullo tempore referre suadereve, aut consentire ausi fuerint. Non obstantibus Constitutionibus, privilegijs, indultis quibuscumque, Vniversitati isti singularibusve personis propriè communiterve concessis: quibus omnibus, etiamsi de ijs mentionem fieri oporteret, eorum tenores pro expressis habentes, derogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die quintâ Februarij, M. D. LXI. Pontificatus nostri anno secundo.

De Concilio Tridentino, ejusque publicatione.

ANNO CIↃ.IↃ.LI. Rector & Vniversitas, instante & requirente *Carolo V.* Imp. ejusque in Germania Inferiori Locumtenente *Maria* Hungariæ ac Bohemiæ Regina, per litteras suas datas eodem anno, XI. Kal. Aug. deputavit è gremio suo personas quattuor, antea à prædicta Regina ad hoc delectas, interpellatas, ac rogatas specialiter, viros morum integritate, vitæ sanctimoniâ, & magnitudine consilij conspicuos, inque negotijs Fidei & Religionis diuturnâ experientiâ comprobatos, *Ruardum Tapperum*, ab Enchusia, Ecclesiæ collegiatę S. Petri Lovaniensis Decanum, *Ioannem ab Hasselt* & *Iudocum Tiletanum*, S. Theol. Prof. & *Vulmarum Bernaerts*, I. V. D. & SS. Canonum Prof. ejusdem Ecclesiæ collegiatæ Canonicos, eosdemque constituit, creavit & nominavit suos veros & fideles procuratores, nuntios & oratores, ad suo nomine in sacro œcumenico Concilio Tridenti comparendum, dictamque Vniversitatem repræsentandum &c. datis eam in rem litteris ad Ill.mos & Reverendiss. Cardd. Legatos Præsides, cæterosque dicti Concilij Patres, anno, ut suprà, postrid. Non. Augusti. Obijt verò Tridenti *Hasselius*, vir longiori vitâ dignus an. CIↃ.IↃ.LII. Nonis Ianuarij, in D. Marci sepultus. Missi postmodum an. CIↃ.IↃ. LXII. ex eadem Vniversitate, à Philippo II. Rege Catholico, ad dictum Concilium, *Michael du Bay*, *Ioannes Hessels*, à Lovanio, & *Cornelius Iansenius*, Hulstensis, eidem Concilio anno CIↃ. CI. LXIV. IV. Non. Decemb. finem imponi viderunt.

An. CIↃ.IↃ.LXVII. III. Kal. Decemb. insequendo mandatum de recipiendis & observandis Decretis prædicti Concilij Trid. facta fuit ejusdem publicatio in & ab Vniversitate, hoc modo. Indictâ Congregatione generali Vniversitatis apud PP. Prædicatores, post Orationem, per Ven. & Exim. V. *Cunerum Petri*, S. Theol. Doct. & Ecclesiæ collegiatæ D. Petri apud Lovanienses Plebanum, habitam in commendationem sacri Oecumenici Concilij Trid. mox jussu mandatoque Mag. D. Rectoris (qui pro tempore erat *Matthæus Boden* S. Th. L.) *Conradus Silvius* eidem D. Rectori atque Vniversitati à Secretis, ascenso suggestu clarâ & intelligibili voce, hocque verborum tenore, præfatum Concilium publicavit: *Alma Vniversitas Studij Generalis opidi Lovaniensis, ad hoc specialiter indictâ convocatione congregata, suo officio, quantum in se est, fungi cupiens, & conformando se conclusioni ac mandatis sacri Oecumenici Concilij Tridentini, ad omnium & singulorum dictæ Vniversitatis Magistrorum, Scholarium & Suppositorum quorumcumque notitiam deducit huiusmodi sacri Concilij conclusiones & decreta, quorum exemplaria passim impressa extant. Mandans omnibus & singulis eisdem Magistris, Scholaribus & Suppositis, ut huiusmodi conclusionibus & decretis se conforment, eadem observent, & quantum in se est executioni mandent.* Deinde idem Mag. D. Rector, insequendo decretum ejusdem sacri Concilij, in pedes erectus ac nudo capite coram totâ Vniversitate & omni Clero, similiter nudo capite stante, clarâ voce legit Professionem Fidei, juxta formam Bullæ Pij IV. Pont. præstititque juramentum tenoris sequentis. EGO N. N. *firmâ fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei &c.*

Quo juramento ita, ut præmittitur, præstito, idem *Silvius* Secretarius & Notarius quemlibet Professorum præsentem accessit, qui similiter juramentum præscriptum solemniter in facie Vniversitatis præstiterunt. In primis Venerabiles & Eximij Dom. MM. NN. *Iudocus à Ravesteyn*, Tiletanus, *Michael du Bay*, Athensis, *Augustinus Hunnæus*, Machliniensis, *Thomas Gozæus*, Bellomontanus, *Cunerus Petri*, à Brauwershaven, *Cornelius Iansenius*, Hulstensis, S. Theol. Professores: *Cornelius Reineri*, Gaudanus, *Robertus Maelcote*, Lovaniensis; *Laurentius VValteri*, de Westerhoven, Theol. Licentiati: *Ioannes Molinæus*, *Vulmarus Bernaerts*, *Elbertus Leoninus*, *Ioannes VVamesius*, *Petrus Peckius*, *Ioannes Ramus*, *Michael Herenbaut*, *Ioannes Bievene*, *Gerardus Caverson*, I. V. Doctores & Profess. *Severus vander Hoeven*, *Philippus Zuerius*, *Ioannes Longecrucius*, I. V. Licentiati & Legentes: *Iacobus vander Varent*, *Guilielmus Pantinus*, Tiletanus, *Nicolaus Biesius*, *Adrianus Rodius*, Medicinæ Doctores

Doctores & Profess. *Theodoricus Thybault*, *Balthasar de Flon*, Med. Licentiati & Profess. Hos secuti sunt Regentes & Legentes quattuor Pædagogiorum, itemque Præses & Professores Collegij Trilinguis Buslidiani, alijque.

Anno CIↃ. IↃ. LXVIII. XIV. Kal. Martij, *Philippus Guilielmus Nassovius*, Guilielmi Fil. Comes Buranus, duodecim annorum adolescens, Lovanij bonis litteris dans operam, jussu Ferdinandi Ducis Albani inde in Hispaniam abducitur, Academicis reclamantibus & de violatis hoc modo privilegijs suis frustrà expostulantibus. Vbi verò in Aulam appulit Hispanicam dictus D. Comes, de hoc suo adventu per litteras reddidit certiorem suum Lovanij præceptorem & institutorem *Cornelium Valerium*, Linguæ Lat. in Collegio Trilingui Buslidiano Professorem.

Cùm nuper, tanto itinere emenso, salvus & incolumis Madritum usque, Deo duce, pervenissem, facere equidem non potui, quin te, Vir integerrime, certiorem facerem, Regiam mihi Maiestatem ac totam ferè Aulam esse congratulatam, atque illicò, ut in incepto studiorum meorum cursu persisterem, liberè & ultrò etiam concessisse. Qua de re vix credas, quantâ sim lætitiâ perfusus. Dabo equidem operam, ut rudis illa Minerva, quam fidei tuæ commissus salutare primùm à limine cœperam, ad frugem aliquam, si non maturam, perveniat. Quod licet te institutore (ut tamen omnibus votis exoptâram) fieri non potuerit, tamen meum in te animum ac debitam observantiam tibi in dubium venire nolim, cùm nihil prius aut antiquius umquam habuerim, quàm operam tibi meam quovis etiam loco & tempore præstare. Vale, Vir opt. meq́; ut facis ama. Madriti ad nonum Kalendas Augusti M. D. LXVIII. Philippus G. Nassovius, Comes Buranus.

Bulla Pij V. Pont. censoria quorumdam Articulorum, ejusque confirmatoria per Gregorium XIII. Lovanij publicata.

ANNO CIↃ. IↃ. LXVII. Kal. Octob. Pius V. Pont. Bullam edidit, quam deinde anno CIↃ. IↃ. LXXIX. IV. Kal. Febr. Gregorius XIII. nuperque an. CIↃ. IↃC. XLI. prid. Non. Martij Vrbanus VIII. confirmarunt, quâ damnantur certæ sententiæ seu Propositiones, uti hæreti-

hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ & in pias aures offensionem immittentes respectivè: quamquam nonnullæ (ut eadem loquitur Bulla) aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Propositiones autem illæ pleræque collectæ & excerptæ sunt ex opusculis aliquot Ex. D. *Michaelis du Bay*, S. Th. D. & Prof. in Vniversitate Lovaniensi; neque id ipse *Baius* diffitetur, quamvis etiam multas fateatur non esse suas, nec à se, prout jacent, assertas, ut patet tum ex Apologia ejus manusc. tum ex litteris, quas Romam ad N. Card. scripsit, quasque hîc pro parte repræsentare lubet, quia colligi inde etiam potest, quâ occasione prædicta Pij V. Bulla primùm emanârit.

Reverendiss. & Ill.me Cardinalis, Non lubens interturbo densissimas gravissimarum occupationum turbas, quibus non dubito Ill.mam G. T. quotidie distineri. Sed quia id, quod scribere constitui, non tantùm meam existimationem, sed & doctrinam pietatis, & Sedis Apostolicæ reputationem, videtur contingere, non me continui, quin illud paucis aperirem. Ante annos octodecim, cùm primùm cœpi publicè & quotidie sacram Theologiam in Scholis nostris profiteri; partim ob hæreticos, qui nihil audire volunt nisi Scripturam sacram, & veterum doctrinam Sanctorum; partim etiam ob consortium cum optimo quodam & eruditissimo viro *Ioanne Hessels*, S. Theol. Professore, qui eamdem docendi normam sequebatur: in Lectione, quam plus quàm XVIII. annos continuos, Deo me confortante, quotidie prosecutus sum, post lectionem *Petri Lombardi* conatus sum sacræ Theologiæ studium statim revocare ad Scripturam sacram, & veterum scripta Sanctorum, *Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Leonis, Prosperi, Gregorij*, & similium, quos etiam hæretici saltem aliqua ex parte venerantur. Sicut autem qui *Scotum* sequuntur, nonnulla asserunt, quæ *B. Thomæ* aut *Bonaventuræ* studiosis minùs arrident, sic & dum nos totos ad horum veterum, & præsertim *D. Augustini*, qui in tractandis quæstionibus omnium diligentissimus fuit, imitationem formare conamur, & in lucem proferre, quæ in illis videbantur abdita contineri, nonnulla occurrerunt, quæ aliter assuetis minùs placuerunt, & ijs potissimùm, qui sine magno studio id potiùs sequendum putabant, quod apud plures receptum erat, quàm quod ex solis Scripturæ sacræ fundamentis diligenti studio constituebatur; & suam reprehensionem interpretabantur, quidquid aliter aut alijs verbis dicebatur, aut disputabatur, quàm ipsi dicere, aut in suis Summarijs Doctoribus legere consueverant. Hac occasione natæ sunt æmulationes, & à nonnullis, suppressis,

pressis nominibus, in nostram reprehensionem excogitatæ, & quibusdam Magnatibus ante septem vel octo annos oblatæ nescio quæ sententiæ, quas M. N. *Ioanni Hessels* & mihi impingebant; licet nonnullæ essent à sensu nostro alienissimæ, nonnullæ verò numquam à nobis neque in unam neque in alteram partem disputatæ: omnes autem, aut saltem pleræque, eo artificio ab ijs excogitatæ, aut expressæ, ut vel ob solum sermonem suspectæ haberi possent; præsertim apud eos, qui ejusmodi quæstionibus ex professo non incubuissent. Respondimus tunc scripto, de quo hactenus nullam querelam audivimus, licet illud ante annos sex tradiderimus Rev.mo atque Ill.mo *D. Granvellano*, qui nobis sententias tradiderat.

Cumque putaremus universa hæc jamdudum esse sopita (nam à pluribus annis in Vniversitate Lovaniensi nulla extitit hujus rei mentio) occasione quarumdam contentionum, quæ circa id temporis inter quosdam Fratres Minores in Provincia Flandriæ exortæ sunt; quorum alij, nobis inscijs libellos nostros allegabant, alij verò improbabant: pars una, nobis nihil tale suspicantibus, ad Confratres Hispanos, non tam collectis, quàm in alterius partis accusationem à se excogitatis, & proprijs verbis expressis sententijs, recurrit. Per quos primùm præjudicia, dein post multam & longam sollicitationem, etiam tempore Pij IV. felicis record. inceptam, ut intelligo, tandem à Sanctiss. D. N. Pio V. obtinuerunt Bullam, datam Kal. Octobr. anno CIↃ. IↃ. LXVII. in qua damnantur LXXVI. sententiæ: quarum priores LX. aut circiter, tacito quidem nomine, attamen intelligentibus satis apertè expressæ significantur ex quibusdam libellis meis; sicut & palàm, nominatim in congregatione Facultatis nostræ, testatus est, qui Bullam ex commissione Rev.mi atque Ill.mi *D. Granvellani* nobis exhibuit. Reliquæ verò sententiæ nescio unde sint desumptæ &c.

Lecta ac publicata fuit prædicta Bulla Lovanij anno CIↃ. IↃ. LXX. die XVI. Novemb. in Scholis Theologicis, per *Conradum Silvium*, Notarium Vniversitatis, *Maximiliano Morillonio*, Vicario Archiepisc. Machliniensis, præsente & rogante Exim. DD. MM. NN. Num litteris Apostolicis obedire vellent? Cui omnes annuerunt. Confirmatoria verò Gregorij XIII. anno CIↃ. IↃ. LXXX. procurante R. P. *Francisco Toleto*, Societ. nominis IESV, S. Theol. Doct. & sacri Palatij Ecclesiastæ, eapropter ab eodem Sanctiss. D. N. Lovanium ablegato, unà cum Brevi Apostolico, ad Facultatem Theologicam directo, quod fidem faceret de omnibus per eumdem D. nomine & ex parte Sedis Apostolicæ proponendis. Quo per Decanum ejusdem Facultatis publicè

publicè lecto, retulit tum ille de præfata Bulla Pij V. aliàs quoque Lovanij in Scholis Theologicis publicata, cui Magistri omnes se parituros promisissent, deque ijs, quæ à fide dignis ad aures Sanctiss. D. N. Gregorij XIII. in contrarium perlata essent; non deesse scilicet inter Theologos, non modò studiosos, sed & Professores, qui articulis in præfata Bulla damnatis etiamnum auderent adhærere, eosque non privatim tantùm fovere, sed coram alijs quoque asserere, & pertinaciter defendere. Imò persuasum esse non paucis, Bullam istam etiam à Sede Apostolica aliquando retractandam & revocandam. Quo accepto, suam Sanctitatem non parvo animi dolore affectam fuisse, proque officij sui ratione, simul & pro charitatis affectu, quem gerat erga Lovaniensem Academiam, & in primis erga S. Theologiæ Facultatem, non potuisse eam quorumdam temeritatem atque audaciam, ad totius etiam Ecclesiæ periculum pertinentem, contemnere aut dissimulare, neglectimque habere. Quare ad coërcenda hujusmodi ingenia, simulque ad eximendam vanam istorum futuræ aliquando retractationis spem atque exspectationem, statuisse præfatam Pij V. Bullam suâ quoque auctoritate confirmare, articulosque ibidem comprehensos iteratò damnare, & sub gravibus pœnis ac censuris prohibere. Et ne quis hac in re constantem Sedis Apostolicæ voluntatem ac sententiam ignorare posset, suam hanc confirmationis Bullam, in qua altera illa Pij V. comprehensa esset, in Scholis hîc Theologicis coram omnibus S. Theol. Professoribus, Licentiatis, Baccalaureis, cæterisque studiosis, publicandam & promulgandam esse, & ab omnibus requirendum, ut propriâ confessione eam se reverenter accipere fateantur, eique se parituros promittant. Cupere itaque à Facultate statui & indici certum diem atque horam, quo omnes & singuli ad Scholas Theologicas conveniant, ut quæ in mandatis habebat exequeretur.

Quæ cùm dixisset, egresso (postquam pro sui purgatione quædam protulisset) Ex. D. *Michaele Baio*, Facultas suæ Sanctitati pro paterna erga suam filiam charitate & sollicitudine egit gratias. Quod autem ad Bullam ejus attinet, eam se gratissimè & obedientissimè, uti par est, recipere & amplecti, orareque ne sinistram aliquam de ipsa suspicionem concipere velit, neve sibi persuadeat, aliam ei umquam mentem & & voluntatem fuisse erga Bullam Pij V. quin & illam semper reverenter habuerit, eique in omnibus paruerit: existimare nihilominus vera esse, quæ ad suam S. essent perlata. Quare ad ijs malis occurrendum, vehementer sibi placere, ut nova hæc Gregorij XIII. Bulla publicè in Scholis Theologicis proponatur & promulgetur.

Die

Die itaque dicto ad XII. Kal. Aprilis, horâ ante meridiem decimâ, in frequentissimo conventu atque consessu omnium & singulorum, Professorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, cæterorumque Studiosorum S. Theol. ingressus Scholas Theologicas idem *D. Franciscus*, comitantibus eum ac deducentibus, honoris causâ, MM. NN. dicto *D. Baio*, *Cornelio Reiners Gaudano* & *Henrico Gravio*, ac conscensâ cathedrâ, cùm eadem ferè narrasset, quæ antea coram MagistrisS. Th. Facultatem repræsentantibus dixerat, jussit per præfatum Vniversitatis Notarium *Conradum Sylvium*, litteras primùm credentiæ ad eosdem S. Theol. Doctores datas, deinde ipsam Bullam clarâ & intelligibili voce recitari. Quibus lectis, convertit sese ad *D. Michaelem du Bay*, petijtque ex eo, *Anne agnosceret damnari in Bulla multos articulos, qui in aliquot eius libellis priùs editis continerentur, etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur*? Quo agnoscente & credente, quòd sic; rogavit eum deinde, *Anne eosdem, & reliquos ibi comprehensos & lectos damnaret*? tum ille, *Damno*, inquit, *secundùm Bullæ ipsius intentionem, & sicut Bulla damnat.* Dehinc præfatus *D. Franciscus* ad reliquos Doctores Theologos conversus, interrogavit, *Anne eosdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter susciperent*? Qui uno ore omnes responderunt, se eos articulos damnare, & Bullam religiosè habituros atque observaturos. Eadem fuit responsio Licentiatorum, Baccalaureorum & studiosorum, omnesque consonâ voce conclamarunt, *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.*

De emendatione Calendarij Romani.

ANNO CIↃ.IↃ.LXXVIII. Gregorius XIII. Pont. M. ad Vniversitatem Lovaniensem misit Compendium libri de emendatione Calendarij, ab Aloysio Lilio Mathematico conscripti, ab eruditis ibidem Mathematicis examinandum; quos inter tunc Lovanij eminebant *Petrus Beausardus* & *Cornelius Gemma*, quibus Vniversitas examen illud commisit. Verùm cùm uterque eodem ipso anno ex peste, tunc Lovanij præter solitum grassante, decessisset, verita Vniversitas, ne suæ Sanctitati in aliquo satisfactum esset, aut satisfieri posset, in tanta rei Mathematicæ peritorum inopia, feliciter accidit, ut postea ex alterius funesta domo prolata fuerit Censura de predicto *Aloysij* Compendio, manu utriusque propriâ subsignato, quam sic, qualiscumque ea esset, Vniversitas Romam transmisit.

Circa idem tempus *Petrus Pierius à Smenga*, Frisius, Med. Doctor & Prof. Thesibus eidem Pont. *Gregorio* XIII. exhibitis primus demonstravit, fieri nunc posse novum Calendarium, & correctionem anni, ab alijs Pontificibus olim cum maximis expensis frustrà tentatam.

Anno CIↃ. IↃ. LXXX. GREGORIVS XIII. P. M. per suum Ecclesiasten *Franciscum Toletum*, è Societ. IESV S. Th. Doct. certior factus de miserijs & calamitatibus Vniversitatis Lovaniensis, eidem succurrit dono pecuniario, misso Brevi tenoris sequentis.

Dilectis filijs Rectori & Vniversitati Studij Generalis Lovaniensis GREGORIVS P. P. XIII.

Dilecti filij Salutem & Apostolicam benedictionem. Ex vestris litteris, quas nobis reddidit dilectus filius Franciscus Toletus, *Concionator noster, ubi primùm istinc rediit, eq; Toleto ipso cognovimus de vestris angustijs, de quibus etiam sine illius confirmatione aut testimonio ex ista calamitate & vastitate, quam vestra Provinciæ gravissimorum bellorum diuturnitas attulisset, facilè existimare potuissemus. In tantis verò tum asperitatibus rerum, tum difficultatibus temporum, non minùs quàm olim in summa tranquillitate, semper claruisse vestra studia in optimis disciplinis colendis edocendisq;, inq; Catholica religione non in ista tantùm civitate, sed in cæteris etiam istius Provinciæ locis tuendâ, incredibiliter lætati sumus, Deoq; gratias egimus, eiusq; benignitati vestram pietatem & labores obtulimus. Mittimus vobis duo millia aureorum. Poteritis mille inter vos dividere, ex reliquis communia vestra Vniversitatis debita persolvere; aut etiam, si mille parum vobis esse videbuntur, tota duo millia inter vos partiri; hoc enim vestro arbitrio permittimus. Quòd vos hortemur, ut tales sitis, quales semper fuistis, nihil est. Certum enim habemus, nihil vobis tam curæ esse, quàm Dei gloriam Catholicæq; religionis amplitudinem. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die* VI. *Augusti*, M. D. LXXX. *Pontificatus nostri anno nono.*

Cumque super divisione pecuniarum istarum facienda esset mota quædam dubitatio, misit alterum Breve idem Pont. ad Rectorem & Professores ejusdem Vniversitatis, an. CIↃ.IↃ.LXXXI. die XXIX. Apr. quo declaravit voluisse se, & velle, dictam distributionem fieri inter Professores tantùm, addens hæc: *Cæterùm bono animo estote, Catholicæq; religionis res, ut semper habuistis, sic etiam in hac tanta temporum hominumq; iniquitate quàm commendatissimas habete, & credite res vestras summopere nobis cordi esse.*

De

De controversia inter Facultatis S. Theol. Doctores & Societ. Iesu Professores.

ANNO CIↃ. IↃ. LXXXVII. cùm perlatum esset ad Facultatem S. Theol. in Collegio Societ. IESV disputari ac doceri nonnulla, quæ offenderent ac perturbarent Studiosos Facultatis, & nominatim circa materiam Prædestinationis & Gratiæ, commisit eorum examen Facultas certis Collegij sui Magistris, qui Prælectionibus ac dictatis Professorum ejusdem Societ. diligenter ac maturè examinatis & discussis, retulerunt ea de re ad Facultatem. Quæ id negotij dedit Ex. D. *Henrico Gravio*, collegæ suo, ut Assertionum quarumdam ex prædictis dictatis excerptarum censuram conscriberet: quam deinde sic conscriptam, ceterisque Magistris communicatam & probatam, placuit, unà cum præmissa Præfatione, communicari & tradi R. P. Rectori Societ. Lovaniensis. Ejusdem Censuræ exemplaria transmissa fuerunt ad Archiepisc. Machliniensem *Ioan. Hauchinum*, & alios Episcopos. Venit deinde anno CIↃ. IↃ. LXXXVIII. VI. Non. Iunij Lovanium Ill.mus ac Rev.mus *D. Octavius*, Episcopus Calatinus, missus à S. D. N. *Sixto V.* Pont. ad cognoscendum de hujusmodi controversia, indixitque ad diem VII. Kal. Iulij, totius Facultatis congregationem in Collegio Dalensi. Erant autem tum Magistri XII. numero, *Michael Baius*, Athensis, *Cornelius Remeri*, Gaudanus, F. *Petrus Bacherius*, Dominicanus, *Henricus Gravius*, Lovaniensis, *Ioannes Lensæus*, Belliolanus, *Aegidius Vuallæus*, Brugensis, *Embertus Everaerts*, Arendoncanus, *Henricus Cuyckius*, Culenburgensis, *Iacobus Iansonius*, Amsterdamensis, *Ioannes Clarius*, Tungrensis, *Iacobus Baius*, Athensis, *Samuel Loyaerts*, Attenhovius. Aderat & Ill.mus D. Archiepiscopus Machliniensis, qui ut prædicto D. Nuntio adsisteret per Breve Apostolicum requisitus erat. Requirebat Ill.mus Nuntius, ut S. Theol. Facultas totam controversiam ad certos articulos revocaret, ejusque statum per aliqua capita conscriberet. Factum id ab Ex. D. *Ioan. Lensæo*, qui unà cùm D. *Gravio* designatus fuit Commissarius, prout designari petierat idem D. Nuntius; ita tamen, ut, altero eorum impedito, ejus locum suppleret D. *Gaudanus*, quibuscum controversiam hanc totius Collegij nomine tractare posset. Postulant illi ex mandato Facultatis sibi exhiberi authenticam Apologiam contra Facultatis Censuram. Quâ post aliquot dies acceptâ & visâ, decrevit Facultas Responsionem ac Iustificationem conscribendam esse, idque oneris imponi dictis DD.

 Lensæo

Lensao & *Gravio*. Eamdemque sic conscriptam, & à Magistris omnibus lectam, examinatam, & communi atque conformi sententiâ probatam, exhibuit & consignavit in manus dicti Ill.mi Nuntij, examini ac definitioni Sedis Apostolicæ subijciendam. Impositum interim utrique parti silentium, vetitumque, ne altera alterius assertiones, ut hæreticas, suspectas, offensivas & periculosas refellere aut impugnare attentaret &c. ita interloquente eodem Ill.mo D. Nuntio Lovanij die x. Iulij CIƆ. IƆ. LXXXVIII. Facultate interim Theologicâ hodieque fortiter stante pro doctrina, quam in Censura & Iustificatione sua expressit, quamque esse S. Augustini certò sibi persuadet, nuperque editâ hac Fidei ac Doctrinæ suæ Professione testatum omnibus fecit.

Nos Sacra Facultatis Lovaniensis Doctores toti Orbi Christiano testatum facimus, nos sacras Scripturas, Concilia & sanctos Patres eo sensu & modo recipere ac interpretari, quo Sancta Catholica & Romana recipit & interpretatur Ecclesia, quam veritatis Magistram esse agnoscimus. Signanter verò Bullam Pij V. amplectimur & observamus. Inter sanctos autem Patres, more Maiorum nostrorum, S. Augustinum *(præsertim in materia Gratia Dei & humana libertatis contra Pelagianos & Semi-Pelagianos) Dei præeunte lumine, & Ecclesiæ Romanæ ductu, exactè sequi, nec latum unguem à vestigijs eius deflectere, unicè studemus. Belgicarum quoque Vniversitatum, Lovaniensis & Duacensis, à sexaginta iam circiter annis Censuras adversus* P. Leonardum Lessium & P. Ioannem Deckerium, *aliosque Societ. S. Theologiæ Lovanij & Duaci Professores: denique quidquid postea* Clemens VIII. & Paulus V. *in celebri Disputatione Romana contra* Lud. Molinam *& sectatores eius censuerunt, exosculamur, & Dei gratiâ firmiter retinere conamur. Quicumque de nobis aliter, pro mendacibus & calumniatoribus habemus; & si opus est, tales eos esse publicè iudiciô contradictorio sustinebimus.*

De controversijs, quas Vniversitas habuit cum PP. Societ. IESV.

ANNO CIƆ.IƆ.LXVI. die IV. Iulij R. P. Provincialis Societ. IESV, unà cum P. Rectore Collegij Lovaniensis exhibuit Facultati S. Theol. certum suum privilegium, Societati per Sedem Apostolicam indultum, quo eidem conceditur facultas discipulos suos creandi Baccalaureos, Licentiatos & Magistros, si Rectores Vniversitatum nolint eos gratis admittere: & petebant à Facultate, ut nonnulli, qui erant futuri Baccalaurei, gratis admitterentur. Respondit-

ſpondit Facultas, placere, ſuos ipſimet crearent graduatos. Quòd ſi verò, volentes ſequi in omnibus morem Scholæ Lovanienſis in ſtudio & tempore, vellent etiam à Facultate gradus accipere, tum multa eſſe jura, quæ totam concernerent Vniverſitatem, ſolita perſolvi ab omnibus, etiam Mendicantibus, & Baccalaureis tenuiſſimæ fortunæ, quæ ab illis quoque meritò poſſet poſtulare Vniverſitas. Multaque alia per Decanum dictæ Facultatis allegata & propoſita fuere, quibus pro ea vice petitioni P. Provincialis ſatisfactum videbatur. Verùm non longa quies fuit: nam anno CIↃ. IↃ. LXXXIII. eadem Societas pro uſu hujuſmodi ſui privilegij recurſum habuit ad ſupremam Curiam Brabantiæ, quæ litteras clauſas, unà cum exhibitis eam in rem à Societate, miſit ad D. Rectorem & Vniverſitatem Lovanienſem. Vniverſitas verò commiſit eorum examen Facultatibus S. Theol. & Artium, quarum maximè intereſſe videbatur. Vtraque facto diligenti examine ſuper exhibitis, deliberata & motiva ſua in contrarium concepit & ſcripto complexa eſt, prout ſequitur.

Deliberatio & Iudicium Facultatis S. Theol.

MVltæ & variæ ſuborientur difficultates, ſi in Belgio noſtro, ubi duæ ſunt florentes Vniverſitates, ad praxim deducatur privilegium conceſſum Societati IESV per Iulium III. & extenſum per tres ejus ſucceſſores, Pium utrumque IV. & V. & Gregorium XIII. de docendo ac promovendo ad gradum in ſacra Theologia Scholares, pauperes & divites, in ſuis Collegijs, extra & intra Vniverſitates conſtitutis. Nam primùm non parvum erit intereſſe, ut videtur, ipſius Catholicæ Majeſtatis, quæ magnis ſumptibus atque impenſis in Belgio ſuo intertenet vigentes (quantum nunc turbarum ratio permittit) Vniverſitates, unam Lovanienſem, à majoribus ſuis fundatam, alteram verò novam Duacenſem à ſua Majeſtate erectam. Itaque judicabit fortaſſis S. M. Reipubl. ſuæ intereſſe, ut paucæ florentes Scholæ univerſales in ſuo Belgio ſerventur, & cum earum diſpendio non erigantur in particularibus Collegijs multæ ſtrigoſæ & macilentæ Vniverſitates. Quare nobis videtur potiùs Catholici Regis noſtri judicium, quàm noſtrum ſuper uſu hujus privilegij requirendum eſſe. Nihilominus quia à Cancellaria (quæ Regiam Majeſtatem repræſentat) requirimur, ut ſcripto explicemus præjudicia ac gravamina, quæ ex uſu illius privilegij Lovanienſis Schola ac Reſpubl. paterentur, cum debita modeſtia ſequentia ſuggerimus.

Primò, Cùm à Chriſto dictum ſit, *Omni habenti*, hoc eſt legitimè

utenti, *dabitur*, non putamus intentionem esse Vicarij Christi, Universitatem Lovaniensem, de qua (quod per varias litteras Apostolicas declaravit) optimè sentit, suis privilegijs privare, sed potiùs nova eidem in his rerum ac temporum asperitatibus adijcere. Est autem ex ipsa Martini V. erectione notissimum privilegium, quòd solus Cancellarius ex judicio Facultatum promotiones faciat.

Secundò, Concilium Tridentinum salva vult esse in omnibus privilegia, Universitatibus Studiorum generalium, seu earum personis concessa, Sess. 25. cap. 6. de reformat.

Tertiò, Hoc modo contingeret, quòd Lovanij erigeretur cathedra contra cathedram, & intra muros unius urbis duæ essent Universitates, quas per aliquot dietas distare oporteret: una, quæ hactenus fuerit toto orbe Christiano famosissima, sub obedientia Rectoris: altera verò in unico Collegio, prorsus exempta ab obedientia Rectoris & Facultatum. Quæ concurrentia multarum erit discordiarum seminarium: id quod notius est, quàm ut probatione egeat. Ex qua etiam caussa non permittuntur duo esse Episcopi in eadem civitate, quod notissimi juris est.

IV. Si Societas passim extra Universitatem habeat Studiorum & promotionum Collegia, communi hominum judicio non pluris æstimabuntur promoti in Collegijs, quàm si in Schola particulari promoti essent. Quæ existimatio Ecclesiæ Dei valde noxia erit, cùm gradus non propter nos, sed propter alios accipiamus: nec aliud eis persuaderi poterit, quàm tantum & ampliùs differre Collegia ab Universitatibus, quantum Scholæ particulares ab ipsis universalibus in omnium opinione distant.

V. Et tamen sua Sanctitas vult eos pares haberi cum ijs, qui in Studijs universalibus promoventur. Quod est contra privilegia & statuta, quæ à Collegio nostro excludunt Bullatos & per saltum promotos. Multum quoque hactenus delatum est à populo Doctoribus Studij Lovaniensis: imò ipsi Baccalaureos Lovanienses tanti hactenus fecerunt, quanti Doctores bullatos & ocreatos, ut vocant.

VI. Vult etiam sua Sanctitas, quòd sic promoti debeant in Universitatibus, pariter atque inibi promoti, gaudere omnibus privilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, antelationibus & cæteris, quibus promoti in ipsis Universitatibus. Veremur autem, ne si id fiat, Lovaniensis Universitas, quæ suavissimorum fructuum plenissimum fuit alvearium, in incultum & neglectum convertatur desertum. Hac enim viâ priuilegia & statuta, cùm Universitatis, tum Facultatis

sacræ

facræ evertentur, fine quibus nullum corpus fubfiftere poteft. Erit quoque perpetuum diffidium cum Principe, Capitulo, Magiftratu, qui dicent fe fua privilegia ac ceffiones Vniverfitati feciffe, non Collegio. Nam fi nunc Vniverfitas ægrè pacem habere poffit cum prædictis, occafione fuorum privilegiorum, quantò magis augebunt difficultates, fi ea ad Collegia & eorum Scholares ac promotos extendantur.

VII. Collegia Societatis triennium impendunt Philofophiæ, & deinceps quadriennium Theologiæ. Quo fit,ut illi Doctoratu eos dignos judicent,quos noftra Schola nondum creat Baccalaureos. Noftra enim ftatuta exigunt pro forma Baccalaureatus annos fex, & deinceps pro Licentia annos tres aut quatuor.

VIII. Inde confequitur, quòd etiam juvenes ad Magifterium promoveantur,nondum ætate,facerdotio,judicio & prudentiâ maturi.

IX. Vniverfitas Lovanienfis habet felectos Profeffores, qui totam vitam fuam Scholæ impendunt. In Societate ferè ij ponuntur, ut in Collegijs doceant, qui recenter defierunt effe difcipuli.

X. Non funt in eorum Collegijs exercitia ea in difputando & refpondendo, quæ funt in celebri Vniverfitate; quæ tamen valde contra hærefes funt neceffaria.

XI. Cùm fpatio quadriennij unus Scripturam & alius Summam S. Thomæ dictando doceat, non fatis eorum difcipuli juxta exigentiam patriæ exercentur in controverfijs, contra hærefes,& in lectione Patrum.

XII. Diffolvetur difciplina Studioforum. Cùm enim fecundùm ftatuta audiendæ effent Lectiones publicæ, dicent fe ire ad Collegium Societatis. Quod Pontifex impediri non permittit.

XIII. Ferè omnes malent promoveri in Collegijs, quàm in Vniverfitate; quia fpatio quadriennij, & gratis. Dico, & gratis; quia nullos Vniverfitas per faltum fpatio quadriennij promovere volet: nec Collegia extra Vniverfitates agnofcere. Deinde quàm eft ignominiofum Facultati quoad divites jura concedere, & ei (quod proprium foret Facultati) judicium eruditionis fubtrahere.

XIV. Ac proinde perit Schola Lovanienfis, quam Carolus Audax nominavit *nobilius & honorabilius patriæ totius membrum*. Ex qua Philippus Rex Catholicus agnofcit *non paucos fingulares viros, tamquam fidei noftræ propugnacula, proceffiffe, & quotidie exoriri*. Ad hanc etiam nuper fcripfit Gregorius XIII. *Veftra opera ac labor affiduus in optimarum artium ftudijs juvandis, inq; Catholica fide tuenda, atque hæreticorum impietate-*

impietatibus confutandis illustris est: & pietas vestra, tam praeclari operis tam vilem mercedem, humanam nimirum laudem & gloriam, minimè exspectat.

XV. Postremò patria, quæ plena est hæreticis, implebitur hominibus indoctis, qui spatio quadriennij putabunt se totam Theologiam absolvisse: & audacibus, qui cùm nomen Doctorum habebunt, videbuntur sibi aliquid esse, neque hæretici cum ijs congredi formidabunt.

Credimus has & consimiles difficultates etiam Patres Societatis attendisse, & propterea noluisse eos prædicto privilegio hactenus in Belgio nostro uti.

Deliberata & Rationes Facultatis Artium.

RAtiones, propter quas Facultas Artium Academiæ Lovaniensis putat usum privilegiorum concessorum Societati IESV quoad Professionem Philosophiæ & gradus in ea conferendos sibi posse incommodare.

Primùm, Quia Lovanij sunt quattuor Pædagogia, in quibus Philosophicæ disciplinæ sufficienter pro quantacumque juventute traduntur, ut quinto Pædagogio opus non sit.

II. Quia Patres Societatis exempti esse volunt. Nullam in eos Facultas Artium circa studiorum ordinationem auctoritatem habebit, sed ipsi per se secundam Facultatem constituent nostrę non subordinatam. Quæ res inter nostræ Facultatis & Societatis Professores ac Studiosos contentiones & scissuras frequenter excitabit, quibus exsurgentibus non erit, qui eas auctoritate sopiat. Vnde etiam totius Reipubl. eversio consequi poterit; quemadmodum ex simili contentione Pragæ exorta Bohemiæ regnum perijsse, Aenea Silvio in sua Bohemica Historia referente, didicimus. Cujusmodi periculum meritò formidare possumus, Duacensium exemplo edocti, ubi rebus nondum benè confirmatis, primò seorsim promotiones suas Iesuitæ habuerunt, deinde cum alijs sese Pædagogijs conjunxerunt, aç postmodum iterum separaverunt: ita ut jam neque auctoritate neque ratione ampliùs induci se patiantur, ut ad instar nostræ Lovaniensis Facultatis communiter gradus suscipiant.

III. Et quoniam gratis ab ijs instituitur juventus, futurum est, ut Pædagogia nostra, pro quorum conservatione magnis hactenus impendijs laboratum est, prorsus concidant, Studiosis omnibus astu aliquo invitatis ad Societatis Scholas confugientibus, etiam ijs, qui in Pædagogijs forsan studere cœperint. Quem transitum etsi hactenus Facul-

Facultas Artium utiliter impediverit, jurisdictione in Iesuitas destituta impedire ampliùs non poterit.

IV. Fundationes quoque pauperum Studiosorum in Pædagogijs nō solùm rarescent & minuentur, sed prorsus evertentur, quæ sunt; aut avertentur, quæ nondum sunt erectæ: nec erit relictus modus aut conservandi Pædagogia, aut alendi Professores in eisdem. Et ita auferetur usu publico & auctoritate Pontificum Principumque hujus patriæ confirmata consuetudo celebrandi Actus publicos, quò honorentur discipuli, qui profecerunt, ex quorum largitione aluntur Professores.

V. Antiquitus etiam observari solitum est, non erigi Vniversitates nisi minimùm tribus dietis distarent; & hoc justissimis de caussis. Ex hujus autem privilegij usu futurum est, ut Leodij & ubivis locorum multæ constituantur Artium Facultates, cum certa hujus nostræ pernicie. Futurum quoque est, ut gradus, quos in honore esse expedit, penitus evilescant, si pro numero Collegiorum Societatis multiplicentur Facultates: neque alio loco futuri sint graduati, quàm quos vili vocabulo Bullatos & Caminarios appellare consuevimus.

VI. Alia insuper ex hac re emerget noxa circa privilegium nominationis nostræ Facultati Artium concessum, quo fortassis contentiosè uti volent, qui ab eis promovebuntur; cùm tamen non nisi in gratiam pauperum Professorum Academiæ Lovaniensis datum sit.

VII. Et quamquam privilegium Societati concessum pauperibus Studiosis suffragari videatur, nihil tamen ampliùs hinc consequentur pauperes, ut qui etiam hactenus ex decreto Facultatis nostræ gratis & ad studiorum exercitia & ad gradus admissi fuerint. Nec verisimile nobis est, quòd Patres Societatis semper gratis docebunt, nisi fortè de publico alantur, quod cedet in gravamen patriæ; aut etiam quòd semper docebunt, qui quavis occasione ab hoc instituto revocari à suo superiore poterunt, etiamsi ex animi sui sententia de domibus ac sumptu eis sit provisum. Quemadmodum vidimus non ita pridem Lovanij eos, ejectis omnibus convictoribus, quos admiserant, dimisisse eos etiam quos habebant Professores: & in plerisque locis, ubi Collegia habere cœperunt aut gravatè docent, quia dicunt se Professores alere non posse, aut reliquas Scholas sublatas esse volunt.

VIII. Denique exemplo horum cæteri Ordines quoque fenestram sibi apertam putabunt ad obtinendum similia privilegia, quia neque illis desunt eruditi viri. Nam & Benedictini olim, referente B. Gregorio, & aliorum institutorum Religiosi, juventuti instituendæ strenuam operam navaverunt, qui tamen paulatim opibus aucti

hoc officium deseruerunt. Id quod huic etiam Societatis Iesu instituto quantumvis nunc florenti evenire posse existimamus.

His ita ex parte Facultatum, tum S. Th. tum etiam Artium, utrimque deliberatis, placuit inde nomine Vniversitatis concipi litteras, easque ad supremum Brabantiæ Senatum transmitti. In quo de hac controversia, Patrumque Societ. prætensione, nihil ulteriùs actum aut tentatum fuit, usque ad annum CIↃ. IↃ. XCIV. quando eadem Societas, nacta patronum ac Mæcenatem Rev.^mum D. Episc. Antverpiensem *Levinum Torrentium*, seriò cogitare cœpit de novo Philosophiæ seu Gymnasio seu Seminario erigendo, ut idem Rev.^mus Dom. in suis ad D. Rectorem & Vniversitatem litteris eam Scholam indigetat, quarum hic tenor est.

Magnifici, Rev. & doctissimi viri. Cùm ab eo tempore, quo primùm litteris instructus Lovanij, alias quoque provincias accessi, ac tandem divino fretus auxilio in patriam reversus sum incolumis, nihil magis desideravi, quàm occasionem aliquam dari, quâ accepti memor beneficij de Lovanio vicissim benè mereri atque animi gratitudinem aliquam ostendere possim. Successit res non omninò infeliciter: quod enim ex peculio honestè parto superfuit, id erigendo apud Patres Societatis IESV Philosophiæ Gymnasio cœpi impendere, in magnum Academiæ vestræ, ut mihi visum est, commodum & bonum, nihil cuiquam detrahens, sed seriò dans operam, ut toti corpori benè esset. Nam cùm de republ. in universum agitur, non quid singulis, sed quid in universum profuturum sit omnibus, considerare convenit. Accidit tamen, uti plerumque fit in naturali quadam hominum ad dissentiendum inclinatione, ut nonnulli ex Facultate Artium, quam vocant, acriter se opponerent. Dico, nonnulli; quia mandatum de se opponendo legitimè conceptum nullum hactenus vidi, sed epistolam tantùm, quâ me à proposito deterrere & aliò inclinare conati sunt. Ad quam tametsi modestissimè, &, ut puto, non imprudenter respondi, illi tamen pergunt obsistere, & nescio quid moliri, ut auctoritate Regis ejusve Concilij impeditus à sententia discedam. Quod, ut liberè dicam, nullo umquam modo impetrabitur: nemo enim quid cui conferam mihi præscribat, rerum mearum qui sim dominus, sed efficient fortassis illi, ab ingratis ut aliò me convertam: quod tamen non facilè neque temerè fiet, nam Lovanium amo. Liberum credo erit, Patribus sanctæ Societ. nominis Iesu benefacere, & apud eos novum Philosophiæ seu Gymnasium seu Seminarium erigere, quò tametsi nemo nisi Societati jam addictus accesserit, satis inde magnum toti orbi Christiano

Christiano accedet commodum, & præsertim provincijs nostris Belgicis, quod quotidie experientiâ sentimus & quasi manu tangimus. Quæ ergò ista invidia est, ut tanti boni fructum non percipiant etiam alij, qui ad Patres discendæ Philosophiæ caussâ confluere & ipsi volent? Deum testor, quòd si aliud occurrisset consilium, quo Academiæ isti plus prodesse potuissem, secutus illud fuissem; verùm sæpè ac multum cogitanti nullum occurrit. Et alioqui, non obstantibus quibuscumque Facultatis Artium privilegijs, docere possunt Patres Societatis prædictæ intra septa Collegiorum suorum quicquid placuerit, instituto Ordinis sui non contrarium. An fortè sacram Theologiam docentes Lovanij à Philosophia arcebuntur? Quis ergò horum sese opponentium finis? nempe ut magna cum invidia nihil proficiant, ubi si unà mecum ornandæ atque illustrandæ isti Academiæ velint incumbere, Pædagogijs etiam suis profuturi sint plurimùm. Quicquid sit, viri Amplissimi, æquitate vestrâ impetratum cupio, ut, quoniam Magistratus atque adeò civitas ista tota, consilium meum laudat atque approbat, & ut pergam in proposito me rogat, vestram quoque sententiam mihi declarare non gravemini. Idque eò ardentiùs peto, quòd ex quorumdam litteris intellexerim, non solummodò Artium (quas vocant) Facultati propositum nostrum displicere, verùm alijs quoque Professoribus primarijs.

Quod tametsi ita esset, ægrè tamen desisterem, & displiceret vehementer. Durum enim esset homini ingenuo invitis atque ingratis benefacere. Ego tamen nullam nisi à solo Deo vel gratiam vel mercedem exspecto: cujus etiam clementiæ, quantis possum precibus, vos commendans, vel tribus tantùm verbis ad Epistolam hanc meam responsum exspecto. Antverpiæ prid. Nonas Maij an. CIↃ.IↃ.XCIV.

Responsum verò ad has Episcopi litteras nomine Vniversitatis datum fuit tenoris sequentis.

S. P. Reverendissime Domine, Litteras tuas prid. Non. Maij istic scriptas, post pauculos abinde dies P. Florentinus nobis reddidit: quæ toti Vniversitati, propter eximium Reverentiæ T. in eam studium atque amorem, fuerunt acceptissimæ. Itaque gratias tibi hoc nomine immortales agimus, rogamusque anxiissimè, ut perpetua sit & constans hæc tua in nos benevolentia: pro qua vicissim te constanti observantiâ reverenter colere desideramus, præsertim quòd ad hunc tuum in nos affectum pietas etiam tua & conjunctæ cum pietate eximia prudentia ac eruditio id mereantur. Quò magis nobis dolet, quòd in hoc tuo instituto, quo per Patres Societatis prodesse Lovanio cogitasti (sed

 veniâ

veniâ præfatâ dictum hoc volumus) judicio cum R. T. nobis nequeat convenire, & quidem ob caussas graves ac incommoda ejus generis, ut non sola Facultas Artium, minùs verò pauculi quidam ex eo numero, sed quotquot ex consilio hujus Vniversitatis sunt, nisi his discussis admitti hoc institutum non posse, plerique verò omnes sic etiam sentiant, quasi discutiendis his nulla sit ratio, certè non undiquaque tuta & secura. Quæ omnia, quando R. T. placuit nostram de hac re sententiam exquirere, paucis & candidè hîc exponemus. Et primò quidem illud æquitatis ac justitiæ ratio postulat, ut nemini jus suum aut tollatur aut minuatur sine ratione ac immerenti. Hoc si R. Tua æquum in Societate judicat, & ob id, non obstantibus quibuscumque Facultatis Artium privilegijs, Patres dictæ Societatis intra septa Collegiorum suorum docere posse judicat quicquid placuerit, instituto Ordinis sui non contrarium, doceant sanè etiam Philosophiam inter Collegiorum suorum septa, hoc est inter eos, qui nomen instituto eorum dederunt seu novitios seu provectiores. Sed cùm Facultas Artium inter cætera etiam illud privilegium habeat, ut extra Pædagogia & Scholas ejusdem Facultatis nemini Philosophiam liceat publicè profiteri; quod hactenus ita sartum tectum conservatum eis est, ut quotquot aliquando contrà facere tentarunt, mox fuerint repressi: nec Patribus Societatis licere debet publicam Philosophiæ Scholam omnibus promiscuè aperire, & turbare Facultatem in hoc privilegij sui usu. Nec verò invidiæ notam meretur hæc privilegij tuitio, in ijs præsertim, qui ipsi ab omni tempore tam præclarè hoc institutionis Philosophicæ munere perfunguntur. Nam si reputamus, quàm multi ex eorum Gymnasijs, & nostrâ & patrum nostrorum memoriâ, & quàm eximij viri prodierunt; quo in numero *Hadrianus VI.* Pont. Max. *Martinus Rithovius*, primus Iprensis Episcopus, qui in Falconis Pædagogio docendo exercitati, postea Theologiæ celeberrimi Professores extiterunt; *Petrus Curtius*, qui in Lilio, & post illum *Remigius Driutius*, Brugenses Episcopi; *Cunerus Petri*, Leovardiensis Episcopus, qui in Castrensi; *Ioannes Sixtus*, Audomarensis Episc. *Petrus Pintaflorus* Tornacensis, & post illum *Gislenus Vroedius*, insignis nuper Mechliniensis Archiepiscopi Suffraganeus, qui in Lilio: non debet profectò nos hujus Facultatis, aut officiorum ejus, in hoc genere pænitere. Vt non dicamus de *Michaele Baio*, *Ioanne Lensao*, *Gabriele Mudao*, *Vulmaro Bernartio*, *Augustino Hunnao*, *D. Goudano*, *Crocardo*, *Estio*, *Rubo*, *Bartholomao Petri Lintrensi*, qui omnes è sinu Facultatis Artium, in qua Philosophiæ Professores antea fuerant, ad superiores

postea

postea Facultates cum laude tractandas transierunt. Quin & ipsi illi, quos Patrum Societas in illa Professione claros habuit, quos habet, *Ioannes Snellius*, Duaci in Aquicinctensi Collegio Philosophiam multis annis cum laude fertur docuisse, *Ioannes Pistorius, Ioan. Servius, Leonardus Lessius, Franciscus Fleronimus*, & alij complures, ex his ipsis Scholis suxerunt Philosophiæ præcepta, quæ ad alios postea derivaverunt. Nec in mentem R. Tuæ veniat languisse jam studium Facultatis hujus: quin illud pro certo habeat, elegantiùs, puriùs, diligentiùs, nunc in ea Philosophiam doceri, quàm umquam antè. Non est ea scholarum frequentia, quæ olim; sed nec eadem temporis ratio. Vastitatem hæc tempestas in opidis, in agris fecit: an in Scholis solitudinem secutam miramur, aut Facultati hoc adscribimus? Injuriam ei facimus, quæ numquam minori cum compendio, numquam accuratiori studio munere suo est perfuncta. Quare ergò de gradu eam deijci sinamus? Nam, ut verbo dicamus, hoc illud est, quod ex novo isto Gymnasio necessum est evenire, si illi instructi tam amplâ dote juventutem gratis instituant, quod dicunt aliter sibi per ordines seu regulas non licere, neque sperandum quidem, ut aliqui ad Facultatis Scholas veniant, quàm soli ipsorum beneficiarij, quos Bursales vocamus, à quibus nec Regentibus nec Magistris alendis fructus capi potest. Porrò ad hanc Facultatis profligationem, quæ jam prævidetur, palpatur, tangitur, planè mutatur status publicus totius Vniversitatis, cujus hæc Facultas quintum membrum est, & aliarum Facultatum velut matrix. Nec in Patrum Societate hanc Facultatem & cum ea pristinum Vniversitatis statum servari posse putandum est; cùm ea Rectori aut Vniversitati nolit subijci, & in eo præjudicium verti existimat suæ exemptionis. Quæ res etiam illud efficit, ut quamvis stare cum hoc Patrum Gymnasio etiam aliæ Facultatis Scholæ quaquâ ratione possent, concordiam tamen inter eos constare posse ne sperandum quidem sit; cùm soluta legibus Facultatis atque Vniversitatis Patrum Schola nec in modo, nec in forma instituendi, nec in temporis ratione se ad alios vellet flectere, aut vivere communi lege: ex quo continua discordiarum metuenda occasio, res bonis studijs maximè adversa. Nunc illud cùm animo suo rectè reputet Reverendiss. T. G. si illustri tuo beneficio adaucti Patres non ita multò fortassis post te, alijs Facultatis Gymnasijs jam profligatis, institutum hoc Philosophicæ Scholæ ac Professionis deserant, quis restituet nobis hoc studium & Dei Ecclesiæ & Reipubl. adeò necessarium? Numquam hoc facient, dicet aliquis. Speramus id quidem, & deceret illorum pietatem: sed quando in alijs

nonnullis Religionum Ordinibus hujus generis instituta mutatâ ac relicta fuisse cogitamus; quando hujuscemodi desertionis exempla etiam in hac ipsa Societate nostro tempore ipsi vidimus; quando expendimus, huic periculo vix ullâ ratione caveri posse, dum sub obtentu voti obedientiæ, ad nutum suorum Superiorum, omnibus se legibus solvunt, dum illis pareant: interest profectò publicè omnium, non nimium niti hac incertâ fiduciâ, nec certa cum incertis commutare. Interest privatim id tua, Reverendiss. Dom. ne destruas, dum cogitas de ædificando, & quod pro utilitate publica consilium capis, vertat Reipubl. in damnum. Hæc à nobis bonâ fide ex mandato tuo dicta ut æqui bonique consulas rogamus, & animum interim benefaciendi huic Vniversitati non deponas, ac de cætero ita de nobis sentias, ut de his, qui omnia tuâ caussâ volunt, quæ modò per fidem ac religionem liceant. Lovanij XIII. Kal. Iunias CIƆ. IƆ. XCIV.

Itaque patrocinio nixa hujus sui Mæcenatis ac benefactoris (qui & moriens anno CIƆ. IƆ. XCV. VI. Kal. Majas Collegio Lovaniensi ingentem pecuniarum summam ad eum finem legaverat, cujus propterea Fundator in Epitaphio nominatur) Societas, obtentâ ad hæc privilegij sui approbatione sive placeto, ut vocant, in secretiori Regiæ Ma.tis Concilio, publicavit mox programmate valvis templorum, Scholarum ac Collegiorum affixo, auspicia Lectionum Metaphysicarum in diem XXIII. Ianuarij an. CIƆ. IƆ. XCV. Visum hoc insolens Facultati in primis Artium, totique adeò Vniversitati, quæ propterea conatui hujusmodi statuit totis viribus obsistendum esse, rata id futurum non solùm cum præsentaneo Facultatis præjudicio, sed & Pædagogiorum omnium certissima ruina. Tolerandum non videbatur perire Vniversitati tam nobile illius membrum fæcundum superiorum Facultatum, & potissimùm S. Theologiæ, seminarium. Quamvis enim solas Metaphysicas promitterent Lectiones, tamen verbo & scripto palàm & passim jactitabant, se veluti quintum Pædagogium erigere velle, atque in eo cursum Philosophicum, quando hoc ipsis visum foret, inchoare. Nullâ in primis id postulante necessitate, quandoquidem hactenus, etiam antequam nata esset Societas, in dictis Pædagogijs audita Philosophia ita suffecerit, ut ex ejus institutione innumerabiles utriusque ordinis viri summi, toti orbi notissimi, prodierint. Movebat & illud, quòd gratis, & (ut loquebantur) more institutoque suo essent docturi Societatis Professores, non verò ad leges constitutionesque publicas Academiæ Facultatisque. Nam

Facul-

Facultas in quattuor suis Pædagogijs unicum, eumque constantem, statutis suis & prisco usui consentaneum, observat modum: diversum ab eo, quem pro docentium diversitate alium atque alium sequitur servatque Societas. Quæ etiam nunc textum Aristotelis obiter dumtaxat prælegendo, nunc eumdem vix attingendo, varijs dumtaxat Quæstionibus cursum Philosophicum absolvere consuevit. Eadem docendi ratio Professorum Societ. nexum illum communis promotionis ad Licentiam in Artibus, non sine multo fructu hactenus in Facultate Artium observatum, non parum conturbatura allegabatur; propterea quòd non absque diffidentia hinc inde exorta de juvenum permixtorum doctrina & præferentia certum ferri posset judicium. Quem tamen mixtionis nexum tamquam utilem atque etiam necessarium retineri oporteret, quicquid alij in contrarium dicant aut sentiant: tum ut pro honesta hac æmulatione Magistris docentibus, ipsisque etiam discipulis, ut alacriores sint, calcar addatur: tum verò maximè, ut extrema vota piorum Fundatorum non defraudentur, qui tenuioris fortunæ juvenibus, quibus certus atque honestus in promotione obtigerit locus, Bursas, ut vocant, & adminicula plurima in superioribus Facultatibus reliquerunt.

Quibus, alijsque ex parte Vniversitatis in supremo Brab. Concilio per modum querimoniarum propositis, conclusit eadem Vniversitas, petijtque se, Artiumque Facultatem, & illius Pædagogia, in possessione pacifica, quieta, ac tanti temporis, cujus apud homines non erat memoria, contra omnes & singulos, ipsamque in primis Societatem Nominis IESV, manuteneri, juberique Societatem ab hujusmodi conatu supersedere & cessare: vel saltem, si ullas omninò Philosophiæ partes doctura esset, id non priùs neque aliter facere permitteretur, quàm ijs legibus aut conditionibus, quas Facultas tamquam maximè consentaneas & conservandæ paci necessarias fore judicaret. Inter quas præcipuæ erant hæ, I. Vt ante omnia dos competens & sufficiens, eaque stabilis & frugifera, quattuor Pædagogijs attribueretur, & tanta, quò Regentes ac Professores inde sustentari possint. II. Vt Rectori Vniversitatis & Decano Facultatis Artium, eorumque statutis & legibus, aliorum Religiosorum in Vniversitate docentium more, Professores Societ. quamdiu tales essent, subijcerentur.

Posteriorem hanc conditionem Societas simpliciter rejecit quoad Religiosos suos, tam docentes quàm discentes; seque tuebatur cùm alijs rationibus, tum exemplo Collegij Duacensis, quod Pius V. cùm ibidem de simili subjectione ageretur, Brevi speciali à jurisdi-

ctione

ctione illius Universitatis exemptum esse voluit: admisit verò quoad Regentem convictorum, Præfectos, eorumque administros, cum convictoribus & universa juventute. Circa primam verò conditionem variè disceptatum fuit: ipsaque Curia Brab. interpellata super hac difficultate decreverat, ut Societas ante omnia procuraret Pædagogijs media, per quæ & ipsa in posterum possent gratis & pari cum Societate conditione docere atque consistere.

Tandemque controversiâ omni delatâ ad secretius R. M. Concilium, assumptis è Concilio Brab. Commissarijs quattuor, anno CIↃ. IↃ.XCV per decretum provisionale, signatum in castris ad Cameracum prid. Kal. Septemb. permittitur dictæ Societati in Universitate Lovaniensi habere Seminarium sive Collegium Lectionum publicarum ac promotionum in Philosophia; eâ inter alias conditione, quòd, quia Societas ex instituto solet docere gratis, & sine exactione didactrorum, donec similiter in Pædagogijs doceri gratis posset, constitutâ eapropter dote competenti, discipuli, qui ex ipsa Societate non essent, Scholas ejusdem Societ. visitantes, tenerentur per provisionem solvere eadem salaria, quæ hactenus in alijs Pædagogijs, nomine minervalium ac didactrorum, solvi Regentibus ac Professoribus consuevissent. Quodque familiæ tum convictorum, tum aliorum, & Studiosi omnes de Societate non existentes subijcerentur jurisdictioni ordinariæ Rectoris dictæ Universitatis & Decano Facultatis Artium, ad eum modum, quo in alijs Pædagogijs: uti & Magistri pro eo tempore, quo in functione ista erunt. Salvo, quòd non tenebuntur statutis aut juramentis, eorum professioni repugnantibus &c.

In vim hujus decreti, eodem anno, ipsis Kalen. Septemb. affixione publici programmatis, professi fuere Societ. Magistri sese auspicaturos explanationem librorum *M. T. Ciceronis de Oratore ad Q. Fratrem*, unà cum Prælectione Græca ex *Epicteti Philosophi Enchiridio*, & Dialecticarum præceptionum, ad Philosophiam seu cursum Philosophicum proximis Kal. Octobrib. inchoandum, præexercitamentis.

Ex parte verò Universitatis protestatione solemni adversus hujusmodi conatum Societatis interpositâ, querela hujus rei delata fuit ad Sedem Apostolicam: apud quam pro Universitate potissimùm adlaboravit *D. Gerardus Vossius*, S. Th. Doctor Romanus, & Præpositus Tungrensis, ejusdem Universitatis aliquando alumnus, qui & Breve procuravit Apostolicum, quo Pontifex strictè mandat Patribus Societ. cœptam Lovanij Professionem Philosophicam abrumpant & ab ea in posterum abstineant. Tenor autem Brevis est talis.

Dile-

Dilectis filijs, *S. Gertrudis* intra, & *S. Mariæ Parcensis*, extra muros opidi Lovaniensis, Monasteriorum Abbatibus, vel eorum alteri, CLEMENS Papa VIII.

Dilecti Filij, Salutem & Apostolicam benedictionem. Accepimus nuper, dilectos filios Clericos Societatis IESV Lovanij commorantes, de mense Octobris proximè præteriti, cuiusdam decreti ac mandati à Curia Regia Bruxellensi obtenti vigore, siue aliàs, contra privilegia ab Apostolica Sede Vniversitati Studij generalis opidi Lovaniensis, Mechliniensis diœcesis, concessa, in suis Scholis, ipsâ Vniversitate reclamante, cursum Philosophiæ, nempe Logicam & Physicam, in eiusdem Vniversitatis præiudicium, auspicatos fuisse. Quapropter Nos, qui Apostolicorum privilegiorum observationi, ac pacis & concordiæ inter Ecclesiasticas personas & Catholicas Vniversitates conservationi prospicere pro nostra pastorali cura tenemur, Vobis & vestrûm cuilibet per præsentes committimus, ut statim, visis præsentibus, prædictis Clericis seu Religiosis prædictæ Societatis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac etiam sub Ecclesiasticis sententijs, censuris, ac alijs, arbitrio vestro vel alterius vestrûm infligendis, & ipso facto incurrendis pœnis, auctoritate nostrâ mandetis & præcipiatis, ut à dicta Logica & Physica in suis Scholis docenda, statim, omni morâ postpositâ, abstineant, nec eas ulterius doceant, donec nos, ad quos huiusmodi iudicium spectat, quid ea de re statuendum sit, maturâ consultatione adhibitâ, pro bono eiusdem Vniversitatis, & pace utriusque partis, deliberaverimus. Per præsentes autem non intendimus eisdem Clericis dictæ Societatis prohibere, quò minùs in suis Scholis Metaphysicam, necnon cæteras disciplinas seu facultates, quas ibidem docere ab Vniversitate permissi sunt, posthac profiteantur. Non obstantibus constitutionibus ordinationibus Apostolicis, cæterisq; in contrarium facientibus quibuscumque. Datum die XXII. CIↃ. IↃ. XCV. *Anno Pontificatus quarto.*

Atque ita tandem paci ac tranquillitati Vniversitatis Facultatisque abundè consultum videbatur: verùm denegatis litteris Placeti, ut vocant, in Concilio secretiori Regiæ S. M. prohibitioneque factâ prædictis DD. Abbatibus, Breve hoc mandari executioni non potuit.

Interea in Belgium venit Sereniss. Princeps *Albertus*, Card. Austriacus, qui mox de caussa hac interpellatus, deque ea pleniùs instrui cupiens, petijt deputari mittique ad se aliquos è gremio Vniversitatis, quibuscum agat de modo ac conditionibus, quibus controversia hujusmodi sopiri possit, & pax ac concordia stabilis iniri inter Vniversitatem & Societatem. Datæ signatæque litteræ die XXIII. Febr. an. CIↃ. IↃ. XCVI. Exposita tunc fuit ex parte Vniversitatis per ejus

delegatos Suæ C. tota rei hactenus gestæ series, simulque exhibita gravamina, Facultati Artium ac Pædagogijs ex nova ac quinta hac Schola Philosophica imminentia, quorum etiam caussâ Sedis Apostolicæ implorationem cogitare coacta fuit.

Dum hæc in Belgio aguntur, nuntiatur Româ Suam Sanctitatem curasse ibidem eodem anno, mensis Martij die XVI. novum Breve (cui prius illud erat insertum) dirigi & intimari ipsi P. *Claudio Aquaviva* Generali Societ. quo in virtute S. obedientiæ eidem præcipiebat ac mandabat, ut sine mora illud executioni, non obstantibus quibuscumque, mandandum curaret apud Patres Iesuitas Lovanij commorantes, sub pœnâ excommunicationis quoad ipsos, eo ipso, si non mox paruerint, incurrendâ, & alijs gravioribus, arbitriò suæ Sanctitatis infligendis. Debebant autem Patres Lovanienses intra duos menses per publicum instrumentum atque authenticum docuisse Romæ, se paruisse omninò mandatis Apostolicis. Sequitur tenor Instrumenti.

Anno Dom. millesimo, quingentesimo, nonagesimo sexto, mensis Aprilis die decimâ, horâ septimâ ante meridiem, Lovanij in Collegio Societ. nominis IESV, in Schola, in qua Logicam Patres Societ. profitebantur, comparens personaliter Venerabilis D. P. *Iacobus Stratius*, dicti Collegij Rector, coram P. *Tonsano Thomao*, Logicæ in eodem Collegio Professore, & toto auditorio ibidem congregato, & me Notario publico, ac testibus infrascriptis, declaravit, quòd, acceptâ Sanctitatis suæ jussione, ut à Logica & Physica Societas desisteret, donec aliud suæ Sanctitati videatur, nihil prius habuerit obedientiâ Sedis Apostolicæ. Itaque nunc de facto se obtemperare, & profiteri, Societatem actu desistere, nec resumpturam Lectiones Logicæ & Physicæ, donec aliud suæ Sanctitati videbitur. Et quod ad Metaphysicam & cęteras Facultates, quas in mandato suo Sanctitas sua Societati permittit, monebit suo tempore, quid quando sit inchoatura: atque ita auditorium fuit dimissum. De & super quibus præmissis præfatus D. P. *Iacobus Stratius* Rector petijt sibi à me Notario publico infrascripto fieri instrumentum & instrumenta, præsentibus ibidem providis & discretis viris M. Ioanne Schelckens & Francisco Veranneman, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis. Et erat subscr. *Conradus Sylvius* &c.

Præscripta autem omnia & singula, eodem anno, mense & die, quibus suprà, idem P. Iacobus Stratius insinuavit & intimavit CL. V. Ioanni Vuiringo, I. V. D. & Prof. pro tempore Rectori Mag. nomine totius Vniversitatis, qui & eamdem insinuationem sic, ut præmittitur, factam acceptavit.

Sub

Sub idem ferè tempus præfatus Pont. *Clemens VIII.* ad *Albertum* Archiducem misit sequens Breve.

Dilecto Filio nostro *Alberto* tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Card. Archiduci Austriæ nuncupato, & Provinciarum Belgij Gubernatori, CLEMENS Papa VIII.

Dilecte Fili noster, Salutem &c. Bonarum artium studijs pro nostro pastorali officio favere cupientes, præcipuâ charitate complectimur Insignem Academiam Lovaniensem, unde quamplurimi doctrinâ præstantes viri omni tempore prodierunt. Itaque cùm superioribus diebus nonnullæ controversiæ excitatæ essent inter Decanum & Facultatem Artium, quam appellant, in eadem Academia, & dilectos filios Clericos Societatis Iesu; ad pacem & quietem conservandam, & ne quid detrimenti res litteraria pateretur, ea statuimus & decrevimus, quæ valde in Domino utrique censuimus expedire. Sed quoniam interdum aliqui, ut audimus, aulici & Consiliarij humano affectu, ne quo graviore verbo utamur, discordiarum semina alunt, & quæ constituta sunt labefactare moliuntur, ob eam caussam Circumspectionem Tuam magnopere hortamur, ut huiusmodi homines coërceas, neve ulla ex parte quæ rectè constituta sunt convelli permittas; sed privilegia Vniversitatis & Academiæ illius, pro tua virtute & propensione erga doctrinæ studia, à nemine violari patiaris. Tibi verò nominatim commendamus Decanum & Facultatem Artium supradictam, ne quid ei molestiæ iniustè afferatur, ut Te Gubernatore in Belgio, & Catholica Religio vigeat, & bonæ artes & disciplinæ floreant, & doctorum virorum, qui patriæ usui sint, magna copia atque ubertas existat. Quibus de rebus tecum etiam nostro nomine aget Venerabilis F. Episcopus Tricaricensis, noster Apostolicus Nuntius, cui ut fidem de more habeas, à te petimus. Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris die XI. *Octobris,* CIↃ.IↃ.XCVI. *Pontificatus nostri anno quinto.*

ANNO CIↃ.IↃC.XII. cœpit Societas Lovanij prælegere domesticis suis Philosophiam, idque cum pace Vniversitatis. Quæ tamen verita, ne se res illa latiùs extenderet, & domesticis Societatis tandem etiam accederent externi, Religiosi vel sæculares, in damnum Pædagogiorum, destinavit ad Collegium Societ. primarios ex qualibet Facultate Professores, monituros, ut Societas memor prohibitionis per *Clementem VIII.* factæ, ad Lectiones suas Philosophicas ne

unum quidem, ob caussam consequentiæ, externum, Religiosum vel sæcularem, admitteret. Respondit è Societate non-nemo: *Si vultis nos ita stringere, videte, ne extra Belgicam Schola erigatur Philosophica, quæ rebus vestris plus obsit, quàm si nos Lovanij Philosophiam profiteremur.* Replicatum est: *Videbit Vniversitas, an id vobis per sua liceat privilegia*; atque ita est discessum, nec aliud scitum, quàm quòd Societas prædictæ monitioni Vniversitatis fecisset satis.

Verùm anno insequenti, instructâ Leodij Scholâ, à PP. ejusdem Societ. per publica programmata impressa publicatæ fuere Lectiones Philosophicæ Academico ritu instituendæ. Quæ quidem publicatio non parum turbavit Vniversitatem. Vidit enim sic iam antè memoratas Societatis minas ad effectum deduci, ipsamque illam Scholam Scholis Vniversitatis diminutionem, si non ruinam, minari; quòd Societas è Scholis suis litterarijs, quas in Belgio habet permultas, juventutem Belgicam, Belgicis præteritis Vniversitatibus, ad Philosophicam Scholam Leodiensem esset destinatura. Vidit insuper institutum hoc sibi, atque adeò instituto Vniversitatum fore, & esse injurium. Nisi enim Vniversitatibus reservetur proprius quidam tradendarum disciplinarum modus, nullus ad eas discipulorum fiet concursus. Quod enim passim invenient destinato loco, per graviora impendia non quærent, & sic Vniversitates, concursus sui universalitate destitutæ, redigentur in solitudines.

Imploravit itaque contra imminentem hanc ruinam atque injuriam Vniversitas patrocinium Archiducis sui *Alberti*, missis ad eum tunc Mariæmontij agentem è corpore suo delegatis aliquot, quibus & suos junxit Magistratus opidi Lovaniensis, qui quantum is conatus Academiæ isti obfuturus esset proponerent. Quibus auditis, Sereniss. Princeps, ex Concilij sui sententia, judicavit omnimodò obviam eundum dicto conatui. Ideoque ad P. Provincialem provinciæ Belgicæ in primis scripsit, uti mox ad se veniret, aut si per valetudinem minùs liceret, aliquem mitteret, qui de dicto conatu responderet, & cum Principis Concilio ageret: monendo, ut interea nihil Leodij novarent; alioqui cogendum se ostendere, quantum ejusmodi novitates sibi displicerent. Per invaletudinem verò Provincialis missus est P. *Florentinus*, Rector tum Collegij Leodiensis, quo cum multis à Concilio Principis actum est; illo ex mandato Principis Leodiensis institutum hoc susceptum esse affirmante, multaque alia allegante, quæ & dicti Commissarij & Consiliarij ipsi facilè refutabant. Iste cùm animadvertit, quæ mens esset Principis ac Concilij, subitò Bruxellâ Leodium recessit,

cessit, & mox inchoandas Lectiones curavit; jam enim Kal. Octobres advenerant. De quo postquam in Concilio Principis constitit, missæ mox à Principe aliæ sunt litteræ ad dictum Provincialem, quibus se clausurum Duacenses Societatis Scholas Philosophicas minabatur, nisi Leodij desisterent. Eæ litteræ cùm perlatæ essent ad Provincialē malè habentem, excusatorias Socij ad Principem miserunt, quòd per invaletudinē Provincialis litteræ Principis ei tradi non possent sine periculo, adjunctis Medicorum attestationibus. Quibus visis, Sereniss. Princeps motu proprio mandavit Concilio concipiendas alteras ad Rectorem Collegij Duacensis in eamdem sententiam: sed ejus rei conscij Socij prævenerunt dictarum litterarum scriptionē, misso *P. Ioanne Servio*, cum Procuratore provinciæ Belgicæ, qui tentato Mariæmontij Principis aditu, sed non obtento, remissi sunt ad Concilium, apud illud exposituri, quod vellent. Sed mora tantùm per hoc quæsita fuit, petitis induciis trimestribus, ut interea cum Generali suo agerent. Tandem Concilium resolutionem suam ad Principem misit, ad quem iteratò Commissarij Academici & opidi Lovaniensis profecti, demùm obtinuerunt, ut Princeps decreverit, secundùm Concilij sententiam, per alteras litteras mandandum esse, uti Duacenses Philosophicæ Societatis Scholæ claudantur, donec occludantur Leodienses, insuperque decretum est, ut subditi omnes S. C. à Scholis Leodiensibus revocentur. Dictæ autem litteræ à Concilio conceptæ & à S. Cels. signatæ, die XIX. mensis Novembris transmissæ sunt. Interea *P. Leonardus Lessius*, cum aliquot Socijs, postremò putans se aliquid præ cæteris obtenturum ad Principem profectus est, & ab eo auditus inducias petijt, donec à suo Generali litteras accepisset. Sed nihil obtinuit, Principe in pristina sua sententia persistente, ac respondente, subditos suos sibi magis curæ esse debere, quàm extraneos. Et ita re infecta die XX. Novemb. domum redijt.

Societas itaque elegit potiùs Leodij abstinere, quàm Duaci, Professionemque Philosophicam Leodiensem mense Decembri non quidem absolutè deseruit, sed in manus Episcopi Leodiensis coram ipsius in spiritualibus Vicario resignavit. Princeps verò Leodiensis, introductis in auditorium (quod Societas longè supra centum ex adolescentibus etiam Belgicis congregârat) Professoribus sæcularibus, videbatur Scholam illam in eadem cum Societate forma velle continuare, ut doceretur, uti dictum est, more Academico. Cùm autem ad labefactandam Vniversitatem id non multò minùs valeret, Commissarij ejusdem Vniversitatis atque opidi Lovaniensis, qui negotium

prius apud Archiducem transegerant, unà cum tribus Ordinum Brabantiæ Delegatis, Leodium ad Principem Electorem Episc. Leodiensem profecti sunt, & re coram explicatâ, à Sereniss. Electore obtinuerunt, uti Schola Philosophica Leodij in posterú esset Schola Seminarij diœcesani, Professores sæculares, materia Dialectica & Physices rudimenta, juxta methodum *Franc. Titelmanni*, auditores pauperes diœcesani. Per quas conditiones acceptâ satisfactione Vniversitas conquievit.

ANNO CIↃ. IↃC. XVIII. R. P. Provincialis Societ. arreptâ occasione ex Visitatione Vniversitatis Lovaniensis à Sereniss. Principibus *Alberto* & *Isabella - Clara - Eugenia* per suos Commissarios factâ, auctoritate & confirmatione Pontificiâ accedente, in qua, inter alia, quod quidem ad Facultatem S. Theol. attinet, statuitur, conformiter statutis & ordinationibus dictæ Facultatis, *quòd deinceps admittendi ad gradus Scholasticos in S. Theol. teneantur ad minùs audire tres primarias Lectiones, easq; quotidianas, Professorum eiusdem Facultatis, sacræ scilicet Scripturæ & duas Scholasticæ Theologiæ*: ne fortè per ejusmodi statutum sive ordinationem fieret præjudicium privilegio, eidem Societati per Sedem Apostolicam indulto, *de admittendis ad quoscumque gradus in quavis Vniversitate studiosis omnibus, qui in Collegijs Societ. Lectiones cùm Philosophicas tum Theologicas audiverint*; neve dicta Facultas S. Theol. inde captaret occasionem frustrandi Societatem usu hujus sui privilegij; non obstante adjudicatione eidem Societati in judicio contradictorio factâ adversus Facultatem S. Theol. Duacensem, die XXVI. Iulij an. CIↃ. IↃC. XIV. supplicuit ac petijt declarari, per prædictam ordinationem non censeri aut fore derogatum prætacto suo privilegio, cum inhibitione Facultati S. Theol. facienda de non impediendo aut turbando, directè aut indirectè, impræsentiarum aut in futurum, Societatem in possessione atque usu hujusmodi sui privilegij. Vniversitate Facultateque è contrà infitiante jactatam & minimè fundatam possessionem: qua de re extat elegans Dissertatio seu Motivum Iuris, quo jus possessioque Facultatis liquidò deducitur, & stabilitur, per hæc capita I. Privilegium Pij V. Pont. non comprehendere famosas Vniversitates, nominatim Lovaniensem, nec illius privilegijs aut statutis derogare. II. Nullo Ducum Brabantiæ Placeto Societati permissum esse, ut docere possit Theologiam in ordine ad gradus. III. Societatem numquam fuisse in quasi possessione juris docendi Theologiam in ordine ad gradus. IV. Facultatem S. Th. etiam post impetratum à Pio V. privilegium hactenus perstitisse in contrario usu præ-

sensi

tensi privilegij, observatione scilicet statuti sui, quo nullus ad gradus admitti potest, qui non audierit Lectiones ipsius Facultatis. V. Quòd etsi prætensum istud Societatis privilegium ab initio valuisset, exinde tamen evanuisset per non usum Societatis, & contrarium usum Facultatis, ac novissimam Visitationis confirmationem à Paulo V. factam. Additæ & rationes, ob quas etiam ex consideratione status seu intuitu boni publici Societati concedendũ non videatur, ut Lectiones ejus Theologicæ valeant in ordine ad gradus; sive commoda spectes, quæ ex hujusmodi concessione sperari possent in Ecclesiam aut Remp. derivanda; sive incommoda, quæ plurima inde meritò timeri. Productisque hinc inde omnibus & singulis, quæ ad juris & caussæ cujusque defensionem instructionemque facere videbantur, testibus, testimonijs, documentis, tandem Sereniss. Princeps *Albertus* pronuntiavit, R. P. Provincialẽ, ad fundandam suam intentionẽ, hactenus non fecisse satis.

ANNO CIↃ.IↃC.XXII. die XIX. Aprilis *Raphael Gemma*, Canonicus & Scholasticus Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri, Rectore Collegij Societ. Lovanij instante, supplicat apud Magistratum opidi Lovaniensis pro Scholis erigendis, in quibus permitteretur PP. dictæ Societ. litteras humaniores profiteri, & juventutem instruere; quamvis aliàs eidem D. Scholastico nullum ad hoc competeret jus, sed soli Vniversitati & Facultati Artium, quippe omni jurisdictione, quantum etiam ad hujusmodi Scholas attinet, translatâ in Rectorem & Vniversitatem. Ipseque Scholasticus postmodum palam in pleno consessu Vniversitatis exposuit & declaravit, se quidem rogatum ac requisitum ad finem, ut præmittitur, numquam tamen illius fuisse mentis aut intentionis, ut quid statueret circa erectionem dictarum Scholarum, aut in eas PP. Societ. introduceret, absque interventu & consensu Vniversitatis aut Facultatis Artium. Editisque Magistratui caussis & motivis, cur id expedire non videretur, in ipsis mox initijs repressus fuit hic conatus: donec iterum anno CIↃ. IↃC. XXIV. die XVI. Aprilis, favente & adlaborante potissimùm D. *Ioanne Fannio*, Pensionario urbis, tunc nominato Brabantiæ Consiliario, institerunt & petierunt admitti ad exercitium ejusmodi Scholarum, usque ad Philosophiam exclusivè. Quinimò, dum eodem die propositum quoque esset ac deliberatum in Magistratu, num expediret PP. Societ. in Vniversitate docere ac profiteri Philosophiam? resolutionem eam à Magistratu facilè extorsit idem D. *Fannius*, scilicet id ipsum expedire atque ex re cùm opidorum etiam Vniversitatis fore, idque multis & plausibilibus rationibus

nibus, quâ erat fandi copiâ, atque emendicatis suffragijs. Cujusmodi resolutioni ac conatui Magistratus Societatisque omni modo obsistendum esse censuit Artium Facultas, implorata ad hoc adsistentiâ, ope, & consilio Vniversitatis. Quæ quidem Vniversitas negotium hoc ulteriùs apud Regiam S. M. in Hispania tractandum & prosequendum esse judicavit, induxitque ad hanc provinciam suscipiendam Ex. D. *Cornelium Iansenium*, S. Th. D. & Prof. Qui in Hispaniam institutâ profectione, rebusque inibi ex animi sententia peractis, redijt deinde in Belgium unà cum litteris ejusdem R. S. M. ad Sereniss. Principem Isabellam, quibus totam hanc controversiam cognitioni suæ reservat, mandatque ne interim Religiosis Societ. Iesu Lovanij permittatur publicas habere Scholas Philosophiæ aut Theologiæ in ordine ad gradus Academicos. Litteræ Gallico idiomate ita sonant.

MADAME ma bonne Tante. *Messire* Cornille Ianssenius, *Docteur en la Saincte Theologie & Professeur en l'Vniversité de Louvain, envoyé par icelle à ceste Cour, m'a representé, que les Religieux de la Compagnie de Iesus illecq pretendent enseigner publiquement les Arts & Philosophie en leur maison aux seculiers, & que leurs leçons serviroient de cours à leurs disciples, pour avec icelles, sans les leçons de ladite Vniversité, estre promeuz a degrés, ce qu'il affirme causeroit la ruine de ladite Vniversité, pour diverses raisons qu'il allegue, trop longues à reciter. Et que passé quatre où cinq ans lesdits Religieux auroient pareillement fait beaucoup de diligences pour aussi pouvoir enseigner publiquement la saincte Theologie en la maniere que dessus; mais qu'aiant vostre Alteze & feu mon bon Oncle l'Archiduc* ALBERT *(qui soit en gloire) ouy les raisons desdicts de l'Vniversité & Religieux de la Compaignie, ils ne leur auroient accordé ce qu'ils pretendoient, Me suppliant, qu'il me pleust de commander, que lesdicts Religieux ne soient ouys en leur dicte pretension, ains qu'ils en aient à desister, comme ils firent il y a vingt neuf ans: C'est pourquoy que pour iustes raisons me suis trouvé de favoriser ladicte Vniversité, & prier vostre Alteze (comme ie faits) d'aussi le faire, & ne permettre, que lesdicts Religieux de la Compagnie de Iesus en Louvain ouvrent Escoles publiques des Arts ny de Theologie en leur maison, n'y que l'on introduise aucune nouveauté en ce particulier sans mon ordre expres, donné par ma propre personne, apres avoir esté deüement informé du droict de l'vne & l'autre desdites parties, ce que ie prie tresinstamment vostre Alteze d'ordonner qu'ainsi se face, car telle est ma volonté. De Madrid le 3. d'Octobre 1624.*

ANNO CIↃ. IↃC. XXV. novum movetur bellum Facultati S. Theol. per libellum à R. P. Florentio de Montmorency Præposito Provinciali Societ. porrectum Regiæ Suæ Majestati, in quo postquam recensuit merita & servitia ejusdem Societ. erga eamdem R. S. M. terrâ marique, potissimùm in hoc Belgio, supplicuit petijtque concedi Societati usum liberum suorum privilegiorum, & nominatim ejus, quòd Lectiones Philosophicæ ac Theologicæ in Collegijs Societ. auditæ valere debeant in ordine ad gradus, de quo pridem controversia fuit inter dictam Societatem & Vniversitatem Lovaniensem. Obtinuitque à Rege diploma, quo interim, donec pleniùs informetur de juribus, caussis & rationibus utriusque partis, controversiæque tandem finis imponatur, conceditur per provisionem PP. Societ. Lovanij locus Professoris extraordinarij in S. Theol. horâ docendi à Sereniss. Principe Isabella Hispp. Infante adsignandâ, conformiter & secundùm statuta ordinationesque Vniversitatis, quibus dictus extraordinarius Professor foret maneretque subjectus, ad instar aliorum Professorum ejusdem Vniversitatis &c. Datum diploma anno ut suprà, V. Idus Maij. Itaque iterum in Hispaniam delegatus Ex. *D. Cornelius Iansenius* hanc quoque difficultatem ex voto Academiæ Facultatisque S. Theol. apud Regem varijs propositis rationibus, cur nova hæc atque extraordinaria Professio Academica institui aut admitti non deberet, feliciter extricavit.

ANNO CIↃ. IↃC. XXXV. die XVII. Novemb. motâ lite inter Vniversitatem Artiumque Facultatem Supplicantes, ex una, & R. admodum D. Prælatum Monasterij S. Michaelis Antverp. Ord. Præmonstratensis, Rescribentem, parte ex altera, per sententiam in suprema Brabantiæ Curia latam interdictum fuit eidem D. Prælato, ejusque Professoribus seu Lectoribus, ne quem extraneum, præter suos Religiosos, admittant ad Scholas suas Philosophicas, sub pœna centum aureorum in casum contraventionis qualibet vice incurrenda.

Cumque in alijs alibi quoque Monasterijs ac Conventibus Philosophiam publicè & patentibus portis, admissis passim extraneis, doceri more Academico animadversum esset; adeò ut vix distinctio ulla esset inter Scholas Vniversitatum & hujusmodi particularium locorum: ad supplicationem Decani & Facultatis Artium Lovaniensis ac Duacensis respectivè, anno CIↃ. IↃC. XXXIX. die XVII. Decemb. in secretiori R. S. M. Concilio similis interdictio facta fuit cæteris Or-

dinibus & Conventibus Religiosorum, ne quem extraneum in Scholas suas privatas admitterent, sub pœna quinquaginta florenorum in singula capita; approbata à Brabantiæ Concilio an. CIↃ. IↃC. XL. die XIV. Decemb.

Visitatio Vniversitatis anni CIↃ. IↃC. XVII.

ANNO CIↃ.IↃC.XVII. commissio data fuit ex parte cùm Nuntij Apostolici in Belgio, tum etiam Sereniss. Principum Belgij *Alberti & Isabellæ*, Rev. admodum D. *Ioanni Drusio*, S. Th. L. Abbati Parcensi, Ord. Præmonstratensis, & *Stephano Craesbekio*, I. V. D. & in supremo Brab. Senatu Consiliario, visitandi Vniversitatem Lovaniensem tam in capite quàm singulis ejus membris &c. Factâque Visitatione, cùm super ejusdem publicatione esset mota controversia aliqua, eo quòd principaliter & primariò sub eorumdem Sereniss. Principum nominibus concepta, poterat videri præjudicialis tum Vniversitati, tum etiam Sedi Apostolicæ; agente & procurante Nuntio Apostolico pro tempore, misit ad Vniversitatem Paulus V. Pont. Breve confirmatorium dictæ Visitationis, tenoris sequentis.

Dilecti filij Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm, sicut ex litteris Venerabilis fratris, Lucij, *Archiepiscopi Idruntini, Nostri & Apostolicæ Sedis in Belgicis ditionibus Nuntij, Vniversitas ista de ordine & mandatis nostris per personas Ecclesiasticas, à dilecto, Nobili viro,* Alberto, *Archiduce Austriæ, Principe Belgij, deputatas, auctoritate Apostolicâ visitata fuerit: Nos, ut Visitatio prætacta suum quanto citiùs sortiatur effectum, pro iniuncto nobis Apostolicæ servitutis officio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Vobis per præsentes committimus, & sub censuris Ecclesiasticis ac indignationis nostræ pœnis mandamus, ut Visitationem, ac decreta & ordinationes in illa, auctoritate Apostolicâ, ut præfertur, facta, dummodò licita sint ac sacris Canonibus, Concilio Tridentino, Constitutionibus Apostolicis, ac dictæ Vniversitatis erectioni & privilegijs ab Apostolica Sede illi concessis, non adversentur, & aliàs, eâ, quâ decet, reverentiâ accipiatis, illaq; diligenter observetis, ac alijs, ad quos spectat & pro tempore spectabit, observari curetis realiter & cum effectu. Nos enim irritum decernimus & inane, quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die* XXI. *Octobris* CIↃ. IↃC. XVII. *Pontificatus nostri anno decimo-tertio. Subscriptum erat, S. Card. S. Susanna.*

Annus

Annus sæcularis secundus Vniversitatis.

ANNO CIↃ.IↃC.XXVI. VI. Eid. Septemb. Vniversitas celebravit secundum à prima sui origine annum sæcularem seu Iubilæum, cum plenarijs atque in forma Iubilæi concessis in eam rem ab VRBANO VIII. Pont. Max. Indulgentijs, per dies quindecim, arbitrio Ordinarij designandos & inchoandos. Designatio verò facta est, publicatæque Indulgentiæ à Reverendiss. atque Illust. D. IACOBO BOONEN, Archiepiscopo Machliniensi, tenore sequentium:

IACOBVS, DEI *& Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras visuris salutem in Domino. Quandoquidem Alma Vniversitas Studij Generalis oppidi Lovaniensis à ducentis annis ad intercessionem* IOANNIS IV. *Ducis Brabantiæ*, *à* MARTINO V. *Pontifice Maximo felicibus auspicijs erecta, & exinde optimè merita de Christiano orbe, ipsoq́; in primis Belgio, hoc anno* CIↃ.IↃC.XXVI. *pro ea, quam Deo debet, grati animi significatione, eiusq́; cælestis gratiæ invocatione, suorum etiam Fundatorum, Patronorum, & Benefactorum honorandâ memoriâ secundum originis suæ annum sæcularem seu Iubilæum celebrare constituerit, in eamq́; rem Sanctissimus Dominus noster* VRBANVS *Papa* VIII. *reseratis Ecclesiæ thesauris, concesserit fidelibus omnibus plenariam Indulgentiam in forma Iubilæi, qui per dies quindecim, à nobis designandos, ultra Ecclesiam D. Petri, visitaverint tres alias eiusdem oppidi Ecclesias, à nobis itidem designandas, iuxta Breve Apostolicum datum* XVIII. *Iulij currentis anni, & de licentia nostra publicatum. Hinc est, quòd Nos pro officio pastorali, & affectu, quo celeberrimam Academiam complectimur, propensi in ea omnia, quæ ad Divini cultus incrementum & ipsius Vniversitatis ornamentum spectant; quindena initiū ad præfati Iubilæi usum designamus à primis vesperis proximi Festi Nativitatis Divæ Virginis, qui natalis eiusdem Vniversitatis anniversarius dies est, ex quo reliquos dies* XIV. *continuo ordine decurrere volumus. Tres verò reliquas Ecclesias nominamus Parochiales, S. Michaelis, S. Gertrudis, & S. Quintini eiusdem oppidi Lovaniensis. Quò ergo ista Vniversitas Belgij, quondā unica, modò Belgicarum prima, prout hactenus Dei gratiâ felix & fœcundum exstitit Ecclesiæ, ac Reipubl. Christianæ seminarium, difficillimisq́; etiam temporibus invictum Christianæ fidei propugnaculum & firmamentum, ita & in posterum virtutis suæ, ac eius, quæ secundùm Deum est, sapientiæ fœcunditatem, per ætatum incrementa, citra effœtæ vetustatis sterilitatisve vices, usque ad propositam Christianis immortalitatem, feliciter producat, fideles omnes in Domino exhortamur, ut, Christi Vicario tantâ munificentiâ eos in hoc excitante, communibus votis ac suffra-*

suffragijs Vniversitatis statum ac profectum Deo & Christo commendent, eaq;, erga publicam salutem devotione suam singuli redimant. In quorum fidem præsentes litteras, manu nostrâ signatas, & per Secretarium nostrum subscriptas, sigilli nostri appensione muniri fecimus. Bruxellæ anno post Christum natum millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, Mensis verò Augusti die vicesimo. Et erat subsignatum IACOBVS Archiepisc. Mechlin. De mandato Ill.mi Dom. suprascripti *Corn. Ooms.*

Tenor verò atque ordo solemnitatum Iubilæi hujus sæcularis per designatos ab Ordinario dies quindecim fuit talis. Singulis diebus horâ VII. matutinâ per aliquem è Cœnobijs Ordinum Mendicantium habitâ Concione Flandricâ, celebratum deinde fuit solemne Sacrum, ad Aram loco editiori in medio templi positam; primo quidem die per dictum Archiepiscopum Machliniensem, assistentibus Prælatis duobus, D. *Henrico Vander Heyden*, Villariensi, & D. *Ioanne de Fraiteur*, Heylessemensi, cum solemni Supplicatione, singulis Accensis sive Bedellis, prælato argenteo auratoque sceptro, Facultatis suæ Doctores, habitu Doctorali insignitos, præeuntibus ac deducentibus; alijs verò diebus per alios Prælatos, idque ex parte singularum Facultatum, Theologiæ, Iuris utriusque, Medicinæ, Artiumque, & de Facultatis cujusque Laudibus habitæ fuere Orationes Latinæ. De Laudibus verò Academiæ universim dixere, *Petrus Castellanus*, Medicinæ Doctor & Prof. & *Nicolaus Vernulaus*, S. Theol. Licent. & Rhetor Academicus, cujus hac de re legitur Oratio: ac postremò diximus nos Eucharisticon sive Gratiarum actionem Fundatoribus, Patronis ac Benefactoribus ejusdem Vniversitatis.

DE ACA-

DE ACADEMIA LOVANIENSI DOCTORVM ALIQVOT VIRORVM TESTIMONIA.

Qvamquam ad commendationem Academiæ, per se aliàs & meritis suis commendatissimæ, sufficere ea videbantur, quæ superiùs sparsim in hisce Fastis adducta sunt, Summorum Pontificum Principumq; Testimonia atque Elogia, tamen non fuerit alienum ab instituto, si corollarij loco adiectam hîc reliquæ, quæ quidem ad manum erant, virorum præsertim Doctorum de eadem Vniversitate Iudicia.

MART. DORPIVS *in Oratione habita Kalen. Octobrib. an.* CIↃ. IↃ. XIII. *de Artium ac Scientiarum Laudibus.*

MVltæ sunt passim toto Christiano orbe Vniversitates, sed in alijs alia desiderantur. Alicubi solas Leges concessum est sive docere sive discere. Alibi unica Medicina in pretio est, cognatisque scientijs rejectis, sola regnū possidet. Est & ubi ceteris scientijs receptis, sanctissimæ Leges exulant. LOVANII omnes Scientiæ suo pretio pro dignitate æstimantur, omnes traduntur, omnes coluntur, omnes celebriter & Doctoribus sunt honoratæ, & discipulis; numerosis quidem illis, si cuivis Vniversitati extra unam Parisiorum conferas, tamen delectu magis, quàm numero æstimandis. Omnes pulcerrimis ordinibus discretæ, suum quæque gradum & ætatem habet, suo ordine, suo tempore discitur.

DESID. ERASMVS *Lib.* XVI. *Epist.* XV. *ad Danielem Taisnillum, Episc. Gebeldensem.*

ACademia LOVANIENSIS frequentiâ nulli cedit hodie, præterquam Parisianæ. Numerus est plus minùs tria millia, & affluunt quotidie plures.

IDEM *Lib.* XVII. *Epist. ad Guil. Talaum.*

EST LOVANII coelum, quod vel Italico quondam adamato præferas: non amœnum modò, verùm etiam salubre, nec alibi felicior ingeniorum proventus, nusquam Professorum major aut paratior copia.

ADRIANUS BARLANDUS *in Catalogo insignium Opidorum Germaniæ Inferioris.*

LOVANIUM caput est urbium Brabantiæ, cœli & aëris benignitate nulli cedens aliarum. Hîc intra muros libera prata, vineæ, horti spatiosi, agri, pomaria, campi, dumi, saltus, pascua, parvæ silvulæ, parva nemuscula, ut meritò hanc sedem ac domicilium optimarum artium delegerint majores nostri. Habet enim Scholam, quâ non sit alia secundùm Parisiacam numerosior, neque ornatior. Multa sunt passim toto orbe Christiano Gymnasia, sed in alijs alia videas desiderari: Aureliæ in Gallijs solæ Leges Civiles, Parisijs Theologia, Ius Canonicum & Sophistica traduntur: sunt aliæ quædam Scholæ, ubi sola in pretio est Medicina. Lovanij omnes scientiæ docentur.

IDEM ad NICOLAUM RUTHERIUM,
Episc. Atrebatensem, de Laudibus
amœnissimi LOVANII.

ITaliæ laudent alij coelumq́, locumq́,
Ego te canam, LOVANIUM.
Namque mihi ante alias urbs visa es nuper amœna,
Doctis & apta vatibus,
Mane, satur somni, cùm amplius spatiarer in hortis
RUTHERII, *legens Iocos.*
Sunt tibi silvæ, & fronde virentia mœnia latè,
Nec non feraces hortuli.
Flumina sunt, liquidi fontes, vallesq́, lacusq́,
Viridiq́, ripa gramine.
Hîc quoties memini cantando sumere soles
Longos, & altam vesperam.
Vere novo tibi stat vestita & frondibus arbos,
Et flore campi & herbulis.

Hinc

Hinc avium blando cantu mulcetur & aër,
Et ambulantium auribus.
Nil non blanditur, nil non arridet ocellis:
Ver labitur, venit nova
AEstas, cùm segetes tellus nitidissima fundit
Magnis tibi proventibus.
AEstatem Autumnus sequitur, cùm poma, nucemq;
Domi vides multam tua,
Surgentesq; rudes primis de vitibus uvas,
Et vina non prorsus mala.
Adde tot egregias ædes, operosaq; templa,
Vicosq; longè amplissimos.
An memorem doctos de Relligione loquentes,
Legumq; consultos viros?
Et quos delectat facundia, quiq; Poëtas
Gestant manu semper bonos?
Tu genus ipsa hominum simplex effers, quibus omnis
Erecta mens ad cœlites.
Salve clara domus Musarum, ipsisq; beata
Magis iugis Parnassijs.

ELIVS EOBANVS HESSVS in Profectione sua ad *Des. Erasmum,* Lovanij tunc agentem, an. CIↃ. IↃ. XVIII.

——— *iam tertia luxerat orbi*
Orta dies, postquam Trajecto *solvimus, utq;*
Apparere procul, sed adhuc obscura videmus
Mœnia & aërias turres, arcemq; nivali
Fulgentem candore, & iam propiora tuentes
Aspicimus, qualem superi posuisse, vel ipsi
Semidei vellent æternis sedibus urbem
Nobile LOVANIVM. ———
Iam Sol Hesperias afflabat proximus undas,
Ingredimur tacito mirantes omnia visu
Ornamenta urbis, Dî qualia! sed neque tantùm
Ista caduca moror, quantum quia principe flores
Gymnasio, studijsq; adhibet, quem debet, honorem,
Excellitq; viris, non qui Latialia solùm
Dogmata, Romanaq; loquacia schemata lingua,

Nec

Nec tantùm ad Graias poßint vigilare lucernas,
Verùm etiam Hebræo sudent in pulvere, & omni
Parte Scholâ celebri veteres imitentur Athenas.

ANDREAS RESENDIUS, Lusitanus, in Encomio Vrbis & Academiæ Lovaniensis, scripto an. CIↃ. IↃ. XXIX. ad *Conradum Goclenium.*

HEic ubi se regio editior diffundit in arcton
Scaldim inter celeremq́; Mosam, posuere minores
Vrbem Lovanij, *Phœbo Musisq́; sacratam,*
Mollibus in clivis, quæ cœlo exposita sereno,
Præcipiti fossâ, murorumq́; inclyta flexu
Cingitur oblongo: muris coniungitur alto
Arx munita loco. Vallem subsidit ad imam
Deinde situs, mediamq́; secat sinuosus in anguem
Amnis, opaca inter frondosaq́; tesqua domorum.
Rara quidem tecta apparent, veneranda sed ipso
Aspectu, & maiestate incutientia sacram
Religionem animus. Phœbum doctasq́; sorores
Agnoscas, videasq; urbem simul atque Lycæi
Secessus. Iam quicquid habet declive Lyæo
Colle viret, lascivit humus, Cereremq́; quotannis
Suppeditat parte hac, illâ placitura secundis
Mensis, Olentæ nutricis Copia, cornu
Pomiferis pleno ramis dependet onusta.
Herbida parte aliâ fontes per prata fluenteis
Diva Pales pecori corrivat: ubique beata
Aura animum curis fessum demulcet, ubique
Ridet, ubique placet. Felix, nulliq́; secundum
Musarum emporium, quà quà Germania ab Istro
Clauditur ad Rhenum, vel quà se Belgica tendit
Per latus Oceani, quoad iungi Sequana Celtis
Divisor prohibet. Nec iam concedet Achaïs
Gymnasiis, Latiisve, nisi quia tempore in illo
Non erat. At quamvis Phœbo, Musisq́; recenti
Nupera sit, tamen assequitur virtute, quod annis
Iunior ætati tribuit, dum grata priori
Posteritas potiùs quàm præsenti æqua triumpho

Mirari

Mirari veteres gaudet. Veterascere & olim
Continget nostris, inerit quoque gratia factis
Iam priscis. Quamquam quis tam moriente palato
Et penitùs fatuo fuerit, venerande sacerdos
Phœbi, & Musarum interpres fidißime, cui non,
Gocleni, *ambrosiam sapiant tua verba? Latino*
Sive tono, Samiove cupis dicenda sonare,
Illo te Charites dulcem comitantur alumnum:
Seu Ciceronis opus, seu carmina dîa Maronis
Enarras, nemo Ciceronem, nemo Maronem
Enarrare putat, Ciceronem ipsumq́; Maronem
Audit: utrumque etenim sic exprimis ipse, Poëta
Clarus, & Orator, poßis ut uterque videri.
Sic cum Pasithea, dominans affectibus ore
Suada medulla tuo insedit, blandiq́; lepores.
Hinc si te pubes stimulant maiora, cupiuq́;
Graia Thespiados montem, cliviq́; superbi
Amfractus superare graves, adeundus Apollo
Rescius *ille tibi est: quo consultore quid umquam*
Non bene verterunt divi? quid quæso fefellit?
Quæ tibi non spondes Græca penitißima lingua?
Nunc age te Solymæ capiunt oracula vatum
Gentis? & à prima nascentis origine mundi
Vis veri responsa Dei? legemq́;, Dracone
Contempto, ex ipso demissam quæris Olympo?
Campensis *tibi ductor adest, qui guttura formet,*
Terrentesque sonos Latiam stribligine musam,
Insuetaq́; domet linguæ dumeta. Sed unum
Qui variare vices, modoq́; hoc proferre, modò illo
Ore sciat, grataq́; levet novitate laborem,
Phœbo addicta cohors velles? triplici ore sonabit
Nicoleos *meus ille tibi* Clenardus, *& unus*
Nunc Pallatim ducet per numinis aras,
Et formidatas, ut nil vereare, columnas,
Nunc Aganippæas, ac per Pimpleidas undas.
Et, si fortè velis iuga per Sionia, ad altam
Vramam raperis? Te præstantißima Patrum
Suscipiet Schola multorum, qui tramite certo
Inconcussa Dei referent mysteria, quorum

Nomina si quis avet me carmine pandere, montes
Expediam citiùs, fluvios, fontesq; , lacusq;,
Quotq; habuit populos olim Germania. Caussas
Vis agere? & cives concordi pace tenere?
Iuraq; Pontificum? Veneranda caterva Senatus
Cæsarei, sacriq; sinus tibi pandet apertos.
Ne longum faciam, poteris concludere totam
Encyclopædeiam. Talem Lovania *præbet*
Sese Musa recens, talem Florentius *ille,*
Cum iam tam triplici instaret circumdatus orbe
Fastigatus apex, coluit Hadrianus, *bonore*
Quo nimiùm dilecta deis Academia, dum Sol
Aureus ornabit cœlum, terrasq; iacentes,
Semper erit celebris. Circum nunc aspice pubes
Vrbs quota quot Sophiæ populis alimenta ministrat:
Hanc Menapi Rheno vicini, hanc Cimbrica pubes,
Quæ leti horrorem bello casura levabat
Carmine, & hanc flavum soliti torquere Sycambri
Crinem, adeunt. Olim latè dominatus Eburo,
Et fama Trevir maioris, quosq; movebant
Classica, & in Martem rauco crepitantia cantu
Cornua, Flevigenæ, bifido conclusa Batavi
Gens Rheno, atque vagis complexi Tethyos undis
Arctoæ Morini, veniunt. Frugalis & olim
Nervius, & luxus contemptor: Centrones unà,
Quiq; olim Druidæ fuerant, crudelibus aris
Cædeq; Mercurium humanâ, taboq; Gradivum
Fœdantes, & quicquid agunt dij scire professi
Carminibus fibrisq;, illo sed tempore cæca
Plebs, positâ feritate modò sortita benignum
Atque animum comem, cœli venerabile numen
Mente colit placidâ. Longis hastilibus Axon,
Gentium & heic quicquid prospectans ora triones
Condit, ad hanc iuvenes facto velut agmine mittit.

GERAR-

GERARDVS MORINGVS *in Vita* Adriani VI. *Pont. Max.*

LAtinè callens *Hadrianus*, quantum satis esset ad disciplinas alias, jactisque qualibuscumque rudimentis Dialectices, mittitur *Lovanium*. Ea nobilis Academia in Ducatu Brabantiæ est, nullâ aliarum regionum, quodcumque Studiorum genus respicias, ulla ex parte inferior. Dicas esse seriò eruditorum omnis generis fertilissimam officinam. *Theologi* sunt, gravitate morum, religione ac sanctimoniâ vitæ, zeloque fidei eximij: id quod hactenus cùm permultis alijs indicijs, tum verò hoc uno luculenter ostenderunt, quòd primi ferme omnium Lutheri dogmatibus strenuè obviam iverint. Ad hæc, non in vanis argumentis tempus conterentes, sed in ipsis litteris divinis, in Patribus Ecclesiasticis, & ijs, quæ ad rationem vitæ faciunt, versantes. *Iurisperiti* sunt, præter excellentem eruditionem, etiam synceri, neque vel sordibus vel muneribus obnoxij. *Medici* sunt, non ipsâ theoriâ modò, sed usu quoque & praxi egregiè præstantes. *Philosophi* denique, non nugivendi aut Sophistæ, ut alibi, sed ipsâ germanâ Philosophiâ, quæ ad disciplinas serias postea usui sit, plurimùm valentes. Nihil autem necesse habeo dicere de litteris amœnioribus, de Linguis item Græca & Hebræa, quas ibi florere, si usquam alibi in Germania, & in dies singulos magis vigescere, res ipsa apertè declarat.

GVILIEMVS ZENOCARVS, *Carolo V. Cæsari à Consilijs, ac Bibliothecis.*

HIc in Vita ejusdem Caroli LOVANIENSEM Academiam cum Parisiensi componens, scribit, regnante Carolo V. Imp. multò aliud Lovanium fuisse, quàm tempore Caroli Magni fuerit Lutetia Parisiorum. *Pergit deinde*, Ego, *inquit*, Parisijs *Vatablum*, *Agathium* & *Paradisium*, Hebræos; *Tusanum* & *Strafelium*, Græcos; *Latomum* & *Gallandium*, Latinos, audivi Professores Regios: *Budæum & Orontium*, & Iuris Pontificij Professores non paucos; & erat illa Academia multis doctissimis viris referta. Sed Lovanium ipsum est tamen clarissima omnium Belgicarum & Germanicarum urbium Academia. Ejusque rei *Ruardus*, *Curtius*, *Sonnius*, *Hentenius*, gravissimi doctissimique Theologi; *Driutius*, *Mudæus*, & *Vulmarus*, Iurisconsulti clarissimi; *Hallius*, *Somerius*, *Gosuinus*, *Tiletanus*, Medici expertissimi; duo *Morillonij*, *Voerthusius*, *Statius*, Philosophi acutissimi; *Valerius*, *Langius*, *Lupus*, *Ramus*, Oratores; *Dumæus*, *Beausardus*, *Gemma*, *Hassardus*, Mathematici solertissimi, mihi testes erunt, qui omnes ex Academia ista prodierunt celeberrimi.

LOVANIUM, inquit, & intra urbem, & in suburbanis ubique, campos habet aquis obnoxios, & ijs altiora loca incumbentia, è quibus & colles assurgunt, alij vitibus consiti, alij silvis horridi, alij pomarijs uberes, alij per declivia segetibus læti. Sunt hæc quidem *Lovanio* & *Romæ* communia, sed sic, ut, si meo judicio sententia ferenda sit, longè lateque loci amœnitate *Roma* superetur atque vincatur à *Lovanio*. Nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum locus est, qui videatur magis mereri, ut sit harum Musarum domicilium. Conferantur omnia, quotquot sunt, litterarum Gymnasia, vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania, nullum invenietur, quod huic par dici queat. Vixi *Parisijs*, *Aureliæ*, *Pictavij*, *Lugduni*, *Burdigalæ*, & in loco Galliæ amœnissimo *Andegavi*. Vidi *Ticinum*, & in eo domum enneophonum. Vixi *Bononiæ*, *Patavij*, *Mantuæ*, *Florentiæ*, *Romæ* & *Neapoli*. Germaniam partim vidi, partim de auditu cognovi, sed quæ equidem vidi opida, nulla sunt Lovanio comparanda situs jucunditate, cùm tamen viderim præcipua, & inter cæterа *Monachium*, *Augustam*, *Vlmam* & *Coloniam Agrippinam*, ut ita taceam inferiora. In Hispania *Salamanca* Scholarum magnificentiâ longè omnibus in Europa præstat Gymnasijs, sed situ & locorum facie à Lovanio superatur. *Vallis-Olitana* extra urbem non est inamœna, præsertim in Visurgis ripis, & habet duo Collegia, quibusvis ædibus Regijs conferenda, sed omnibus inter se comparatis nihil ad Lovanij amœnitatem.

ROBERTUS Card. BELLARMINUS *Concione* XX. *Lovanij habitâ*.

CRedite mihi, multa Gymnasia, multas Academias, multa Musarum Domicilia vidi, sed rara sunt ac propè nulla, quæ cum hac illustrissima sede ac veluti arce quadam Sapientiæ, vel auditorum multitudine, vel Doctorum celebritate, vel loci ipsius commoditate comparari possint.

AND. SCHOTTUS, Societ. IESU, *Epist. ad Christoph. Plantinum.*

LOVANIUM *ibidem appellans* Omnium totius orbis Academiarum amœnissimum Musarum Domicilium, *addit*: Alibi quidem Collegijs opes affluentiores, alibi fortasse studiosorum frequentior nume-

numerus, sed otiosorum. Est ubi singulæ disciplinæ uberiùs doceantur; at nusquam omnes simul disciplinæ tantâ diligentiâ fideque, rejectis, quæ ad inanem ostentationem & Sophisticen pertinent, docentur, quàm LOVANII.

IACOBVS AVG. THVANVS *in Vita sua*

LOVANIVM ventum, in quo miranda tot Scholarum & Collegiorum, quæ vulgò vocant, egregiè constructorum frequentia; & urbs ipsa Patavio, Academiâ & Gymnasijs adeò celebri in Venetis civitate, non minor visa.

IVSTVS LIPSIVS in LOVANIO suo lib. III. cap. I.

Salvete Athenæ nostræ, ATHENÆ BELGICÆ,
O fida sedes Artium, & fructu bona,
Lateq́ spargens lumen & nomen tuum!
Te Gallus, & Germanus, & te Sarmata
Invisit, & Britannus, & te duplicis
Hesperia alumnus. Quàm frequens frequentia
Stipavit olim, & advenarum copia!
Quæ minuit aliquid civicus, fateor, furor,
Et Mars cruentus: sed fuêre; quis neget?
Et fructus etiam apparet. O quot millia
(Ità dico) protulistis insignes viros,
Auxilia vel consilia publicæ rei?
Quot Famæ in æde consecrastis nomina,
Perennibus victura scriptionibus?
Et porrò proferetis, & sacrabitis,
Si donat aliquam mitior pacem Deus.
Donabit autem. vota vos modò & preces
Concipite, & in partem advocate Virginem,
Patrona quæ vestra audit, & Dei-parens.

PAg. 31. linea 31. *Lege* Vice-Rectorem.
P. 35. lin. 23. Leg. Licent. *adde* & Decret. Baccal.
P. 36. lin. 10. Atrebat. *adde* Legum Licent.
P. 39. l. 3, *scribe*, Art. M. & I. V. Licent. anno CIↃ. CCCC. LXXIII. die XVI. Febr. creatus, tunc Rector.
P. 49. l. 3, adde
Vopiscus Fortunatus Plempius, Med. D. IV.
Balduinus Feuts, Casletanus, I. V. L. Præses Collegij Druitiani.
P. 50. lin. 9. *de Scotia*, in Decretis Baccal.
P. 52. l. 10. à fine, *de Oudorp*, in Iure civili Baccal. an. CIↃ. CCCC. XXIX. creatus.
P. 53. l. 27. de Antverpia, *adde*, Legum Baccal.
Ibid. lin. 32. *de Tielen*, in Decretis Licent.
Ibid. l. 34. *Copy*, Decret. Licent.
Ibid. l. pen. *Costecyree*, in Decretis Licent. 1446. 8. Martij, postea Decanus Ecclesiæ collegiatæ S. Iacobi.
P. 54. l. 1 *Maquet*, de Binchio.
P. 60. l. 26. Baccal. *adde*, Obijt an. CIↃ. CCCC. XXXIII. die XXV. Iulij.
Ibid. l. 28. Duas has lineas transpone, & emenda, *Guilielmus Bont.* &c. Petrus de Mera &c. Obijt an. CIↃ. CCCC. LVIII.
P. 68. l. 18. ibi, Kal. Martij, *adde*, nuperque an. CIↃ. IↃC. XLIX. V. Kal. Decemb. adversus Scultetum Heystensem, provinciæ & territorij Machliniensis.
P. 76. l. 18. *Lege*, INTEGERRIMIQVE
P. 79. l. 19. transpone, *Iacobus Stapletonus*, *Iac. Iansonius.*
P. 80. l. 5. *adde* Mortuus ab Angelis anno CIↃ. IↃC. XLIX. successorem nactus *Antonium Dave*, S. Th. D. antehac publicum Ethices Prof.
P. 94. l. 6. ibi, non licuit, *adde*. Postea tamen certiora assecutus, eadem in hosce Fastos inter memorabilia hujus Vniversitatis retuli.
P. 98. l. 8. à fine, *scribe*, Baechem.
P. 112. l. 20. ibi, anno CIↃ. IↃ. LXX. *emenda*, die XVI. Novemb. & an. CIↃ. IↃ. LXXX. die XXI. Martij.
P. 144. l. 22. *adde*, dum eodem anno in Belgium revertitur Bergomi prid. Non. Novemb. moritur.
P. 158. l. 12. scribe, CIↃ. IↃC. XV.
P. 207. l. 6. à fine, *adde*, ac demùm in magno Senatu Belgico
Con-

Consiliarius & Libellorum supplicum Magister.

P. 217. l. 11. Falconis, *scribe*, Lilij

P. 237. l. 4. à fine, *adde*. Obijt anno CIↃ. IↃC. L. VII. Eid. Martij, nonagenario major, sepultus ad S. Quintinum.


P. 246. l. 29 ibi, Doctores: *adde*, *Gulielmus Gutschovius*, Lovaniensis, S. Th. L. ac Prof. Philosophiæ in Pædagogio Falconis, an. CIↃ. IↃC. L.

P. 326. l. 4. à fine, ibi, quem secutus est, *scribe*, *Emerus Matthaeus*, pòst Dunensis in Hibernia Episcopus; & hunc *Edmundus Ferall*, inde Vicarius generalis Archiepiscopi Dublinensis: verùm &c.

P. 347. l. ult. pro Bullæ *repone* Brevis.

P. 378. l. 5. ibi; transmitti, *adde*, Concilium verò judicium suum *Alexandro Farnesio*, Principi Parmensi, anno CIↃ. IↃ. LXXXII. die XXIV. Decemb. dedit tale: *Quod ad gratias attinet ac privilegia, quibus conceditur PP. Societ.* IESV *publicas facere Lectiones ac promotiones in Facultatibus tum Artium tum S. Theol. copiâ dictorum communicatâ Rectori, & Vniversitati, rescriptum ab eadem Vniversitate accepimus, in quo plures invenimus rationes ita fundatas ac prægnantes, ut nobis nullo modo convenire videatur, permitti eidem Societati prætactas facere promotiones; sed quòd exercere functiones Lectionesq; in suis poterunt Collegijs, ad instar Minorum, Dominicanorum, & aliorum Religiosorum.* In quo quidem Concilio de hac &c.

FINIS.





CEN-

CENSVRA.

HI Fasti Academici à Clarißimo viro VALERIO ANDREA *fideliter & ornatè digesti nihil continent, quod fidei Catholicæ adversetur; & digni sunt qui iterum in lucem mittantur. Dat. Lovanij die* 31. *Martij Anno* 1650.

IACOBVS PONTANVS, S. Theol. Doctor & Professor ac Librorum Censor.

